Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/actacapitulorumg07domi

MONUMENTA

ORDINIS

FRATRUM PRAEDICATORUM

HISTORICA

TOMUS XII.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM (VOL. VII.)

RECENSUIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS

ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta «San Sebastiano», 10

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1902

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto

ACTA
CAPITULORUM GENERALIUM
ORDINIS PRAEDICATORUM
VOL. VII.

AB ANNO 1629 USQUE AD ANNUM 1656

IUSSU

REVERENDISSIMI PATRIS

FR. ANDREAE FRÜHWIRTH

MAGISTRI GENERALIS

RECENSUIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS

ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta « San Sebastiano », 10

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1902

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
SEP 10 1953
LIBRARY
17787

LECTORI

Seriem capitulorum generalium, quorum acta in hoc tomo continentur, sequens schema una cum loco, ubi acta typis prodierunt, exhibet:

Capitula celebrata	*Acta typis excusa*
Romae a. 1629	Ibidem, apud Haeredem Bartholomaei Zannetti 1629.
Apud Cornelianum a. 1642	Olmutii, apud impressores episcopales 1642.
Romae a. 1644	Ibidem, apud Manelphum Manelphium 1644.
Valentiae a. 1647	Romae, typis Manelphi Manelphii 1648.
Romae a. 1650	Ibidem, apud Nicolaum Angelum Tinassium 1654.
Romae a. 1656	Ibid., typis Nicolai Angeli Tinassii 1657.

Duplex, quod addi consuevit, *Imprimatur* additur actis capitulorum generalium Romae

1) anno 1629, hoc modo: *Imprimatur, si videbitur Reverendiss. P. Mag. sac. Pal.* A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

Imprimatur. Fr. Nicolaus Riccardius Ordinis Praedicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.

2) anno 1644: *Imprimatur, si videbitur Reverendissimo P. Magistro Sac. Pal. Apost.* Alph. Sacratus Episc. Comacl. Vicesg.

Imprimatur. Fr. Hyacinthus Serronus Magister, et Socius Reverendissimi P. Fr. Michaelis Mazarini Sac. Pal. Apost. Mag. Ordinis Praedicatorum.

3) anno 1650: *Imprimatur, si videbitur Reverendissimo P. Magistro Sac. Pal. Apost.* Marcellus Episcopus Sutrinus et Nepesinus Vicesg.

Imprimatur. Fr. Vincentius Fanus Magister et Socius Reverendissimi P. Magistri Sac. Pal. Apost.

Actorum capituli apud Cornelianum celebrati originale exemplum invenire non potui; apographum, in tabulario generali ordinis asservatum, recensui.

Eximias gratias refero dilecto sodali Fr. Paulo Lázaro Perreta, cuius sedula diligentia in plagulis corrigendis mihi non defuit.

Dabam Romae, die festo s. Vincentii, 5 aprilis 1902.

Fr. Benedictus M. Reichert
Ord. Praed.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM ORDINIS PRAEDICATORUM

VOL. VII.

BQX
7310
.A2

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM
ORDINIS PRAEDICATORUM

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

ACTA CAPITULI GENERALIS
ROMAE
IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM
ORDINIS PRAEDICATORUM CELEBRATI
IN FESTO SS. PENTECOSTES
DIE II. IUNII MDCXXIX.

Sub reverendissimo patre fr. Nicolao Rodulfio (1), sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, in eodem capitulo unanimiter electo, diffinientibus pariter reverendis admodum patribus provincialibus et diffinitoribus, nempe:

admodum rev. p. fr. Bertrando Barberio provinciali Tolosano,
admodum rev. p. magistro fr. Guillelmo Duduy provinciali Franciae,
admodum rev. p. magistro fr. Raymundo Montecucolo provinciali utriusque Lombardiae,
admodum rev. p. mag. fr. Francisco Magdaleno Capiferreo prov. Romano,
admodum rev. p. magistro fr. Gregorio Donato (2) provinciali Regni,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Goderth provinciali Theutoniae,
admodum rev. p. magistro fr. Valeriano Grocolski provinciali Poloniae,
admodum rev. p. magistro fr. Francisco Coccino provinciali Graeciae,
admodum rev. p. magistro fr. Petro Ioanne Saragoza de Heredia (3) provinciali Terrae Sanctae,
admodum rev. p. magistro fr. Antonio Ribas provinciali Bohemiae,
admodum rev. p. magistro fr. Innocentio Berardi provinciali Provinciae,

(1) De fr. Nicolao Rodulfio cf. MOPH. XI, 303, 354.
(2) De fr. Gregorio Donato cf. SSOP. II, 527.
(3) De fr. Petro Ioanne Saragoza de Heredia cf. l. c. pag. 432.

admodum rev. p. magistro fr. Ambrosio Luciceo provinciali Dalmatiae,
admodum rev. p. magistro fr. Vincentio Bartolo provinciali Trinacriae,
admodum rev. p. magistro fr. Emmanuele Telles provinciali Portugalliae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne de los Angeles provinciali Bethicae,
admodum rev. p. mag. fr. Thoma de Grumo prov. sancti Thomae Apuliae, 5
admodum rev. p. magistro fr. Dominico Scoppa provinciali Calabriae,
admodum rev. p. magistro fr. Nicolao Linceo provinciali Hiberniae,
admodum rev. p. magistro fr. Antonio Masculo provinciali Occitaniae,
admodum rev. p. mag. fr. Francisco a Valle prov. sancti Petri Martyris,
admodum rev. p. magistro fr. Stephano de Auria provinciali Aprutino, 10
admodum rev. p. magistro fr. Thoma de Lemos diffinitore Hispaniae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Iourneo (1) diffinitore Tolosano,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Godin (2) diffinitore Franciae,
adm. rev. p. mag. fr. Archangelo de Ripalta dif. utriusque Lombardiae,
admodum rev. p. magistro fr. Francisco Orsuccio diffinitore Romano, 15
admodum rev. p. magistro fr. Andrea Brancaleone diffinitore Regni,
admodum rev. p. magistro fr. Andrea Alenvortz diffinitore Theutoniae,
admodum rev. p. magistro fr. Valeriano de Cracovia diffinitore Poloniae,
admodum rev. p. lectore fr. Angelo Sperandio de Patavio dif. Graeciae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Mur diffinitore Aragoniae, 20
admodum rev. p. magistro fr. Petro Paulo Tortellio diffinitore Bohemiae,
admodum rev. p. magistro fr. Ludovico Tournerio diffinitore Provinciae,
adm. rev. p. mag. fr. Cornelio Nassio inquisitore Iadrensi dif. Dalmatiae,
admodum rev. p. fr. Bernardo Cuglituri diffinitore Trinacriae,
admodum rev. p. magistro fr. Christophoro Carbon diffinitore Portugalliae, 25
admodum rev. p. magistro fr. Dominico Molina diffinitore Baeticae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Boquetio dif. Germaniae inferioris,
adm. rev. p. mag. fr. Martino de Ruvo dif. sancti Thomae Apuliae,
admodum rev. p. magistro fr. Vincentio de Petrafitta dif. Calabriae,
admodum rev. p. magistro fr. Ludovico Barroso diffinitore Mexicanae, 30
admodum rev. p. magistro fr. Michaele de Arana diffinitore Peruanae,
adm. rev. p. mag. fr. Petro a Montenigro dif. sancti Vincentii de Chiappa,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Baptista Penna diffinitore Occitano,
adm. rev. p. mag. fr. Francisco Curtivo dif. s. Dominici Venetiarum,
admodum rev. p. praesentato fr. Raymundo Hurtado diffinitore Quitensi, 35
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Montiel diffinitore Chilensi,
admodum rev. p. magistro fr. Melchiore Mançano (3) dif. Philippinarum,

---

(1) De fr. Ioanne Iourneo cf. SSOP. II, 416.
(2) De fr. Ioanne Godin cf. l. c. pag. 616.
(3) De fr. Melchiore Mançano cf. l. c. pag. 461 et MOPH. XI, 353.

admodum rev. p. magistro fr. Hyacintho Brollia inquisitore Vercellensi diffinitore s. Petri Martyris,
admodum rev. p. magistto fr. Dominico Porcinaro diffinitore Aprutino,
admodum rev. p. magistro fr. Mariano Crepiciensi diffinitore Russiae,
5 admodum rev. p. magistro fr. Iuliano Ioubert diffinitore Gallicanae congregationis, qui concessione apostolica hac vice diffinivit,
admodum rev. p. fr. Petro Girardello inquisitore Tolosano diffinitore congregationis Occitanae, qui concessione apostolica hac vice diffinivit.

Universis ordinis praedicatorum patribus ac fratribus
10 fr. Nicolaus Rodulfius, sacrae theologiae professor
ac eiusdem ordinis humilis generalis magister et servus,
salutem in Domino sempiternam.

Officii nostri memores in eam praecipue curam incumbimus, ut quibus divina providentia praeesse nos voluit, prodesse valeamus. Quod
15 equidem nobis in Domino pollicemur, si, quae a primariis ordinis nostri patribus pie sancita sunt, fideliter a singulis observentur. Atque in hunc finem, patres ac fratres in Christo dilectissimi, amplissima capituli nostri generalis ultimo Romae celebrati acta vobis praelegenda et ad praxim redigenda transmittimus. Caeterum, quoniam finis praecepti et qua-
20 rumcumque ordinationum est charitas de corde puro, conscientia bona et fide non ficta, omnes et singulos nostrae curae commissos summopere velim esse praemonitos, quatenus iste finis semper sit primus in intentione et in actione praecipuus, ita ut omnia ex sincera Dei et proximi dilectione fiant ac praeferantur. Hinc enim fervens in cultu divino
25 famulatus, hinc ardens salutis animarum promovendae zelus, hinc denique totius perfectionis religiosae concors et unanimis observantia. Siquidem haec omnia operatur una et eadem charitas, utpote patiens et benigna, non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non cogitat malum, non gaudet su-
30 per iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Ipsa deficiente, deficit omnis religio, et inutiles ac velut emortuae sunt quaecumque ordinationes; illa vigente, caetera vigent, nec fere opus esset aliis ordinationibus. Unde et sponsae in canticis haec una charitatis ordinatio erat instar omnium: ordinavit
35 in me, inquit, charitatem. Ordinavit equidem sponsus ecclesiae Christus dominus in ea charitatem, dum omnia praecepta reduxit ad amorem; nam qui proximum diligit, legem implevit. Ordinavit et in hoc praedicatorum ordine charitatem, dum ei pro scopo seu fine proprio praedicationis officium, quod est perfectissimae charitatis exercitium, praesti-

tuit; dum protoparenti eiusdem ordinis praedicatorii fornacem charitatis in pectore, facem veritatis in ore succendit, totum subinde orbem ignea lege inflammaturo; dum tot luminaria, sanctitate vitae et splendore doctrinae ardentia simul et lucentia, huic ordini tamquam mystico volubili coelo affixit: Thomam sacrae theologiae solem micantissimum, Petrum Martyrem vulpes Samsonis admoto charitatis igne procul abigentem, Hyacinthum confessorum gemmam, qui trans fluvium Boristhenem sicco vestigio divini amoris igne sublatus, sanctissimum charitatis sacramentum et sacram matris pulchrae dilectionis effigiem, gravem nimis, sed minime gravitantem, ut a barbarorum iniuria vindicaret, gestavit illaesus. Antoninos, Raymundos, Vincentios, Ludovicos et innumerabiles alios praeterimus, quos ut castrorum aciem charitate ordinatam nefariis catholicae fidei solidaeque pietatis hostibus terribilem quolibet saeculo ad haec usque tempora conspicuos exhibet, qui numerat multitudinem stellarum et omnibus eis nomina vocat.

Eia igitur, patres et fratres in Christo charissimi, eandem vocationis spem per Dei gratiam sortiti, vel sero, sed serio expergiscimini; hora est undecima, circumspicite regiones iam albas ad messem, praesertim dum victricibus principum christianorum armis in civitates et provincias olim rebelles apertum est ostium et liber fit aditus verbo Dei in salutem gentium, a fide recta deviantium. Charitas Christi urgeat vos, ut qui vivunt, iam sibi non vivant, sed ei qui pro omnibus mortuus est et resurrexit. Zelus sanctissimi patris nostri Dominici, iugiter pro domino Deo exercituum zelantis, vos tamquam filios ad imitationem pertrahat. En manus auxiliatrices tot ac tanti nostri ordinis sancti de caelo vobis porrigunt et apud imperatorem militiae nostrae Christum Iesum orant indesinenter, ut innoventur dies nostri sicut a principio. Hoc ipsum expetunt et expectant a vobis civitates, provinciae, regna et imperia totius reipublicae christianae, nempe hunc potissime ordinem praedicatorum, excellentissimo fine praeeminentem et sanctissimis communitum legibus, primaevam arctioris observantiae formam resumere et ad pristinum sanctitatis et doctrinae splendorem revocari.

Id ipsum denique ratio vestrae professionis exigit, quae licet vos in statu perfectionis non constituat, ad ipsius tamen consecutionem, per media a sanctis patribus ordinis nostri verbo et exemplo praescripta, ut iugiter adspiretis et toto animi conatu contendatis, astringit; nam in via Dei non progredi, est retrogredi, et qui non vult fieri melior, desinit esse bonus. Contendite igitur intrare per angustam portam et incedere per viam arctam, quae ducit ad vitam; lata enim, quam plures inambulant, ducit ad perditionem.

Vere, fratres mei desideratissimi, ex quo vestrae omnium salutis

cura nobis demandata est, et rationem de animabus vestris Deo nos esse reddituros saepius recogitamus, non mediocriter angimur et contremiscimus, scientes, quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Unde et vos magis obediendo non solum vestri, sed etiam nostri potius miseremini, qui inter vos quanto in loco superiori, tanto in periculo maiori versamur. Assiduis itaque precibus apud eundem supremum omnium iudicem simul et advocatum spes nostras erigite, vestrisque in omni genere virtutum exemplis nos inter tot curas, labores et pericula huic nostro muneri annexa, exhilarate. Sic enim reputabimus nos non potestate dominante, sed charitate serviente felices.

Acta capituli generalis Romae in conventu s. Mariae super Minervam ordinis praedicatorum celebrati in sanctissimo festo Pentecostes 2. iunii anno Domini MDCXXIX, sub reverendissimo patre fr. Nicolao Rodulfio Florentino, sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, in eodem capitulo unanimiter electo.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, et beatae Mariae semper Virginis et b. p. n. Dominici omniumque sanctorum et sanctarum Dei.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus universis nostri ordinis fratribus, vacante magisterio ordinis per obitum piae recordat. reverendissimi patris magistri fr. Seraphini Sicci, fuisse canonice et unanimiter electum totius nostri ordinis magistrum generalem reverendissimum p. fr. Nicolaum Rodulfium Romanae provinciae, sacri palatii magistrum et vicarium ordinis apostolicum, eundemque sanctissimo domino nostro Urbano papae VIII. solemni totius capituli processione oblatum et ab eodem benigne hilariterque acceptum.

2. Item denuntiamus, ab eodem sanctissimo domino nostro creatum fuisse sacri palatii apostolici magistrum reverendissimum p. fr. Nicolaum Riccardium provinciae Hispaniae.

3. Item denuntiamus, placuisse sanctissimo d. n. Urbano papae VIII. specialibus favoribus et gratiis nostrum ordinem prosequenti ad instantiam magistri ordinis et capituli concedere litteras apostolicas in forma brevis tenoris sequentis videlicet:

A tergo.

Dilecto filio Nicolao Rodulfio magistro generali ordinis fratrum praedicatorum. Loco † annuli piscatoris.

Intus vero:

Urbanus papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut nobis nuper exponi fecisti, celebratio capituli generalis istius ordinis fratrum praedicatorum, in quo eiusdem ordinis magister generalis electus fuisti, ut multa pro felici ipsius ordinis gubernio iuxta solitum componantur, continuet, et propterea multa, quae iuxta temporum exigentiam ordinata et per tuos in huiusmodi generalatus officio praedecessores seu eiusdem ordinis apud hanc sanctam sedem protectores seu visitatores aut commissarios cum eiusdem sanctae sedis participatione et auctoritate publicata fuerunt vel revocanda vel limitanda seu ad terminos constitutionum dicti ordinis reducenda sint, ideoque pro parte etiam dicti capituli nobis humiliter supplicari feceris, ut tibi de opportuna in praemissis facultate providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos votis tuis, quantum cum Domino possumus, annuere teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo et dicti capituli nominibus nobis per te super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi, ut in continuatione capituli generalis huiusmodi omnia et singula, quae, ut praefertur, iuxta temporis exigentiam ordinata et per tuos in huiusmodi generalatus officio praedecessores seu protectores aut visitatores seu commissarios praefatos publicata fuerunt, et quae pro felici eiusdem ordinis gubernio vel revocanda vel limitanda seu, ut praefertur, ad terminos praefatarum constitutionum ordinis reducenda erunt, revocare, limitare vel, prout praefertur, reducere possis et valeas, apostolica auctoritate tenore praesentium plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur, non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon dicti ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenore praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 4. iunii 1629. pontificatus nostri anno VI.

M. A. Maraldus.

Pro felici igitur nostri ordinis gubernio et, ut faciliori remedio conscientiis fratrum nostrorum consulere possimus, auctoritate et facultate apostolica nobis, ut supra, concessa omnes et singulas ordinationes auctoritate apostolica roboratas tam pro toto ordine quam pro particularibus provinciis et conventibus a magistris ordinis, protectoribus, visitatoribus seu commissariis apostolicis hucusque editas et publicatas ad terminos constitutionum et ordinationum nostri ordinis reducimus et ita limitamus, ut in posterum vim quidem ordinationum, non autem auctoritate apostolica roboratarum et publicatarum, obtineant, ac proinde in eis earumque censuris et poenis magister ordinis eiusque successores pro tempore, seu illi, quibus ab ipsis commissum fuerit, sicut in caeteris omnibus nostri ordinis constitutionibus et ordinationibus ex rationabili causa dispensare et absolvere possint et valeant.

4. Item denuntiamus, sacram congregationem Rituum, sanctissimo domino nostro annuente, decrevisse festa sanctorum Hyacinthi et Catharinae Senensis in breviario Romano inserenda ac de eis per universam ecclesiam sub ritu duplici et semiduplici respective persolvenda.

5. Item denuntiamus, sacram congregationem Rituum die 20. decembris 1621 edidisse huiusmodi decretum in causa canonizationis beati Ludovici Bertrandi, scilicet: Discussa diligenter et mature perpensa de mandato sanctissimi d. n. in ordine ad canonizationem causa b. Ludovici Bertrandi Valentini ordinis praedicatorum, congregatio sacra Rituum, pluribus desuper habitis sessionibus, illustriss. card. Pignatello referente, censuit tuto posse sanctissimum d. n., quandocumque sibi libuerit, ad solemnem eiusdem beati Ludovici canonizationem iuxta sanctae Romanae ecclesiae ritum et sacrorum canonum dispositionem devenire eumque diffinire sanctum cum Deo regnantem atque universali ecclesiae proponere colendum ac venerandum.

Franciscus Maria card. a Monte.

Locus † sigilli.

Ioannes Baptista Rinuccinus secr.

6. Item denuntiamus, a sacra congregatione cardinalium concilii Tridentini interpretum decretum fuisse, fratres ordinum mendicantium nequaquam posse ab episcopis prohiberi, quominus per seipsos in dioecesibus, ubi habent conventus, eleemosynas quaerant, sed tantum, si extra loca, ubi monasteria existant, quaeritare voluerint, teneri suorum superiorum licentia ordinario ostendere.

7. Item denuntiamus, eandem sacram congregationem concilii decrevisse, quod quoties cadavera defunctorum ad ecclesias fratrum mendicantium deferuntur, officia mortuorum ac reliqua, quae in huiusmodi

ministerio adhiberi solent, non a canonicis neque a clero, sed a fratribus obiri ac peragi debere; cuius decretum est infrascripti tenoris scilicet:

Sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum saepius censuit, quoties cadavera defunctorum ad ecclesias fratrum mendicantium deferuntur, officia mortuorum ac reliqua, quae in huiusmodi ministerio adhiberi solent, non a canonicis neque a clero, sed a fratribus obiri ac peragi debere.

Cos. card. de Torres.

Locus † sigilli.

P. Fagnanus.

8. Item denuntiamus, sacram congregationem Episcoporum et Regularium decrevisse, archiepiscopos, episcopos caeterosque locorum ordinarios, ad quos confessarios approbandi ius spectat, non posse suspendere ab audiendis confessionibus regulares confessarios, alias ab ipsis libere approbatos, nisi nova superveniente causa ad ipsas confessiones pertinente vel ob non servatum interdictum ab eisdem ordinariis impositum. Insuper statuit, eosdem archiepiscopos, episcopos ordinariosque nullo modo adimere posse facultatem confessiones audiendi omnibus regularibus unius conventus simul, sacra congregatione inconsulta, per sequens decretum:

Statuunt insuper, eosdem archiepiscopos, episcopos locorumque ordinarios confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessariis, eadem sacra congregatione inconsulta, nullo pacto adimere posse. Quod quidem decretum, ut iidem illustrissimi patres opportunum et necessarium duxerunt, ita inviolabiliter iubent observari. Romae 10. novembris 1615.

A Mar. Episc. Hostien. card. Gallus.

Locus † sigilli.

V. Theat. secr.

Confirmationes.

1. Confirmamus id, quod pluries sancitum est, ut nullus praetextu praelaturae aut lecturae praeteritae, praedicaturae generalis sive alterius cuiuslibet officii sive etiam titulo paternitatis a sequela chori et hebdomadarii diu noctuque se existimet exemptum, magistris in theologia et lectoribus actu legentibus ac praedicatoribus actu praedicantibus dumtaxat exceptis, circa quos laudabiles provinciarum consuetudines serventur; a completorio vero, Salve Regina et officio mortuorum nullus eximatur; revocantes omnem licentiam et consuetudinem in contrarium.

2. Confirmamus id, quod saepissime, etiam auctoritate apostolica,

statutum est et sub formali praecepto ac poena privationis utriusque vocis, quorumcumque graduum et officiorum necnon excommunicationis latae sententiae mandatum, ne scilicet fratres quacunque ex causa audeant contra seriem nostrarum constitutionum et Bonifacii IX. et congregationis Regularium decreta ad quaecunque tribunalia extra ordinem constituta quoquo pacto appellare; quam legem sub eisdem poenis observandam innovamus.

3. Confirmamus ordinationem alias factam, ne fratres, cuiuscunque gradus, status et conditionis fuerint, pecunias vel bona quocunque modo et sub quovis titulo ab eis acquisita vel quomodolibet habita apud personas extra nostri ordinis obedientiam constitutas habere vel eis mutuo dare vel super iisdem negotiari lucrumque aliquod capere audeant; mandantes omnibus prioribus tam provincialibus quam conventualibus locorumque praesidentibus sub poena absolutionis ab eorum officiis, ut fratres in hoc delinquentes tanquam proprietarios et furti reos severe puniant eosdemque omnibus ac singulis pecuniis bonisque privent ac spolient, eaque omnia ad commune religionis depositum, cui ex nunc omnes pecunias ac bona praefata adiudicamus, Romam sub eadem poena quamprimum transmittant. Propterea universis totius nostri ordinis prioribus et locorum praesidentibus sub eadem poena mandamus, ut observari omnino curent constitutionem alias factam, qua praecipitur, ut omnes fratres semel in anno omnia mobilia, pecunias et bona quomodocunque ad eorum usum concessa iisdem prioribus ac praesidentibus scripto fideliter exponant ac provincialibus in eorum visitationibus exhibeant, eorum omnimodae dispositioni eadem libere relinquendo.

4. Confirmamus ordinationem multoties factam, ut omnes provinciales et vicarii congregationum sedulo curent, certam habere notitiam redituum suorum conventuum ac locorum bonorumque omnium tam mobilium quam immobilium eorumdem; quae libris authenticis distincte diligenterque sindicorum opera adnotata in communi archivio provinciae sive congregationis conserventur.

5. Confirmamus et inviolabiliter observari mandamus omnibus prioribus provincialibus ac conventualibus, ut fratres accusatores suorum fratrum apud quodcunque tribunal, qui in canonicis et iuridicis defecerint, poena talionis indispensabiliter puniant.

6. Confirmamus et innovamus ordinationem saepissime statutam contra deferentes lineas subuculas sub poenis in eadem ordinatione contentis; mandantes prioribus provincialibus, ut in suis visitationibus priores ac praesidentes conventuum, quos in huiusmodi ordinationis observantia procuranda reisque puniendis invenerint negligentes, a suis officiis absolvant.

7. Confirmamus ordinationem alias factam, ut magistri omnes, lectores et praedicatores tam verbo quam scripto sancti Thomae doctoris nostri doctrinam in omnibus fideliter sectentur ac tueantur, nec ab ea recedere sub poena privationis quorumcumque graduum et officiorum, perpetuae inhabilitatis ad ea recuperanda sub quovis praetextu audeant. Propterea etiam confirmamus et inviolabiliter observari mandamus, quod alias statutum est, ut in institutione quorumcumque magistrorum, baccalaureorum, lectorum ac praedicatorum teneatur quilibet ad huiusmodi gradus et officia promotus immediate post fidei prolatam professionem iurare, se s. Thomae Aquinatis doctrinam in omnibus sectaturum.

Ordinationes.

1. Ordinamus, ut ob singularem sancti Philippi Neri erga nostrum ordinem affectum festum ipsius celebretur in omnibus nostris conventibus die 26. maii sub duplici. Sub eodem etiam ritu duplici celebretur cathedra Romana s. Petri die 18. ianuarii cum memoria s. Priscae virginis et martyris, et festum s. Theresiae virginis 15. octobris; festum vero s. Margaritae virginis et martyris die proprio celebretur sub toto duplici.

2. Ordinamus, ut festum beati Ambrosii Senensis celebretur die 27. martii, et b. Iacobi Salomonii die 31. maii; festum autem sanctae Petronillae transferatur in sequentem diem scilicet primam iunii.

3. Ordinamus, quod in pronuntiatione hymni « Ave maris stella », fratres maneant genuflexi, usquequo absolvatur prima strophes.

4. Ordinamus, ut in exordio horarum officii beatae Virginis versiculo « Benedictus fructus ventris tui » addatur: « Iesus », et in « Confiteor », post nomen « Mariae » addatur: « semper virgini », et in collecta s. Thomae post verbum « confessoris » addatur: « atque doctoris ».

5. Ordinamus, ut in mane Parasceves omnes fratres procedant, praesertim ad adorationem s. Crucis, pedibus nudis, et superiores, qui in huiusmodi observantia executioni mandanda negligentes fuerint, severe puniantur.

6. Ordinamus et omnino prohibemus, ne societas sanctissimi Rosarii in monasteriis monialium aut oratoriis, quibus utriusque sexus fideles libere interesse nequeunt, instituatur. Item ut in illis locis, in quibus conventus ordinis non existit, erigatur dicta societas in ecclesiis parochialibus.

7. Ordinamus, ut, si aliqui confratres societatis sanctissimi Rosarii quidpiam contra privilegia et immunitates dictae societatis ordini concessas apud personas extra obedientiam ordinis constitutas attentaverint, statim ab eadem societate expulsi omnino sint ac denuntientur.

8. Ordinamus et innovamus omnes ordinationes in praeteritis capi-

tulis generalibus, praecipue vero Venetiis 1592, Vallisoleti 1605 admonitione prima, et Romae 1601 circa erectionem societatis sanctissimi Rosarii et propagationem cultus eiusdem. Item ordinamus omnibus prioribus et praesidentibus conventuum sub poena absolutionis ab eorum officiis, ut omnino curent in suis ecclesiis publice recitari a personis utriusque sexus rosarium ter in hebdomada iuxta ritum et modum Romanae provinciae. Item omnibus praefatis superioribus sub eadem poena praecipimus, ut omnia ad capellam sanctissimi Rosarii deservientia in sacristia conventus recondantur nec in alios usus convertantur.

9. Ordinamus, ut in omnibus provinciis Indiarum omnes introducant usum catechismi Romani, pro cuius faciliori et universaliori intelligentia per aliquem patrem linguam callentem in Indicum sermonem reddatur et praelo mandetur.

10. Ordinamus, quod sicut iuxta nostras constitutiones in unaquaque provincia decretum est, fieri commune depositum ad necessitates provinciae communes sublevandas, ita in hac alma Urbe instituatur commune totius ordinis depositum a magistro ordinis ad expensas faciendas pro celebrandis capitulis generalibus, pro redimendis fratribus captivis, pro mittendis fratribus ad provincias desolatas, pro causis beatificationis et canonizationis sanctorum ordinis promovendis, pro libris ordinis et fratrum eiusdem imprimendis et pro negotiis totius ordinis in hac curia et in aliis curiis imperatoris, regum et principum peragendis. Quod quidem commune totius ordinis depositum formetur ex pecuniis et bonis fratrum apud saeculares extra ordinem ubique locorum detentis, vel negotiationi aut lucro expositis, vel a fratribus proprietariis quomodolibet in vita possessis vel post eorum obitum relictis; ex bonis etiam fratrum extra conventum sine assignatione provincialis commorantium, vel eorum qui sine licentia magistri ordinis manent extra ordinem; quorum omnium bona, etiam dum vivunt, ipso facto sint communi ordinis deposito applicata, tum etiam ex bonis fratrum euntium ex una provincia ad aliam vel ex congregatione ad provinciam vel congregationem et in itinere morientium, ac etiam ex bonis fratrum, qui in aliena provincia decedunt, quorum dispositio iuxta nostras constitutiones etiam ordinationi magistri ordinis relinquitur, et denique ex pecuniis tanquam ab excommunicatis et proprietariis fratribus possessis, quas iidem fratres ex Indiis orientalibus vel occidentalibus vel aliis partibus contra prohibitionem a Pio IV. factam in sua constitutione sub datum Romae die 12. augusti 1562 et in capitulo generali Romae 1589 admonitione ultima acceptatam asportasse seu asportare praesumpserint, exceptis his, quae viatico suo verosimiliter necessariae fuerint, et a superiori suo in partibus illis existente per litteras suas pro dicto viatico fuerint taxatae; non

obstantibus quibuscumque ordinationibus capitulorum generalium in contrarium, quas ad effectum praesentium specialiter et expresse revocamus. Ad haec autem omnia bona et pecunias praedictas colligendas committimus magistro ordinis, ut in unaquaque provincia deputet collectorem, qui diligenter praedicta omnia conquirat, pertractet et exigat ac fideliter in hanc almam Urbem ad ipsum magistrum ordinis pro instruendo praefato communi deposito transmittat; cui collectori auctoritate etiam nostra omnem ad praedicta omnia exequenda necessariam conferat facultatem.

11. Ordinamus, ut, cum Iulius II. disposuerit, ne provinciales ultra quadriennium in officio provincialatus perseverent, ad uniformitatem durationis superiorum in nostro ordine servandam et regimen provinciarum et conventuum eiusdem utiliter et quiete administrandum provinciales durent in suis officiis quadriennio et priores conventuales triennio, exceptis provinciis, in quibus est speciale indultum apostolicum. Dictum vero provincialium quadriennium ab ipso electionis capitulo et priorum conventualium triennium a die et hora acceptationis eorumdem incipiat. Praesens autem ordinatio tam quoad provinciales quam quoad priores sive praesentes sive futuros suum incipiat sortiri effectum ab ipsa die primae publicationis eiusdem in praesenti capitulo et diffinitorio factae; quoad vicarios vero congregationum dicta constitutio Iulii II. obsesvetur, ut videlicet triennium non excedant.

12. Ordinamus, in quadriennio priorum provincialium habendam congregationem intermediam ex certo vocalium numero, qui ex patribus provinciae, antiquioribus magistris et praecipuorum conventuum prioribus a provinciali in qualibet provincia designandorum constet. In huiusmodi congregatione fiat scrutinium de absolutione vel confirmatione provincialis, magistro ordinis vel diffinitoribus capituli generalis transmittendum, caeteraque ad commune provinciae bonum spectantia tractentur; non tamen in ea liceat diffinitores provincialis aut capituli generalis eligere vel petitiones provinciae formare vel praedicatores generales instituere nisi in illis provinciis, in quibus est circa hoc specialis dispositio ex indulto apostolico; instante vero electione magistri ordinis fiet capitulum provinciale pro eligendo diffinitore et electore.

13. Ordinamus, ut, quando in visitatione sive provincialium sive aliorum visitatorum aderit sufficiens causa absolutionis priorum conventualium sive ex culpa in suo regimine sive ex alia, quae non inducat infamiam personalem, ad legitimam huiusmodi priorum absolutionem sufficiat, ut de causa vere constet; et capita, quae adversus priorem a subditis in visitatione proponuntur, sint ab eisdem manu propria subscripta et visitatori tradita, ut admoneat priorem, ut ad obiecta sibi in

scriptis respondeat; quibus omnibus deinde a provinciali in consilio duodecim vel octo patrum, vel saltem quatuor in provinciis desolatis, in alio conventu examinatis ac discussis, statuatur, quid agendum fuerit. Hanc autem procedendi formam ita a nobis praescriptam sufficientem ad absolutionem declaramus, ut prior, qui secundum eam fuerit absolutus, de sibi denegata iustitia conqueri minime valeat. Si vero delicta prioris, adversus quem agitur, infamiam ordini et personae inurant, tunc iuris servato ordine iuridice procedatur; admonemus tamen patres provinciales eisdemque praecipimus, ne postremo sui officii anno praesertim infra tres menses ante finem absque urgentissima necessitate priores a suis officiis absolvant vel fratrum mutationes faciant, praeterquam in casibus in nostris constitutionibus expressis.

14. Ordinamus et omnino inhibemus omnibus diffinitoribus capituli provincialis, ne auctoritatem priori provinciali immutandi, diminuendi, augendi vel alio quovis modo disponendi acta capituli provincialis concedant. Item prohibemus omnino prioribus provincialibus, ne, quae communi capituli provincialis auctoritate sancita sunt, sua privata auctoritate rescindant; quod si secus fiat, totum sit irritum et inane.

15. Ordinamus et patribus provincialibus omnino mandamus, ne fratrem aliquem praedicatorem generalem instituant nec instituendum in capitulo provinciali proponant, nisi prius facultate ac iussu eiusdem provincialis a patribus moderatoribus studii generalis provinciae, non perfunctorie, sed exacte examinatus et approbatus fuerit. Fratres vero, qui ad huiusmodi munus iuxta nostras constitutiones approbati ceterisque iuxta earumdem praescriptum requisitis ornati inventi fuerint, poterunt quidem a patre provinciali vel vicario provinciae, quod ordinamus per modum inchoationis, cum dispositio constitutionis conditae, quando provinciales cessabant ab officio solum per mortem vel amotionem, locum in pluribus provinciis habere non possit, una cum diffinitoribus in capitulo congregatis praedicatores generales institui; numquam tamen hi erunt aut censebuntur voce ceterisque privilegiis donati, nisi a patribus provinciae una cum provinciali et diffinitoribus in capitulo congregatis per vota secreta fuerint acceptati. Quod si secus fiat, totum sit irritum et nullum. Provinciales vero ac diffinitores praedicti inviolabiliter observabunt, id quod saepius iuxta constitutiones sancitum est, ne scilicet praedicatorum generalium numerus conventuum provinciae numerum excedat. Nullus demum instituatur nec acceptetur praedicator generalis, nisi designato prius illi conventu, pro quo institutus sit et in quo semper commorari debeat, ita ut, si in huiusmodi conventu, pro quo institutus est, non permanserit, nullo modo voce gaudeat, nisi forte a superioribus alibi assignaretur vel occuparetur in officio prioris, supprioris

et vicarii alicuius loci, magistri novitiorum, sindici, confessoris monialium vel lectoris et praedicatoris actu legentis vel praedicantis. Declarantes hanc ordinationem eos praedicatores generales non afficere, qui ante praesens capitulum alias instituti et approbati vocis possessione gaudebant.

16. Ordinamus, ut promovendi ad quoscumque gradus examinentur primum in studiis generalibus suarum provinciarum a patribus moderatoribus eorumdem; quos in Domino monemus, ut prae oculis habeant excommunicationis sententiam iam latam, quam nunc etiam praesenti statuto ferimus adversus examinatores, qui indignos approbant vel recipiunt. Qui vero in studiis generalibus seu conventibus, privilegiis studii generalis gaudentibus, pro gradu et forma legerint ceterisque omnibus requisitis omnino satisfecerint, ad aliud examen pro gradibus assequendis non amplius teneantur iuxta ordinationem Romae 1601.

17. Ordinamus, ut in omnibus studiis generalibus singulis annis studentes omnes tam formales quam materiales in litteris et moribus coram priore et ceteris moderatoribus examinentur et culpabiles per vota secreta excludantur.

18. Ordinamus et in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto mandamus omnibus provincialibus, diffinitoribus, magistris et patribus provinciae, ut petitiones provinciae quoad gradus praecipue fiant solum in ipso capitulo provinciali ab admodum reverendo p. provinciali una cum diffinitoribus et patribus magistris et patribus provinciae in ipso diffinitorio simul congregatis. Quod si extra ab eis disiunctim et privatim clam huiusmodi petitiones factae fuerint, sint omnino irritae et nullae.

19. Ordinamus et omnino sub poena inhabilitatis ad omnes gradus prohibemus omnibus diffinitoribus tam capituli generalis quam provincialis, ne pro se ipsis gradus aliquos in capitulo generali petere valeant.

20. Ordinamus, ut in casu mortis vel amotionis prioris provincialis teneatur vicarius provinciae infra mensem indicere futuri capituli provincialis convocationem; et cum primum constiterit mors vel amotio provincialis, coacto duodecim vel ad minus octo patrum graviorum provinciae consilio, tempus, locum et cetera ad futuram electionem spectantia determinabit, sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda.

21. Ordinamus iuxta dispositionem sacri concilii Tridentini sess. 15. cap. 2., ut fratres reditus annuos quocumque titulo habentes, eos non per se, sed per sindicum nomine conventus exigant ac de eisdem in libro communis depositi tam pro receptis quam pro expensis rationem

reddat ipse sindicus. Contrafacientes vero poenam proprietariis debitam necnon etiam amissionis pecuniarum et quorumcumque bonorum ipso facto incurrant.

22. Ordinamus, ut provinciales adhibitis primum necessariis diligentiis circa scrutinium electionis prioris secundum nostras constitutiones et prudentiam adhibendis de consilio patrum huiusmodi electionem approbare vel cassare, prout in Domino iudicabitur expedire, quamprimum teneantur. Ipsi vero priores electi statim ac confirmationem receperint, eam acceptare vel recusare infra spatium trium horarum teneantur, die et hora acceptationis in iisdem litteris patentibus confirmationis propria manu coram duobus testibus descriptis, sub poena suspensionis ab eorum officiis ipso facto incurrenda.

23. Ordinamus, ut magister ordinis in qualibet provincia designet aliquem fratrem sibi probatum, qui sit collector bonorum, quae ad commune religionis depositum spectabunt; cui patres provinciales et priores pecunias ac bona, deposito communi adiudicata, absque ulla mora consignare teneantur sub poena absolutionis a suis officiis. Quae omnia et singula praefatus collector quamprimum Romam tute prudenterque transmittat, depositariis a reverendissimo institutis authentice consignanda; cui etiam, si ei videbitur expedire, committat collectionem suarum contributionum.

24. Ordinamus, ut tam priores provinciales quam conventuales in termino suorum officiorum rationem reddant status et administrationis suarum provinciarum et conventuum, provinciales quidem diffinitoribus capituli provincialis, priores vero patribus a consiliis.

25. Ordinamus, ut frater, qui per continuum decennium in aliqua ex Indiarum provinciis assignatus permanserit, intelligatur ita incorporatus ac translatus ad huiusmodi provincias, ut diffinitor et elector magistri ordinis ac procurator generalis eiusdem provinciae eligi possit, non secus ac si esset filius nativus provinciae, ut habetur in constitutionibus dist. 2. cap. 5. text. 6. lit. D.

26. Ordinamus pro provinciis Indiarum, ut cum ad electionem magistri ordinis per obitum vel amotionem praedictarum provinciarum fratres ob maximam ab alma Urbe distantiam opportune convocari nequeant, et si priores provinciales vel diffinitores et electores statuto tempore ad electionem venire vel ipsi respective eligi ad id munus non potuerint, assumantur et admittantur ad capitulum generale omniaque et singula munera et actus proprios diffinitorum et electorum, et si capitulum generale fuerit provincialium, etiam sociorum provincialium, patres procuratores generales dictarum provinciarum legitime instituti, dummodo tamen potiori iure admittantur et praeferantur ex huiusmodi procurato-

ribus illi, qui proprius ad praescriptum nostrarum constitutionum accedunt, ordine in eisdem statuto ac disposito dist. 2. cap. 5. lit. D. in glossa.

Item ordinamus pro iisdem Indiarum provinciis et concedimus, ut ad diffinitoris et electoris magistri ordinis officium legitime admitti possit diffinitor, qui propter aliud capitulum iam reperiebatur electus, nondum tamen suo munere perfunctus fuerat.

27. Item concedimus et declaramus diffinitorem, legitime electum capituli generalis, qui in capitulo immediate praecedenti diffinivit, iterum si opus fuerit, ad diffiniendum et eligendum admitti posse, non obstante nostra constitutione oppositum statuente, cum illa constitutio sit facta, antequam erigerentur provinciae Indiarum, ob quarum distantiam iam patet eiusmodi constitutionis apud illas observantia impossibilis. Hortamur tamen ac monemus in Domino omnes ac singulos patres provinciales diffinitoresque capituli provincialis dictarum provinciarum, ut tales procuratores eligant instituantque ad suarum provinciarum negotia pertractanda, quales eligerent in diffinitores electoresque, ut non minus digne ad supremae electionis munus assumantur, quam si in suis provinciis ad id iuxta nostrarum constitutionum praescriptum eligerentur.

28. Ordinamus, quod, cum ex nostris constitutionibus dist. 1. cap. 18. text. 5. frater, qui crimina quaecumque fratrum saecularibus et extra obedientiam nostri ordinis constitutis, unde fratribus vel ordini infamia fuerit subsequuta, revelat, poenae gravioris culpae et carceris sit subiectus, volumus eandem poenam ipso facto incurrere accusatorem et reum sive ipsorum procuratores fratres, qui in causis criminalibus, ex quarum notitia nostro ordini infamia inuritur, recurrunt ad saeculares advocatos, procuratores, iurisperitos seu quocunque modo auxiliatores sive patrocinantes sub quovis praetextu consulendi, informandi, scribendi seu patrocinandi, nisi forte in casu necessitatis, si reus nesciat se iuridice defendere nec habeat in ordine, qui iuridice eius defensiones facere possit, suppresso nomine ordinis, actoris, rei et testium aliquem ex peritis sub secreto consulat.

29. Ordinamus omnibus prioribus provincialibus, ut in qualibet provincia iuxta exigentiam et amplitudinem eiusdem statuant duos vel tres conventus praecipuos, vel si provincia exigua fuerit, unum saltem, in quibus vel in quo legantur assidue controversiae fidei et tractatus ad evangelicam praedicationem spectantes, ita ut in posterum nullus instituatur praedicator, nisi per tres annos theologiae et duos vel unum controversiis moralique theologiae operam dederit, alias eius institutio nulla sit.

30. Ordinamus complendam extructionem collegii concessi ac do-

tati ab illustrissimis dd. ducibus s. Ioannis Rotundi, quod acceptamus conformiter ad decretum sacrae congregationis de Propaganda Fide pro fratribus et alumnis Illyricis cum legibus et conditionibus in instrumento a reverendissimo patre magistro ordinis approbato.

5 **Declarationes.**

1. Declaramus in nostris constitutionibus Barchinone impressis anno 1620 dist. 2. post cap. 16. « De certis detractionibus » omissum fuisse totum capitulum 17. immediate sequens, ideoque esse omnino ibidem restituendum ex antiquis nostris constitutionibus « De capitulo biennali 10 vel triennali ».

2. Declaramus nostram constitutionem et glossam dist. 2. cap. 4. text. 4. lit. D. sic esse intelligendam, primo quod si post capitulum generale mors vel amotio magistri ordinis contingat, et ante eius notitiam capitulum provinciale fuerit celebratum, et electio magistri ordinis cele- 15 branda sit in proximo festo Pentecostes in capitulo generali, quod sit diffinitorum, tunc diffinitor capituli generalis et eius socius in capitulo provinciali immediate praecedenti electi erunt magistri ordinis electores. Si vero capitulum electionis magistri ordinis fuerit provincialium, tunc duo ex diffinitoribus capituli provincialis immediate praecedentis, anti- 20 quiores in professione, erunt magistri ordinis electores, eorumque antiquior in ordine erit illo anno capituli generalis diffinitor. Secundo si post capitulum generale ante notitiam mortis vel amotionis magistri ordinis non fuerit celebratum capitulum provinciale, celebrabitur, et in eo duo electores a pluribus ultra medietatem eligantur, quorum unus erit capi- 25 tuli generalis diffinitor et alter elector. Tertio si ex quacumque causa diffinitor et socius vel electores praedicti non fuerint electi, nec suppetat tempus, ut eligantur, vel propter quodcumque iudicio discretorum legitimum impedimentum, tunc duo ex diffinitoribus immediate praecedentis capituli provincialis, qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt, 30 erunt magistri ordinis electores, et antiquior eorum in ordine erit diffinitor in capitulo generali electionis. Et secundum hanc declarationem intelligendam esse decernimus glos. dist. 2. cap. 8. lit. L.

3. Declaramus in nostris constitutionibus dist. 2. cap. 14. in fine glossae post mentionem constitutionis Sixti V. contra male promotos 35 addendum esse, quod Clemens VIII. constitutione sua, quae incipit « Romanus pontifex » sub datum Romae apud s. Petrum pridie kal. maii 1595 reduxit praefatam constitutionem Sixti ad terminos canonum et ad constitutionem Pii II., quae incipit « Cum ex sacrorum » et ad dispositionem etiam concilii Tridentini.

40 4. Declaramus circa cap. 15. dist. secundae nostrarum constitutionum, quod conversi in conventibus, in quibus possunt recipi, non obli-

gantur educari in domo novitiorum neque comprehenduntur in decretis de novitiis, sed servetur circa illos bulla Sixti V., qua praecipitur, ut habeant viginti annos completos et sint in doctrina christiana sufficienter instructi. Ita declaravit congregatio reformationis regularium die 20. iulii 1602.

5. Declaramus, quod in iis, quae de consilio patrum tractanda sunt et determinanda per vota secreta, patres a consiliis habent votum non solum consultivum, sed etiam decisivum; unde quando priores graviora negotia habent discutienda, de ipsis patres a consiliis praemonere teneantur, ut maturius ea decernant.

6. Declaramus, ordinationem capitulorum generalium irritantem receptionem ac professionem in nostro ordine eorum, qui in aliis ordinibus iam professi fuerant, intelligendam tantum esse de professis ab aliis religionibus eiectis.

7. Declaramus, quod in conventibus, ubi sunt sex vocales, si unus eorum voci renuntiaverit, et ipse deinde a quatuor ex eis eligatur, talis electio nulla sit, et huiusmodi renuntiatio in fraudem facta censeatur.

8. Declaramus, non obstante capituli generalis Parisiensis 1611 ordinatione 10., quod, ut vocales alicuius conventus possint eligere priorem, qui sit de corpore capituli, sufficiunt quinque electores, et prior electus a quatuor vocalibus erit canonice electus.

9. Declaramus ordinationem Vallisoleti 1605 statuentem, conversos ad habitum clericorum receptos non habere vocem nisi post 12 annos a susceptione habitus clericalis, esse inviolabiliter observandam, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

10. Declaramus ordinationem Romae 1580 statuentem, nullo modo instituendos esse vicarios in capite super priores conventuales nisi urgentissima causa magistro ordinis significata, sic intelligendam esse, scilicet ut provinciales, antequam vicarium in capite super priorem conventus instituant, teneantur monuisse magistrum ordinis, si citra montes adsit, si vero fuerit ultra montes, sat erit, ut provincialis de huiusmodi institutione vicarii a se facta et causa necessitatis urgentis ipsum quamprimum certiorem faciat.

11. Declaramus, quod, si contigerit diffinitorem capituli provincialis eligi ex illis, qui non sunt de corpore capituli, talis electus ex vi officii diffinitoris vocem non habebit nec ad electionem provincialis admittendus erit, provincia Graeciae tantum excepta.

12. Declaramus, quod, quando ius providendi conventui ad provincialem iuxta nostrarum constitutionum praescriptum devolvitur, si prior a provinciali institutus prioratum acceptare recusaverit, iam iterum tale providendi ius penes provincialem residebit, ita tamen ut semper pro-

vincialis, quoties ad ipsum electio vel institutio prioris devolvitur, id absque graviorum patrum consilio, quorum maiori parti stare debet, non exequatur.

13. Declaramus, quod, quando per constitutionem praefigitur vocalibus mensis electionis a die notitiae carentiae prioris, huiusmodi mensis exclusive a praefato die computandus est.

14. Declaramus, quod, si contigerit in electione magistri ordinis aliquem ex electoribus instante electionis tempore infirmum lecto decumbere, licebit patribus scrutatoribus e conclavi exire et ad huiusmodi infirmum pro voto tantum ab ipso secrete accipiendo accedere.

15. Declaramus, quod, quandocumque provincialibus grave aliquod negotium occurrit in alma Urbe pro sua provincia tractandum, tunc poterunt patrem aliquem gravem ad id idoneum Romam transmittere, ita tamen ut simul magistrum ordinis tam de negotio tractando quam etiam de necessitate talis transmissionis admoneant, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

16. Declaramus, quod, quando ex quacumque causa in electionibus quibuscumque quartus scrutator assumendus est, ille per suffragia publica ad fraudes tollendas eligatur, et non aliter.

17. Declaramus ordinationem ultimam capituli generalis Ulyssipone 1618, qua cautum est, ne quis ratione novae assignationis possit eodem anno duos eligere priores nec socios pro capitulo provinciali, exceptis regentibus, lectoribus et studentium magistris, qui studiorum promovendorum intuitu aliis conventibus assignati fuerint, ac etiam supprioribus de novo institutis, intelligendam esse non de anno ecclesiastico, sed de anno naturali, a die lati voti.

18. Declaramus, quod praecepta actorum capituli provincialis incipiant ab eorum promulgatione et durent usque ad promulgationem actorum sequentis capituli provincialis in quolibet conventu faciendam.

Admonitiones.

1. Admonemus patres provinciales, ut in litteris patentibus institutionis suorum visitatorum exprimant collatam eisdem auctoritatem, an scilicet tam supra capita quam supra membra conventus, prout visitationis necessitas postulabit. Quod si illam particulam in litteris patentibus non expresserint, tales visitatores auctoritate supra capita pollere minime censeantur.

2. Admonemus eosdem patres provinciales, ut in suis visitationibus diligenter scrutentur interiora fratrum vestimenta, sintne ex materia vel cum forma et colore mori ordinis congruo, caveantque summopere, ne religiosi saecularem vanitatem in vestibus imitentur; eos vero qui in huiusmodi deliquerint, huiusmodi vestibus privatos severe puniant.

3. Admonemus rogamusque reverendissimum magistrum ordinis, ne personis extra ordinem nostrum constitutis facultatem concedat erigendi societatem sanctissimi Rosarii in ecclesiis ad nostram religionem non spectantibus.

4. Admonemus reverendissimum patrem magistrum ordinis, ne unquam in posterum petat dispensationem a summo pontifice prorogandi celebrationem capituli generalis ultra tempus a nostris constitutionibus praefixum. Quod si aliquando summa rei necessitas prorogationem huiusmodi videbitur postulare, id non faciat, nisi praemonitis patribus provincialibus de huiusmodi prorogationis causis, et tunc tantum de maioris partis provincialium authentico assensu a summo pontifice huiusmodi prorogationis gratia petatur; cuicumque autem apostolico privilegio seu concessioni in contrarium obtentae in omnibus tenore praesentium renuntiamus.

5. Admonemus eundem reverendissimum patrem magistrum ordinis, ne curae monasteriorum monialium nostri ordinis commissorum renuntiet, cum id absque capituli generalis facultate consensuque facere nequeat; quod si secus fecerit, renuntiationes huiusmodi irritas omnino fore declaramus.

6. Admonemus patres provinciales eisdemque mandamus, ut a mutationibus et assignationibus fratrum extra capitulum ex quacumque levi causa faciendis omnino abstineant et nonnisi maxima necessitate urgente eos a conventibus, in quibus a capitulo assignati sunt, removeant; fratribus vero, qui ad aliquem conventum assignati transmittuntur, viaticum congruum a priore conventus, a quo removentur, omnino tribuatur sub poena absolutionis ab officio.

Commissiones.

1. Committimus magistro ordinis, ut a sanctissimo domino nostro nomine totius religionis enixe petat canonizationem beati Ludovici Bertrandi. Item ut curet canonizationem vel saltem beatificationem Pii V., et nomine provinciae Bethicae beatificationem fr. Pauli de s. Maria, et nomine provinciae Romanae approbationem beatificationis b. Iacobi de Mevania.

2. Committimus eidem reverendissimo patri magistro ordinis, ut privilegia sanctissimi Rosarii renovari, confirmari et ampliari omnino curet. Item ut sanctissimus per speciale breve nullas declaret omnes erectiones societatum sanctissimi Rosarii absque nostri ordinis licentia et facultate factas, taliumque institutionem tamquam subreptitie obtentam nullam declarari curet.

3. Committimus eidem reverendissimo, ut instituat eligatque patrem aliquem gravem, prudentem zeloque gloriae sanctorum nostri ordinis

ardentem, qui canonizationes et beatificationes fratrum ac sororum nostri ordinis, qui in communi existimatione sanctitatis vixerunt et obierunt, promoveat.

4. Committimus eidem reverendissimo, ut curet debitum honorem s. Thomae doctrinae adhibendum, et patres inquisitores, ut invigilare et in huiusmodi delinquentes animadvertere studeant, enixe rogamus.

5. Committimus magistro ordinis, ut in unaquaque provincia curet institui ac designari unum vel plures conventus, in quibus constitutiones ordinis ad unguem observentur, iuxta praescriptum earumdem dist. 2. cap. 20. in fine.

6. Committimus magistro ordinis, ut nomine diffinitorii agat cum sanctissimo domino nostro et augustissimo imperatore Ferdinando negotium recuperationis nostrorum conventuum et bonorum nostri ordinis in universa Germania, eidemque reverendissimo consulimus, ut a Germaniae provinciis suae primae visitationis sumat exordium.

7. Committimus reverendissimo, ut, quando pro maiori pace conventuum ipse iudicaverit expediens, obtineat a sanctissimo, ut inquisitores et vicarii eorumdem omnesque, qui in ministerio sancti Officii occupantur, non habeant vocem activam in conventibus, in quibus existunt.

8. Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut fratribus Anglis tot iam abhinc annis persecutionum et exiliorum tempestate iactatis conventum aliquem in Gallia vel Germania inferiori designet, in quo benigne recipi et religiose vivere valeant.

9. Committimus eidem magistro ordinis, ut patri alicui erudito iniungat collectionem omnium actorum capitulorum generalium et privilegiorum ac provisionum tam ad commune bonum totius ordinis quam singularum provinciarum spectantium, quae omnia in unum volumen ordinate collecta quamprimum praelo mandet.

10. Committimus eidem magistro ordinis, ut, adhibito eruditorum patrum consilio, libros ad divinum officium pertinentes ab erroribus, si qui in eis irrepserunt, purget, quae expungenda iudicabuntur, expungat et addat ea, quae ex mandato et beneplacito sanctae sedis sunt addenda.

11. Committimus admodum rev. p. provinciali Theutoniae et inquisitori Coloniensi, ut opera beati Alberti Magni typis excudi procuret.

12. Item p. magistro fr. Abraham Bzovio, ut historias ordinis nostri conscribat.

13. Item p. magistro fr. Ioanni Mur, ut tractet cum illustrissimo ac reverendissimo archiepiscopo Valentino editionem omnium operum patris magistri fr. Thomae Malvendae.

14. Item p. magistro fr. Timotheo Riccio, ut imprimenda curet statuta et ordinationes ad regimen societatum et congregationum sanctissimi Rosarii spectantes.

Concessiones.

1. Concedimus omnibus patribus provincialibus necnon etiam diffinitoribus praesentis capituli, ut quilibet eorum possit unum tantum ex sua provincia vel congregatione ad poenas gravioris culpae ante praesens capitulum damnatum ad omnes gratias ordinis restituere, dummodo se tali gratia dignum praestiterit.

2. Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus et singulis fratribus suae curae subiectis, ut semel tantum eligere possint aliquem patrem sacerdotem, audientiae confessionum expositum, qui ipsum ab omnibus censuris et peccatis, in quae ante horum publicationem incurrerit, absolvere possit. Idem absolutionis beneficium etiam monialibus nostris concedit.

Pro provincia Hispaniae.

1. Ordinamus, ut ab omnibus capitulis et congregationibus intermediis huius provinciae arceantur omnes, qui non sunt de corpore capituli, praeceptis sub poena inhabilitatis ad omnia officia adhibitis, nisi adsit expressa licentia provincialis ac diffinitorum.

2. Ordinamus et omnino prohibemus omnibus provincialibus et vicariis provinciarum et congregationum, ne in posterum fratrem aliquem ad hanc provinciam mittant nisi de expressa licentia magistri ordinis, Anglis et Hibernis exceptis.

3. Instituimus magistros in theologia rr. pp. fr. Aloysium de Spaña et Moncada, fr. Ioannem de Lerma, fr. Didacum de la Higuera, fr. Ildefonsum de Carmona, fr. Franciscum de la Cava, fr. Melchiorem de Mançano, fr. Ioseph de Perlines et fr. Andream Methimnensem, salvis tamen iuribus suae provinciae.

Instituimus praesentatos sacrae theologiae titulo praedicationis rr. pp. fr. Franciscum Emmanuelem, fr. Petrum Sanchez, fr. Martinum del Pozo, fr. Augustinum Gomez, fr. Didacum Osorium, fr. Ferdinandum de Valentia, et ad titulum lecturae fr. Didacum de Sanabria.

Pro provincia Tolosana.

1. Declaramus, admodum rev. p. fr. Bertrandum Barberium a reverendissimo praedefuncto fuisse legitime institutum provincialem Tolosanum, ideoque tanquam verum huius provinciae provincialem habendum, ipsique ab omnibus huius provinciae fratribus obedientiam omnino praestandam, sicut tenore praesentium in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto necnon sub poena privationis utriusque vocis omnibus ac singulis tam capitibus quam membris ad dictam

provinciam spectantibus omnimodam obedientiam eidem patri fr. Bertrando Barberio praefato praestari praecipimus.

2. Ordinamus, in hac provincia servandam constitutionem circa promovendos ad magisterium, ut videlicet prius legerint ac docuerint sacram theologiam toto integro tempore a nostris constitutionibus praescripto, secus ad magisterium non promoveantur nec admittantur. Item ordinamus, quod fratres, qui lauream doctoralem in aliqua universitate absque nominatione provinciae et licentia magistri ordinis susceperunt, ea priventur eademque privati et excommunicati declarentur.

3. Concedimus, quantum in nobis est, ut monasterium Castri Saraceni curae provincialis Tolosani restituatur, non obstante renuntiatione dictae curae a magistro ordinis praedefuncto in manus illustrissimi d. episcopi eiusdem loci facta, quam nullam omnino fuisse declaramus.

4. Committimus patri provinciali, ut nomine totius religionis oret christianissimum regem, ut priorissas monasteriorum nostri ordinis in suo regno existentium libere secundum nostras constitutiones eligi ac triennio tantum in officio durare permittat. Ipsis vero priorissis omnino praecipitur, ut de temporalium bonorum administratione patri provinciali pro tempore rationem exactissimam tempore suae visitationis reddant.

5. Committimus p. provinciali, ut diligenter recognoscat institutiones praedicatorum generalium conventus Burdegalensis exploretque, an ipsi habeant requisita ad talem gradum iuxta nostras constitutiones obtinendum, idque quamprimum magistro ordinis nuntiet.

6. Promovemus ad magisterium theologiae rev. p. fr. Petrum Barat. Instituimus baccalaureos rr. pp. fr. Ioannem Caburlaud, fr. Bertrandum Labbè, fr. Petrum Beghei. Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Renatum Comus, fr. Ioannem Lavargne, fr. Dominicum Brugielle, fr. Franciscum Chialeppe, servatis tamen servandis et pro conventibus sibi designandis in capitulo provinciali.

Pro provincia Franciae.

1. Ordinamus, ut fratres in capitulo Nivernensi celebrato anno 1628 ad gradus magisterii, baccalaureatus et licentiaturae a patre provinciali et diffinitoribus nominati et in posterum nominandi nullo modo ad praefatos gradus promoveri possint, nisi prius a magistro ordinis vel generali capitulo ad id licentiam obtinuerint; quod si secus fiat, totum sit irritum et nullum.

2. Concedimus, quantum in nobis est, sororibus nostri ordinis vocatis ad civitatem Pictaviensem pro construendo et erigendo novo monasterio, ut coeptum opus prosequi possint, ea tamen conditione, ut nullam ad habitum recipiant, nisi secum dotem sufficientem pro victu et vestitu afferat.

3. Confirmamus omnes ordinationes a patre magistro ordinis praedefuncto in visitatione monasterii Pissiacensis factas, et reverendissimo magistro ordinis committimus, ut ordinationes eiusdem monasterii observandas curet.

4. Acceptamus conventum Castaneriacensem, constructum ac dotatum munificentia clarissimi d. Caroli de Virionones, domini Castaneriacensis, ea conditione, ut secundum mentem fundatoris duodecim in eo fratres ali possint.

5. Item acceptamus monasterium monialium Cabilonense et conventum Semorensem in dioecesi Heduensi sub cura admodum rev. patris provincialis, servatis tamen servandis.

6. Approbamus magisteria rr. pp. fr. Ioannis Godin et fr. Petri Pelican (1) in universitate Parisiensi.

7. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Marinum Campion et fr. Franciscum Gabori.

8. Instituimus in praedicatorem generalem p. fr. Abelem Ioubertum pro conventu sibi designando in capitulo provinciali.

9. Assignamus ad legendum actusque scholasticos pro forma et gradu usque ad magisterium inclusive perficiendos rr. pp. fr. Petrum Menestrier in facultate Pictaviensi, fr. Claudium Benaul in Andegavensi, fr. Henricum Ruth in Bituricensi, fr. Stephanum Vezuim in Cadomensi et fr. Nicolaum Fronier in Rhemensi.

Pro provincia utriusque Lombardiae.

1. Ordinamus, ut in convèntu Boschensi loco missae, quae prima sexta feria cuiuslibet mensis olim solemniter celebrabatur pro anima Pii V., celebretur in posterum missa sanctissimae Trinitatis, sicut fit ex ordine sacrae congregationis Rituum in eius anniversario Romae in ecclesia s. Mariae Maioris, ubi corpus eius requiescit; et post completorium loco psalmi « De profundis » dicatur psalmus « Domine, quis habitabit » cum collecta sanctissimae Trinitatis.

2. Ordinamus, ut vicarii locorum immediate subiectorum patri provinciali durent triennio, ita tamen ut ad provincialis libitum amoveri et confirmari possint.

Confirmamus ordinationem factam in capitulo Tolosano circa renovationem studiorum Boschensis, Cremonensis et Faventini, ordinantes, ut studentes studentium studiorum generalium privilegiis non gaudeant et nonnisi triennio expleto ad lectoratum examinari possint.

Confirmamus, quod alias Neapoli 1600 fuit ordinatum, ut iuvenes sive novitii in studio Bononiensi assignati singulis annis quoad mores

(1) De fr. Petro Pelican cf. SSOP. II, 650.

et litteras a patribus moderatoribus examinentur et per vota secreta approbentur vel reprobentur.

Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut nomine huius provinciae impetret a sanctissimo d. n. praescribi in ea numerum 24 magistrorum tantum, qui in posterum excedi nequeat.

Concedimus monialibus sanctae Catharinae de Ferraria facultatem celebrandi officium beatae Agnetis Montispolitiani qualibet secunda feria vacante.

3. Ordinamus, ut nullus lector assignetur in studio Bononiensi, nisi prius in aliquo alio conventu cursum philosophiae absolverit.

4. Item ut cursus philosophiae non excedat tempus triennii sicut nec cursus theologiae speculativae, moralis vero theologiae etiam triennio absolvatur. Quo termino elapso, omnes praefati lectores ipso iure et facto intelligantur in eodem conventu suum munus explevisse et lectores, qui cursum philosophiae expleverint, lectores theologiae moralis deputari pro habendis lectionibus theologiae speculativae et vice versa, dummodo studiose se gesserint et diligentes ac eruditi fuerint, iudicio et arbitrio patris provincialis; qui etiam poterit lectores magis egregios, cum in aliquo conventu suae lecturae terminum expleverint, ad alium conventum pro eodem munere transmittere. Qui vero expleto dicto termino ad lectiones habendas in eodem vel alio conventu non fuerint destinati, de gravamine aliquo sibi illato iure conqueri non possint.

5. Ordinamus numerum lectorum, qui in singulis conventibus assignari debent, esse infrascriptum, scilicet in conventu Bononiensi praeter consuetos patres studii moderatores et lectorem sacrae scripturae sint artium et philosophiae lectores tres; in conventibus Boschensi, Brixiensi s. Dominici, Cremonensi, Ianuensi s. Dominici et s. Mariae Castelli, Mantuano, Mediolanensi s. Mariae Gratiarum, Neapolitano s. Catharinae lectores sacrae theologiae et philosophiae duo; in conventibus Anconitano, Ariminensi, Casalensi, Caesenatensi, Comensi, Faventino, Ferrariensi s. Dominici et s. Mariae Angelorum, Firmano, Foroliviensi, Mutinensi, Papiensi, Parmensi, Pisauriensi, Placentino, Ravennatensi, Regiensi, Soncinensi, Veneto, Veronensi, Vicentino, Viglevanensi lectores theologiae duo et philosophiae unus; in conventibus Cremensi, Laudensi, Savonensi, Dertonensi sacrae theologiae et philosophiae lector unus.

In omnibus vero praedictis conventibus, in quibus consueverunt haberi in ecclesiis lectiones sacrae scripturae vel pater provincialis iudicaverit huiusmodi lectiones in posterum habendas esse, poterit etiam ad id munus unus ex praedictis lectoribus vel alius arbitrio patris provincialis destinari.

In ceteris vero conventibus provinciae non assignetur nisi unus pro

fratribus iuxta praescriptum nostrarum constitutionum; qui etiam tenebitur habere lectiones sacrae scripturae in ecclesia nisi forte in iis tantum conventibus, in quibus degunt novitii, pater provincialis iudicaverit alium lectorem sacrae scripturae, a lectore novitiorum distinctum, fore destinandum. 5

6. Ordinamus, ut, si in dictis conventibus plures lectores actuales assignati reperiuntur, quam in praescripta partitione contineantur, in eisdem pater provincialis nullum in lectorem assignet praeter lectorem actualem, donec expleto termino ad praescriptum in numerum redigantur, neque assignentur amplius lectores actuales in conventibus, nisi actu 10 ibi legant. Qui vero quacumque auctoritate pro primo loco vacante in eis assignati fuerint, a chori sequela et hebdomadaria ceterisque religionis consuetis oneribus nullo pacto exempti sint, nulloque lectorum actualium privilegio gaudeant, quousque actu locum vacantem occupaverint.

7. Ordinamus, ut nullus posthac examinetur in studentem formalem, 15 nisi prius totum philosophiae cursum audierit, neque alicui studenti sive lectori aut praedicatori, dum actu examinatur, concedatur amplius socius, qui dicitur auricularis, nec puncta examinandis assignentur, nisi certo horarum vel dierum numero consueto, ad eorum discussionem ipsis praefixo. 20

8. Approbamus affiliationes p. magistri fr. Vincentii Mariae de Corinaldo pro conventu Urbini a conventu Senogalliensi, p. fr. Benedicti de Braida pro conventu s. Mariae Gratiarum Patavii a conventu s. Ioannis Baptistae de Salutiis, p. fr. Petri Martyris de Cremona pro conventu s. Dominici de Cremona a conventu s. Iacobi de Soncino, p. m. fr. Fran- 25 cisci Coccini a provincia Romana et conventu Gradensi ad conventum s. Mariae Gratiarum Patavii, fr. Angeli Sperandio ad eumdem conventum Gratiarum a provincia Graeciae.

9. Approbamus magisterium rev. p. fr. Petri Martyris de Aquanigra, salvis tamen iuribus provinciae. 30

10. Acceptamus magisteria rr. pp. fr. Raymundi Montecuculi eiusdem provinciae provincialis, fr. Stephani de Auria provincialis s. Catharinae Senensis, fr. Michaelis de Tabia, fr. Ioannis Baptistae Bosellae, fr. Camilli de Soresina, fr. Thomae de Tabia, fr. Pauli Aegidii de Como, fr. Hippolyti Camilli de Mutina, fr. Ioannis Vincentii de Valentia, fr. Tho- 35 mae Turchii, quem etiam damus in regentem nostri studii Bononiensis, cum voce, loco ceterisque privilegiis, quibus ceteri magistri provinciae gaudere consueverunt.

11. Promovemus ad magisterium theologiae rr. pp. fr. Franciscum Coccinum, fr. Hyacinthum Crudelium, fr. Ioannem Baptistam Talianum, 40 fr. Antonium de Castronovo, fr. Hieronymum Camillum Figinum, ex-

pleto tamen triennio regentiae Pragensis, fr. Petrum Hyacinthum de Bononia et fr. Ioannem Gastaldum de Alassio (1); instituimus lectorem theologiae fr. Angelum Sperandio.

Pro provincia Romana.

1. Ordinamus, ut conventus s. Dominici de Aretio restituatur in statum et titulum prioratus pristinum, ipsique pro hac prima vice a magistro ordinis de priore immediate provideatur.

2. Ordinamus, ut novitii simplices non educentur in conventibus, in quibus regulariter non sunt ad minus vigintiquatuor fratres.

3. Ordinamus et statuimus, ut omnis lector artium suum cursum triennio absolvat nec ultra illud prorogare possit. Quo elapso, absque ulla declaratione a lectione et lectoratu privilegiisque omnibus actualis lectoris exclusus et privatus omnino sit et habeatur.

4. Ordinamus, ut nullus frater Romanae provinciae possit in collegium Romanum s. Thomae admitti, nisi prius in studio Querquensi biennio permanserit, nec ullus in dictum collegium admissus a provinciali lector institui aut ad lectoratus gradum examinari possit, nisi integro biennio in praefato collegio extiterit.

5. Designamus conventum sancti Marci de Florentia pro strictiori observantia.

6. Concedimus monialibus s. Catharinae de Senis almae Urbis, ut octavam solemnem de ea celebrare possint.

7. Approbamus a die acceptationis magisteria cum loco et voce rr. pp. fr. Francisci Mariae Campanae, fr. Vincentii Bartoli provincialis Trinacriae et fr. Zenobii Medices (2).

8. Acceptamus magisteria cum loco et voce rr. pp. fr. Zenobii Acciaioli, fr. Ambrosii Brandi, fr. Bernardini Quintilii, fr. Nicolai Magdaleni Capiferrei et fr. Thomae Sergrifii.

9. Acceptamus praedicaturas generales cum voce rr. pp. fr. Reginaldi Cecchini (3) pro conventu Pratensi, fr. Clementis Amati pro conventu Pistoriensi, fr. Hyacinthi Cambii (4) pro conventu s. Agnetis Montispolitiani et fr. Seraphini Pardini pro conventu s. Geminiani.

10. Declaramus praedicatorem generalem cum voce ceterisque privilegiis p. fr. Vincentium Macarinum iampridem institutum, et fr. Hieronymum Soderinum et fr. Cherubinum Vituccium fuisse legitime institutos praedicatores generales in conventu s. Miniati anno 1626 cum voce omnibusque gratiis provinciae.

---

(1) De fr. Ioanne Gastaldo de Alassio cf. SSOP. II, 582.
(2) De fr. Zenobio Medices cf. l. c. pag. 497.
(3) De fr. Reginaldo Cecchini cf. l. c. pag. 525.
(4) De fr. Hyacintho Cambio cf. l. c. pag. 544.

11. Promovemus ad gradum magisterii in theologia, salvis suae provinciae iuribus, rr. pp. fr. Petrum Paulum Tortellium, fr. Antoninum Nactium, fr. Dominicum Cimichettum, fr. Paulum Montelucium, fr. Thomam Veculum, fr. Angelum Boncompagnum, fr. Andream Blondium, fr. Ambrosium Violam (1), fr. Ignatium Ciantes (2), fr. Antonium Cellium (3), fr. Hyacinthum Lupum, socium reverendissimi p. magistri sacri palatii apostolici, et fr. Hyacinthum Pandulfum.

12. Instituimus praedicatores generales, salvis iuribus provinciae, rr. pp. fr. Michaelem Zazzaram pro conventu s. Mariae super Quercum et fr. Petrum Martyrem Frosciantem (4) cum voce ceterisque privilegiis pro conventu s. Salvatoris de Spoleto.

13. Damus in regentes collegii Romani s. Thomae Aquinatis super Minervam admodum rr. pp. magistros fr. Eugenium Iordanum et fr. Franciscum Fajardum.

Pro provincia Regni.

1. Ut, quantum fieri potest, religiosam mutuamque animorum unionem inter huius provinciae fratres statuamus, iniungimus reverendissimo p. magistro ordinis, ut huic povinciae summopere invigilet et alternativam in electionibus provincialium ac diffinitorum tam provincialium quam generalium electorumque ac priorum ab eadem provincia in praesenti capitulo instanter petitam concedat, sub ea tamen forma et ordine, qui suae prudentiae ad praefixum finem melior magisque expediens iudicabitur, disponat firmiterque stabiliat. Item ut fratribus congregationis sanctae Mariae Sanitatis huic provinciae annexis in participatione electionum, quae in capitulo provinciali huius provinciae fieri solent, modum aliquem aequiorem imponat.

2. Ordinamus omnibusque fratribus huius provinciae, cuiuscumque status, gradus et conditionis fuerint, omnino prohibemus, ne factiones seu partitas amplius enutriant vel schismata inter se foveant ipsisque quomodolibet sive per se sive per alios etiam extra obedientiam ordinis constitutos patrocinari audeant.

Item omnino prohibemus, ne quis palam vel occulte, opere vel sermone, huius vel illius partitae se esse profiteatur et iactet. Qui contrafecerint, utraque voce ipso facto privati sint et ab urbe Neapolitana ad dissitos aliarum provinciarum conventus a magistro ordinis perpetuo relegentur. Quod si conversi fuerint, praeter has poenas respective scapulari priventur.

---

(1) De fr. Ambrosio Viola cf. SSOP. II, 565.
(2) De fr. Ignatio Ciantes cf. l. c. pag. 620.
(3) De fr. Antonio Cellio cf. l. c. pag. 459.
(4) De fr. Petro M. Frosciante cf. l. c. pag. 636.

3. Ordinamus patri provinciali pro tempore, ut adversus fratres calumniatores et impostores omnino procedat et iuxta constitutionum nostrarum praescriptum dist. 1. de graviori culpa cap. 18. num. 5. in eos animadvertat. Qui alios fratres et praecipue superiores suos verbo vel scripto tam inter fratres quam apud superiores et personas extra ordinis obedientiam constitutas sive voce sive litteris sive falsis memorialibus calumnia impetierint vel diffamaverint, poenis gravioris culpae ac talionis de plano et sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, puniantur publicoque decreto in omnibus refectoriis conventuum provinciae perpetuo infames nullaque fide in omnibus ac per omnia digni declarentur iuxta praescriptum capitulorum generalium citatorum in glossa nostrarum constitutionum, ubi supra, § « si quis etiam » littera Q et singulariter capituli Romani 1601, ubi de mandato Clementis VIII. id statuitur, et Vallisoleti 1605 confirmatur.

4. Ordinamus patri provinciali et prioribus conventualibus pro tempore, ut contra fratres proprietarios procedant eosque pecuniis aliisque bonis omnino spolient Romamque per patrem collectorem ad huiusmodi munus destinandum in generali religionis deposito reponenda fideliter transmittant. Qui vero in vitio proprietatis mortui esse reperti fuerint, ecclesiastica sepultura priventur; et si provincialis aut prior haec implere neglexerint, a suis officiis absolvantur.

5. Ordinamus et omnino prohibemus omnibus ac singulis tam superioribus quam subditis, ne ullus absque licentia patrum a consiliis audeat pecuniam sive quaecumque alia bona a quibusvis personis sive intra sive extra ordinem constitutis titulo eleemosynae vel alio titulo pro aliqua fabrica, instauratione vel alio opere pio tam in ecclesia vel intra vel extra faciendo petere vel exigere. Qui vero cum praefata licentia id fecerit, de pecuniis omnibus bonisque exactis fidelem rationem praefatis patribus reddere teneatur, earumdem pecuniarum ac bonorum in libro communis depositi quantitate, qualitate nominibusque personarum largientium descriptis; qui vero in hoc deliquerint, utraque voce priventur.

6. Ordinamus et sub poena absolutionis ab officiis prioribus et praesidentibus locorum omnino prohibemus, ne bona fratrum defunctorum in propriam seu solam amicorum utilitatem convertant, distrahant aut vendant, sed immediate ante obitum vel post obitum fratris prior una cum suppriore et duobus patribus senioribus a consilio dictorum bonorum inventarium facere teneatur ab iisdem praesentibus subscriptum. Quae deinde bona usui conventus et fratrum vere indigentium necessitatibus applicentur, iustitia distributiva in omnibus servata de dictorum patrum voto.

7. Ordinamus et sub poena absolutionis ab officio omnibus prio-

ribus et conventuum praesidentibus mandamus, ut novitiis tam clericis quam conversis duobus mensibus ante tempus emittendae professionis consuetas protestationes coram duobus patribus a consiliis faciant, eosque clare moneant se tacitam professionem non incursuros, donec a patribus a consiliis et vocalibus conventus, pro quo habitum susceperunt, fuerint acceptati, servatis servandis. Si secus factum fuerit, ex nunc decernimus ac declaramus, huiusmodi novitios tacitam professionem non incursuros et expressam eorumdem nullam fore.

8. Item statuimus ac declaramus, nullum novitium sive clericum sive conversum ad professionem acceptari posse, nisi a patribus ac fratribus illius conventus, pro quo habitum suscepit; si secus fiat, acceptatio huiusmodi nulla prorsus sit, et acceptantes voce activa per tres menses sint privati.

9. Ordinamus et omnino prohibemus, ne numerus fratrum quaestuariorum sit maior binario; conversi vero vel tertiarii ad id munus destinati sint probatae vitae et religiosi exempli. Qui vero in aliquo deliquerint, dicto officio priventur et severe iuxta gravitatem delicti a patribus et praesidentibus puniantur.

10. Ordinamus, ut fratres hospites, cuiuscumque provinciae fuerint, benigne et charitative a superioribus recipiantur et tractentur iuxta designationes et partitiones conventuum a magistro ordinis faciendas sub poena absolutionis ab eorum officiis.

11. Ordinamus et ad petitionem patrum conventus s. Dominici de Neapoli concedimus, ut numerus studentium formalium dicti studii non excedat numerum vigintiquinque, ita scilicet ut duodecim sint ex alienis provinciis, inter quas alternativa secundum iustitiam distributivam servetur, et duodecim ex provincia Regni, quibus ex antiquo privilegio et consuetudine unum ad libitum quilibet provincialis pro tempore superaddere possit, ita tamen ut nunquam sint plures tredecim. Item prohibemus omnino, ne ullus pro aliena provincia, etiam desolata, in studentem formalem recipi possit, qui vere non sit talis provinciae filius; et si secus fiat, eius receptio nulla omnino sit et censeatur, et regens pro tempore a suo officio suspensionem incurrat. Quod si ex externis provinciis, praecipue dissitis, fratres ad studium venientes locum occupatum invenerint, designetur illis a patre provinciali aliquis conventus studii, ubi commorentur, quousque locus vacaverit.

12. Ordinamus, ut singulis annis fiat examen studentium tam formalium quam materialium de litteris et moribus eorumdem a solis patribus moderatoribus studii privatim, et proficientes per vota secreta approbentur, deficientes vero reprobentur; qui ipso facto statim a studio et conventu s. Dominici exclusi ac remoti sint et intelligantur, sicuti et-

iam quicumque examini se subiicere recusaverint, eodem prorsus modo exclusos et remotos esse volumus ac declaramus.

13. Mandamus et inviolabiliter observari volumus, ut studentes quotidie sacrum persolvant ad satisfaciendum oneribus ecclesiae. Quod si aliqui quater saltem in hebdomada non celebrasse tribus vicibus reperti fuerint, a studio exclusi et a conventu s. Dominici omnino remoti sint, sicut ex nunc prout ex tunc ipso facto eos exclusos et remotos esse absque ulla alia declaratione de novo facienda decernimus ac declaramus.

14. Ordinamus et auctoritate apostolica designamus et erigimus in domum novitiorum totius huius provinciae conventum montis Dei de Neapoli, in quo novitii tantum pro quocumque conventu privatim recepti statim immediate ad educandum collocentur et in eadem usque ad sacerdotium sub obedientia ac disciplina magistri novitiorum permanere teneantur.

15. Omnino vero prohibemus, ne aliquis frater tam provinciae quam extra in praefato conventu montis Dei assignari, deputari vel collocari possit praeter magistrum novitiorum eiusque coadiutorem, artium lectorem, sindicum et tres conversos novitios. Praefati vero magister, coadiutor, lector et sindicus omnes sint probatae vitae et ex strictiori observantia et a magistro ordinis, cuius curae immediate dictum conventum exclusive quoad alios superiores in omnibus et per omnia subiicimus, eligantur ibique assignentur.

16. Ipse vero magister novitiorum titulo prioris, eiusque coadiutor supprioris titulo gaudeat. Quoad victum et vestitum dictorum novitiorum, donec in huiusmodi domo permanserint, provideatur a conventibus, pro quibus ad habitum fuerunt recepti.

17. Completo dicto temporis spatio, pater provincialis, auctoritate sibi a magistro ordinis toties quoties opus fuerit petenda et conferenda, poterit dictos novitios in conventibus, quorum erunt filii, si facultate habendi novitios gaudent, collocare, dummodo in domo professorum clausi sub cura sui magistri vivant usque ad sacerdotium inclusive et non aliter. Illi vero novitii, quorum conventus originales praefata facultate carent, in conventibus dictam facultatem et professorium habentibus reponantur.

18. Ordinamus, ut iuxta praescriptum nostrarum constitutionum dist. de recipiendis cap. 13. lit. A. in glossa patres a consiliis in conventibus s. Dominici et s. Petri Martyris de Neapoli non sint nisi graduati, videlicet magistri, patres provinciae, priores praeteriti eiusdem conventus, baccalaurei, praedicatores generales ac lectores usque ad numerum duodenarium, ita ut semper isti ceteris aliis praeferantur.

19. Erigimus in prioratum conventum nostrum Iesualdi, quem concedimus patribus strictioris observantiae eiusdem provinciae s. Marci de

Gavotis et s. Mariae Quercus Maioris de Cerza, quorum regimini et gubernio privative quoad alios dictum conventum perpetuis temporibus volumus esse subiectum, eidemque pro hac prima vice a magistro ordinis priorem a se institutum concedi iuxta praescriptum glossae dist. 2. cap. 1. in fine.

20. Acceptamus conventum construendum ab excellentissimo domino principe Forini, dummodo possit alere duodecim fratres.

21. Promovemus ad gradum magisterii theologiae rr. pp. fr. Thomam Aquavivam, socium reverendissimi p. magistri sacri palatii apostolici, fr. Paulum Caracciolum (1), fr. Michaelem Torres, fr. Athanasium de Magdalono, fr. Theodorum de Balneolo, fr. Albertum de Capua, fr. Seraphinum Spada, fr. Clementem a Tripalda, fr. Franciscum Mariam Venatum et fr. Hippolytum Mariam a Ponte.

22. Instituimus baccalaureos rr. pp. fr. Hyacinthum de sancta Gata, fr. Aloysium de Arpino, fr. Franciscum Porcellum (2), fr. Vincentium de Toro, fr. Gregorium Cepullo, fr. Ioannem Baptistam de Fragola, fr. Thomam de Vio, fr. Thomam Granvalle (3) et fr. Franciscum Biscionem.

23. Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Sebastianum Spinam pro conventu Caietano, fr. Ioannem Crispum pro conventu Capuano, fr. Dominicum de Martino pro conventu sanctissimi Rosarii civitatis Neapolitanae.

Pro congregatione autem Sanitatis promovemus ad magisterium sacrae theologiae rr. pp. fr. Ioannem Baptistam Falesium, fr. Seraphinum de Neapoli et fr. Petrum Elisium (4), cuius lecturam in officio baccalaurei ordinarii habitam approbamus.

Instituimus baccalaureos rr. pp. fr. Erasmum de s. Iuliano, fr. Dominicum de Castellaneta, fr. Ioannem Martium de Argentio, fr. Petrum Franchesium, fr. Reginaldum de Speculis, fr. Franciscum Maresca, fr. Calixtum de Missanello (5), fr. Ioannem Dominicum de Ianuario, fr. Aloysium de Neapoli et fr. Vincentium Fasolum.

Instituimus praedicatores generales fr. Iosephum Caggianum pro conventu s. Mariae Sanitatis et fr. Dominicum Polignanum pro conventu Vomeri.

Pro provincia Theutoniae.

1. Ordinamus, ut fratres huius provinciae ad alienas provincias absque licentia fugientes poenis a nostris legibus statutis omnino puniantur

(1) De fr. Paulo Caracciolo cf. SSOP. II, 541,
(2) De fr. Francisco Porcello cf. l. c. pag. 459.
(3) De fr. Thoma Granvalle cf. l. c. pag. 541.
(4) De fr. Petro Elisio cf. l. c. pag. 524.
(5) De fr. Calixto de Missanello cf. l. c. pag. 556.

et a provincialibus illarum provinciarum, ad quas fugiunt, ad hanc provinciam statim remittantur.

2. Omnino prohibemus sub poena excommunicationis latae sententiae omnibus huius provinciae fratribus, ne quis eius divisionem tentare audeat. Quod si aliquando superiorum auctoritate et voluntate dividenda iudicaretur, a separatione vicariatuum annexorum Austriae et Saxoniae huiusmodi divisionis initium desumatur.

3. Declaramus capitulum provinciale anno praecedenti celebratum legitimum fuisse, licet in eo non fuerit celebrata electio provincialis.

4. Declaramus, patrem provincialem huius provinciae pro tempore existentem in casu magnae distantiae a maioribus conventibus provinciae non teneri in confirmandis prioribus octo patres ad consilium vocare, sed quatuor saltem sufficere.

5. Concedimus conventui s. Ioannis Baptistae de Treveris, ut festum s. Theodolphi possit transferri in diem ultimum aprilis, dummodo festum s. Antonini non impeditum die 2. maii celebretur.

6. Designamus pro strictiori observantia iuxta praescriptum nostrarum constitutionum in glossa dist. 2. cap. 2. in fine conventum Augustanum, instantibus eiusdem conventus patribus.

7. Denuntiamus huic provinciae, auctoritate apostolica concessum fuisse, ut priores et priorissae, completo tempore suorum officiorum, possint immediate reelegi, toties quoties patri provinciali videbitur expedire, dummodo serventur conditiones concessionis. Item ut priores non habentes duodenarium numerum fratrum possint habere votum in electione provincialis ceterisque actibus provincialis capituli iuxta tenorem concessionis, ad quam nos referimus. Item ut fratres habentes octo annos a professione completos, voce passiva in canonicis electionibus gaudeant.

8. Acceptamus monasterium monialium in Steinach Curien. dioecesis sub cura ordinis, accedente tamen consensu reverendissimi ordinarii.

9. Promovemus ad gradus magisterii rr. pp. fr. Ioannem Endebroich, fr. Andream Alenvorst, diffinitorem huius capituli, et fr. Wipertum Rosembach.

10. Instituimus praesentatos rr. pp. fr. Petrum Visombroth et fr. Petrum Rompium, hac tamen lege, ut suas prosequantur lectiones servatisque servandis post annum ante festum Pentecostes titulo et loco gaudere incipiant. Item rr. pp. fr. Ioannem Philippum Fridth et fr. Nicolaum Naustatth, hac tamen conditione, ut eo ipso quo licentiaturam in universitate Coloniensi adepti fuerint, privilegiis tantum gaudere incipiant.

11. Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Conradum Lesr, fr. Davidem Winkler, fr. Augustinum Kreps, fr. Ioannem Dungeherum, fr. Nicolaum Lievinger, fr. Raymundum Veidembusch, fr. Willelmum

Erburg, fr. Nicolaum Frolich, fr. Iacobum Gabelium, fr. Uldaricum Pugliae, fr. Uldaricum Stompium, fr. Eustachium Mayer (1), fr. Urbanum Wirch, fr. Ludovicum Vuzroll pro conventibus sibi designandis in capitulo provinciali.

Pro provincia Poloniae.

1. Ordinamus, ut studentes vel lectores ex studiis externarum provinciarum, etiamsi in eisdem examinati et approbati ad lectoratum fuerint, denuo in studio generali Cracoviensi examinentur.

2. Prohibemus, ne in monasterio s. Mariae ad Nives Cracovien. plures quam triginta moniales recipiantur, donec praedictum monasterium ad formam ordinis consuetam deductum et constructum fuerit.

3. Concedimus huic provinciae, ut provisio magistrorum studii in generali studio Cracoviensi iuxta antiquam consuetudinem provinciae per patrem provincialem de consilio patrum provinciae fiat. Item concedimus, ut lectores primi in conventibus Posnaniensi et Lublinensi biennio actu theologiam legentes pro magistris studentium acceptentur.

Concedimus, ut sorores tertiariae Locavicensis et Petricoviensis monasteriorum ad habitum sororum de observantia et clausura, servatis servandis, transferantur.

4. Acceptamus locum in oppido Brzescae dioecesis Luceoriensis eumque in prioratum erigimus, servatis servandis.

5. Approbamus magisteria rr. pp. fr. Valeriani Grocolski provincialis, fr. Samuelis Wierskovii regentis Cracovien. et fr. Dominici Seniavski.

6. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Hyacinthum Kielecovski, fr. Albertum Laudantium, fr. Venceslaum Zabrevski; ad baccalaureatum vero p. fr. Petrum Paczfar, fr. Alexandrum Petricoviensem, fr. Raymundum Govorconium, fr. Gregorium Ottunovium, fr. Hyacinthum Koriski, fr. Paulum Mercensem, fr. Vincentium Ploch.

7. Damus in regentem studii Cracoviensis, expleto officio praesentis regentis, rev. p. fr. Dominicum Seniavski magistrum, pro baccalaureo vero eiusdem studii pro primo biennio rev. p. fr. Raymundum Miecelski et pro altero biennio rev. p. fr. Albertum Honoratum baccalaureum, in magistrum vero studentium pro hac vice tantum fr. Ioannem Baptistam Zamovski, sacrae theologiae baccalaureum.

8. Instituimus in praedicatores generales rr. pp. fr. Reginaldum Iaranovski et fr. Iosephum Kinovium pro conventibus sibi designandis in capitulo provinciali.

Controversiae de limitibus inter provinciam Poloniae et Russiae finem imponere volentes, auctoritate apostolica statuimus et declaramus,

---

(1) De fr. Eustachio Mayer cf. SSOP. II, 753.

illos debere esse medietatem distantiae inter extremos conventus respective utriusque provinciae, non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium ordinationibus, quibus eadem apostolica auctoritate derogamus.

Pro provincia Graeciae.

1. Ordinamus, ut decreta facta a patre provinciali praesente in sua visitatione, a magistro ordinis examinata, inviolabiliter observentur sub poenis in eisdem contentis.

2. Concedimus, ut provincialis pro tempore sit vicarius provinciae et electionis usque ad confirmationem et acceptationem provincialis electi eiusque praesentiam in provincia. Item quod socius provincialis pro tempore, dum fungitur officio socii, gaudeat titulo tantum et loco prioris s. Mariae de Modono, non tamen voce.

3. Damus facultatem patri provinciali, ut in conventu ss. Nicolai et Eliae insulae Zacynthinae possit instituere priorem eiusdem cum omnibus privilegiis et gratiis, sicut etiam in notato loco s. Pauli de Candia, quem acceptamus, non obstante quod non possit alere duodecim fratres, praehabito tamen assensu apostolico. Interim vero ipsum titulo vicariatus gaudere volumus, quousque aedificium absolutum et reditus eiusdem, prout opus est, stabiliantur. Mandantes patri provinciali pro tempore, ut fratres, qui in dicto loco degunt, ab ipso ibi assignentur, et ideo in alio conventu vocem non habeant.

4. Instituimus magistrum rev. p. fr. Benedictum Bortolinum baccalaureum.

Pro provincia Aragoniae.

1. Ordinamus, in nostro Dertosensi collegio observandam in posterum alternativam in electionibus rectoris, regentis et lectorum theologiae et philosophiae, ita ut ex tribus theologiae lectoribus unus sit ex regno Cataloniae, alter ex regno Aragoniae et alius ex regno Valentiae; rector vero, regens et lector artium alternative sint ex tribus nominatis regnis.

2. Ordinamus, ut nullus possit institui lector artium nec ad officium praedicationis exponi, quin prius theologiam per quatuor annos audierit, praecipimusque pp. moderatoribus sub formali praecepto, ut nullum ad praedictorum munerum examen admittant, quin huiusmodi conditionem adimplevisse authentice constiterit.

3. Ordinamus in conventu insulae de Ivisa, ut priores absentes electi et confirmati non intelligantur incipere sui officii tempus nisi a die, quo litterae patentes confirmationis in dicto conventu ipso praesente lectae fuerint; propterea mandamus omnibus praedictis prioribus, ut infra spatium octo dierum a sua confirmatione versus praefatum conventum iter recto tramite arripere teneantur.

Item ordinamus, ut visitator ad dictum conventum missus non possit

eiusdem vicarius institui, teneaturque per spatium saltem unius mensis suum munus absolvere, et fratres, quos reos invenerit, ibidem punire neque ad regnum Valentiae puniendos, nisi ex urgentissima causa et processu contra eos prius completo, mittere. Expensas vero visitationis arbitrio admodum rev. p. provincialis volumus esse taxandas. 5

4. Item praecipimus priori ac depositario dicti conventus sub poena privationis utriusque vocis, ut contributionem a civitate de Ivisa conventui pro fabrica collatam in alios usus convertere non audeant, sed fabricae eiusdem totam applicent.

Item ordinamus, ut filii dicti conventus in collegium Dertosense admittantur ac lectura iuxta eorum merita decorentur. 10

Tandem concedimus auctoritate apostolica, ut in dicto conventu possit esse domus educationis novitiorum cum quaternario saltem novitiorum numero.

5. Ordinamus in conventu nostro Valentiae et iuxta constitutionem Pauli V. lectionem linguae Hebraicae instituimus, pro cuius lectura p. fr. Ludovicum Marcum designamus cum omnibus gratiis et privilegiis lectorum actu legentium, praecipimusque admodum rev. p. provinciali, ut ex singulis huius provinciae regnis duos fratres ad dictam lectionem audiendam in praefato conventu assignet; cui etiam lectioni volumus omnino interesse omnes eiusdem conventus studentes, triennio peracto usque ad quadriennium completum, hac tamen conditione ut quarto anno primariam tantum theologiae lectionem audire teneantur. 15 20

Item pro dicto conventu ordinamus, ut expensae pro victu p. provincialis et sociorum extra tempus visitationis faciendae aequis portionibus dividantur inter istum conventum et conv. del Pilar; quod etiam fiat Caesaraugustae inter conventum praedicatorum et conventum s. Ildefonsi. 25

6. Item ordinamus, quod in dicto conventu s. Ildefonsi omnino commorentur viginti fratres assignati, ex quibus sex sint novitii in domo novitiorum, et in eo conventu vigeat regularis observantia et constitutiones ad unguem observentur iuxta mentem fundatoris et ordinationem 16. capituli Vallisoletani 1605; praecipimusque rev. p. provinciali pro tempore sub poena absolutionis ab officio, ut haec executioni mandari curet, quibuscumque in contrarium non obstantibus. 30

7. Concedimus conventui nostro Barchinonensi, ut celebrare possit festum translationis s. Raymundi sub toto duplici. 35

8. Item conventui nostro Illerdensi, ut celebrare possit festum s. Nicasii episcopi et martyris, eiusdem patroni, sub toto duplici die 16. decembris.

9. Item conventui nostro praedicatorum Valentino, ut quolibet die lunae, in quo nullum sit festum, celebret officium s. Vincentii. 40

10. Concedimus conventui nostro del Pilar Valentino, ut celebret festum s. Mariae del Pilar sub toto duplici die proprio, et conventui nostro de Manressa, ut celebret festum s. Apolloniae sub toto duplici; et conventui nostro Oscensi, ut celebret festum s. Sabinae sub duplici die proprio; et monasterio monialium s. Agnetis Caesaraugustano, ut celebret officium sub toto duplici de s. Geltrude; et monasterio monialium s. Catharinae Senensis Valentino, ut celebret festum eiusdem sanctae cum octava solemni et festum s. Quiteriae sub duplici; et monasterio monialium s. Magdalenae Valentino, ut dominica infra octavam nativitatis b. Mariae celebret officium s. Mariae de Charitate sub nomine solemnitatis et ritu toto duplici.

Item concedimus huic provinciae, ut celebret festum s. Georgii martyris sub toto duplici et s. Petri ad Vincula sub duplici.

11. Confirmamus erectionem domus s. Mariae Annuntiationis de Charlet in prioratum, factam in praecedenti capitulo generali, instituimusque priorem et praedicatorem generalem eiusdem conventus p. fr. Petrum Torres.

Confirmamus erectionem domus sanctae Mariae de Orcajo in prioratum in dicto capitulo factam, et instituimus priorem et praedicatorem generalem eiusdem conventus p. fr. Vincentium Ortin.

Item erigimus domum s. Mariae del Pilar Valentiae in prioratum instituimusque in priorem et praedicatorem generalem dicti conventus p. fr. Iacobum Ballester, praecipimusque in isto conventu pro strictiori observantia a nobis designato constitutiones nostras ad unguem observari iuxta praescriptum earundem in glossa dist. 2. cap. 2. in fine.

Erigimus praeterea domum s. Raymundi de Teruel in prioratum instituimusque eius priorem p. fr. Raphaelem Saider et praedicatorem generalem eiusdem p. fr. Matthaeum Valerum, servatis servandis, et dummodo omnes isti conventus possint alere duodecim fratres, et non aliter.

Erigimus in studium generale huius provinciae conventum Gerundensem, de Aierve et civitatis de Xativa cum omnibus gratiis et privilegiis ceterorum studiorum generalium nostri ordinis.

12. Concedimus conventibus nostris s. Honuphrii et de Tremp et Oscen., ut lectores eorumdem pro gradu et forma magisterii in eisdem legere valeant.

13. Damus conventui Barchinonensi in regentem rev. p. magistrum fr. Vincentium Ferreres et in magistrum studentium pro biennio immediate sequenti p. fr. Iosephum Arnet.

Item approbamus in eodem conventu institutionem lectoris theologiae pro saecularibus cum conditionibus et privilegiis in litteris patentibus fundationis expressis et p. provinciali concessis.

14. Damus conventui Illerdensi in regentem rev. patrem magistrum fr. Ioannem Mur, et in lectores theologiae pp. fr. Ioannem Baptistam Rosel, fr. Hyacinthum Minguet et fr. Hyacinthum Solivera, ex quibus minor in professione et lectura exerceat officium magistri studentium, in lectorem vero artium damus p. fr. Clementem Sisteller.

15. Damus conventui Gerundensi in regentem rev. p. fr. Dominicum Ximenes et in lectores theologiae rr. pp. fr. Antoninum Lobera praesentatum et fr. Franciscum Roger.

16. Damus conventui Perpiniani in regentem rev. p. fr. Petrum Iust et in lectorem theologiae p. fr. Thomam Noguera et in lectorem artium p. fr. Dominicum Villalta.

17. Damus conventui Caesaraugustano in lectores theologiae rr. pp. fr. Athanasium Sthevan magistrum, fr. Laurentium Cairosa praesentatum et fr. Bernardum Romeo et in magistrum studentium p. fr. Thomam Nogueras.

18. Damus conventui Aierve in regentem rev. p. magistrum fr. Petrum de Gurrea et Borja et in lectorem theologiae rev. p. fr. Franciscum Amiguet, alios vero duos theologiae lectores instituat admodum rev. p. provincialis.

19. Damus conventui Oscensi in regentem rev. p. fr. Petrum de Urive magistrum et in lectores theologiae pp. fr. Franciscum Sanches praesentatum et fr. Ludovicum Guaso.

20. Damus conventui de Tremp in magistrum studentium pro biennio immediate sequenti p. fr. Franciscum Morera et in lectorem artium p. fr. Raphaelem Vidal.

21. Damus conventui Valentino in regentem rev. p. magistrum fr. Gasparem Catala de Monsonis.

22. Damus conventui de Xativa in regentem rev. p. m. fr. Andream del Faus et in lectores theologiae rr. pp. fr. Raymundum Badia praesentatum et fr. Raymundum Mena et in magistrum studentium p. fr. Ioseph Angaroth et in lectorem artium p. fr. Ioannem Isaac.

23. Pro regno Cataloniae promovemus ad magisterium rev. patrem fr. Vincentium Ferreres pro loco vacante p. magistri fr. Antonii Burguera praedefuncti, et ad eius praesentaturam vacantem promovemus p. fr. Benedictum Puig ad petitionem provinciae.

Pro regno Aragoniae promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Ildefonsum Baptista et fr. Dominicum Laberita, primum quidem pro primo loco vacante p. m. fr. Ioannis Foix praedefuncti, et secundum pro loco vacante p. m. fr. Hyacinthi Gascon praedefuncti, et ad praesentaturas eorumdem vacantes promovemus rr. pp. fr. Laurentium Cairosa et fr. Franciscum Sanchez.

Item promovemus ad magisterium rev. p. fr. Petrum Iust cum voce, loco et omnibus privilegiis et ad eius praesentaturam vacantem promovemus r. p. fr. Thomam Roger.

Pro regno Valentiae promovemus ad magisterium rev. p. fr. Gasparem Català pro loco vacante p. magistri fr. Hyacinthi de Castro praedefuncti, et ad eius praesentaturam vacantem promovemus rev. p. fr. Raymundum Badia, et instituimus praesentatum supranumerarium p. fr. Henricum de la Torre.

24. Pro regno Aragoniae instituimus praesentatum titulo praedicationis rev. p. fr. Thomam Ramon (1) praedicatorem generalem pro loco vacante p. fr. Petri a Barca defuncti.

25. In regno Cataloniae instituimus praedicatores generales patres fr. Antonium Soler (2) pro conventu de Peralada, fr. Thomam Sempors pro conventu de Colibre, et pro prima vacante praedicatura generali conventus Barchinonensis fr. Thomam Planes.

In regno Aragoniae instituimus praedicatorem generalem pro conventu Oscensi p. fr. Gasparem Ram.

In regno Valentiae instituimus praedicatores generales pp. fr. Philippum Bru pro conventu de Xativa, fr. Ioannem Baptistam Domps pro conventu de la Olleria, fr. Vincentium Michon pro conventu s. Annae de Albaida, fr. Iacobum Forner pro conventu de Aiodar, fr. Petrum Martyrem Martì pro conventu de Almenara, fr. Dominicum Caprasio pro collegio Oriolano, fr. Hieronymum Trobat pro conventu Inca, fr. Ioannem Monfre pro conventu de Ivisa.

26. Acceptamus affiliationem p. fr. Hieronymi Prats praedicatoris generalis a conventu Gerundensi ad Barchinonensem, iam in capitulo provinciali Caesaraugustae 1625 acceptatam.

Item acceptamus magisterium cum loco et voce ceterisque privilegiis magistris provinciae acceptatis concessis rr. pp. fr. Lamberti Novella, fr. Petri Canadilla, fr. Petri Gurea et Borja, fr. Achatii March (3), fr. Francisci Fajardo et fr. Antonii Ribas.

Pro provincia Bohemiae.

1. Pro reformatione et bono regimine huius provinciae praecipimus omnibus prioribus et conventuum praesidentibus sub poena absolutionis a suis officiis et privationis utriusque vocis per triennium, ut nullo modo locent agros, pabuleta, prata, praedia, pagos, villas, sed per suos servos colonos vel subditos suos agros colant; nec fructus eorumdem quoquo

---

(1) De fr. Thoma Ramon cf. SSOP. II, 480.
(2) De fr. Antonio Soler cf. l. c. pag. 459.
(3) De fr. Achatio March cf. l. c. pag. 613.

pacto vendant, nisi prius facto computo de necessariis pro victu fratrum et semente necessaria pro agrorum cultura; ex quo id, quod supererit, vendi poterit et ex eius pretio de necessariis conventui provideri. Provinciali vero pro tempore existenti praecipimus, ut contrafacientes a suis officiis statim absolvat.

2. Ordinamus, ut p. provincialis praelo mandet decretum sacrae congregationis concilii Tridentini de bonis regularium non alienandis illudque ad omnes senatus civitatum regni Bohemiae, ubi adsunt conventus ordinis, transmittat.

3. Praecipimus omnibus fratribus tam huius provinciae quam externarum in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae atque sub formali praecepto necnon sub poena carceris ad biennium, ne in regno Bohemiae et marchionatu Moraviae totoque districtu huius provinciae acceptent parochias aut curam animarum; ne vero ordinariis locorum, quorum coadiutores sumus, in necessariis quoad curam animarum operam nostram denegemus, superiores conventuum ab ordinariis requisiti patrem provincialem admonebunt, qui, prout in Domino iudicabit expedire, religiosum aliquem gravem et idoneum pro parocho destinabit. Qui vero parochiis et ecclesiis praefecti fuerint, tam in spiritualibus quam temporalibus priori proximioris conventus omnino subiecti erunt, et dictarum parochiarum reditus, fructus et eleemosynae ad huiusmodi proximiorem conventum de iure spectabunt, ita ut dicti fratres parochi vel ecclesiis ordinariorum quomodolibet inservientes praefati conventus priori redituum, fructuum et eleemosynarum omnium fidelem rationem reddere teneantur. Praedictis autem parochis sive ecclesiarum ministris a patre provinciali assignetur congrua portio pro victu et vestitu ceterisque eorumdem necessitatibus; praecipientes patri provinciali pro tempore, ut fratres huic decreto inobedientes ad claustra omnino corrigendos reducat aliosque loco eorum substituat.

4. Praecipimus p. provinciali, ut summa diligentia quaerat ac recuperet omnes scripturas ad quemcumque conventum et hanc provinciam spectantes easque in unum volumen in forma authentica et probante redigat et earum exemplar unum in conventu s. Aegidii, aliud in conventu Viennensi provinciae Theutoniae et aliud in conventu s. Mariae super Minervam almae Urbis reponat.

5. Praecipimus p. provinciali et prioribus pro tempore sub poena absolutionis ab officio, ut omnes fratres fugitivos in ista provincia nunc existentes omnibus mediis iuris et facti ab ea expellant et ad proprias provincias remittant, et in posterum nullos similes nisi in carceribus recipiant, e quibus non educantur, nisi prius in scriptis sese ad proprias provincias statim reversuros sub poena triremium per triennium obligaverint.

6. Ordinamus, ut frater, qui erit assignatus ad inserviendum nationi Gallicanae in ecclesia s. Leonardi, nullo modo extra claustra, sed in conventu sicut ceteri fratres vivat; ideoque praesenti statuto quemcumque fratrem pro tempore praefato servitio destinatum decernimus ac declaramus assignatum in nostro conventu s. Aegidii, ita ut omnino patris provincialis et prioris dicti conventus obedientiae in omnibus subditus sit; si secus fecerit, ipso facto administratione dictae ecclesiae et utraque voce privatus existat, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

7. Praesenti statuto omnibus patribus ac fratribus, qui a magistro ordinis ad hanc provinciam ad theologiam et philosophiam profitendam missi fuerint, lectoratus et baccalaureatus et magisterii palmam in suorum laborum praemium designamus, ita ut lectores tribus, baccalaurei sex, et magistri octo annis in suis assiduis lectionibus laudabiliter completis a magistro ordinis ad huiusmodi gradus omnino promoveantur, servatis servandis.

8. Concedimus huic provinciae, ut, donec conventus s. Aegidii aere alieno exoneratus fuerit et ad commodiorem statum restitutus, non teneatur ad studium formale habendum, neque studentes tam provinciae quam exteri gaudeant ullis dispensationibus, et a provinciali assignari possint in conventibus fratrum penuria laborantibus, quorum litterarios labores loco studii formalis acceptamus et triennio absoluto ad lectoratum examinari posse concedimus.

9. Committimus p. provinciali, ut pro sua prudentia tres saltem domos pro educatione novitiorum in praecipuis conventibus provinciae designet, in quibus sex vel saltem quatuor novitii educentur, servatis servandis.

10. Admonemus in Domino omnes patres provinciales Germaniae, Galliae, Hispaniarum et Italiae, ut quando de licentia magistri ordinis aut eius voluntate aliqui huius provinciae filii ad praedictas provincias studiorum causa missi fuerint, eos in conventibus, ubi studia et observantia regularis vigent, collocent litterisque ac moribus imbuant eosque suis studiis absolutis ad hanc provinciam recto tramite reversuros remittant; qui vero redire noluerint vel distulerint, utraque voce privati et ad quoscumque religionis gradus inhabiles sint.

11. Promovemus ad gradum magisterii rev. p. fr. Dominicum Alanum et ad baccalaureatum fr. Vincentium Fabri.

12. Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Franciscum Krobazki, fr. Albertum Erbestum, fr. Stephanum Zchiboski, fr. Abrahamum de Passovia et fr. Gregorium Semelium, servatis servandis et pro conventibus sibi designandis a capitulo provinciali.

13. Declaramus, p. fr. Gregorium Matthaei esse legitimum filium nostri conventus s. Laurentii civitatis Iabuloniae.

Pro provincia Provinciae.

1. Auctoritate apostolica restituimus et integramus isti provinciae conventus Massiliae, Arelate, Carpentoracti et Cavallionis, ex quibus simul cum conventibus Aquensi, Toloni, Tarasconi, Niciae, Grassiae, Draguigniani, Cistarici, Diensi, Semensi, Vapincii, Buxii, Barcinonen., Arauxiae et Brianzoni, excipimus Valentinum vicario congregationis Occitanae pro tempore subiectum, non tamen ab hac provincia separatum, conflata et composita perpetuis futuris temporibus ista provincia Provinciae subsistat.

2. Designamus conventum Avenionen. nostrae congregationis Occitanae pro novitiatu, ut tot in eo recipiantur novitii huius provinciae, quot fratres nativos tam dicti conventus Avenionensis quam Valentini in aliis conventibus haec eadem provincia sustentabit.

3. Concedimus monialibus Podii, s. Stephani Langovaci et Vivariensi, ut liceat eis celebrare octavas solemnes s. Catharinae Senensis.

4. Concedimus huic provinciae augmentum magistrorum et baccalaureorum usque ad numerum duodenarium.

5. Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Philibertum Portanum, fr. Iacobum Tornerium, fr. Ioannem de Rives, fr. Hyacinthum Thaon, fr. Claudium Cortem, fr. Petrum Clavier, salvis iuribus suae provinciae.

6. Instituimus baccalaureos rr. pp. fr. Honoratum Arnandum, fr. Ioannem Gerardum, fr. Ludovicum Baion, fr. Balthassar Dufort, fr. Antonium Passardum, fr. Hyacinthum Rebon et fr. Petrum Brogulum, salvis iuribus suae provinciae, et dummodo sit locus vacans.

7. Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Hyacinthum Hilarium, fr. Raymundum Poignet, fr. Antoninum de Ille pro conventibus iisdem destinandis a capitulo provinciali.

Pro provincia Dalmatiae.

1. Ordinamus, ut omnes praesidentes Iadrae debeant necessario esse graduati vel saltem praedicatores, alias ad huiusmodi munera eligi non possint.

2. Ordinamus, ut congregatio intermedia provinciae fiat ex magistris et patribus provinciae, praedicatoribus generalibus et prioribus, ordine tantum infrascripto, scilicet quod prima vice intersit congregationi prior Iadelphinus, Sebenicensis et Tragurinus, secunda vice prior s. Crucis Spalatensis et Bolensis, tertia vice prior Pharensis, Civitatis veteris, Corchulensis et Cattarensis; eodemque modo et ordine in sequentibus congregationibus retrocedatur.

3. Prohibemus omnino translationem filiationum fratrum a con-

ventibus minoribus ad maiores huius provinciae et iam factas omnino annullamus.

4. Prohibemus sub poena absolutionis ab officio p. provinciali pro tempore, prout multoties in aliis capitulis generalibus prohibitum fuit, ne fiant assignationes priorum pro conventibus, in quibus actu sunt priores, et factae nihil valeant pro electione futuri prioris.

5. Revocamus omnes assignationes factas a visitatoribus in ista provincia cum taxato temporis termino, ita ut per provincialem mutari non possint, easque in libera eius potestate collocamus.

6. Remittimus ad hanc provinciam filios eiusdem in aliis provinciis commorantes, studii tantum causa excepta.

7. Declaramus rev. p. magistrum Cornelium Nassium inquisitorem Iadrensem rite et canonice electum fuisse in diffinitorem praesentis capituli generalis una cum rev. p. fr. Innocentio Parmesano de Almissa, electore in capitulo Sebenicensi hoc anno celebrato, riteque admodum rev. p. fr. Ambrosium Luciceum de Spalato eidem capitulo tamquam legitimum provinciae caput interfuisse votumque tulisse, non obstantibus frivolis protestationibus pp. fr. Nicolai Vitalis et fr. Cornelii Uticensis.

8. Concedimus p. fr. Cypriano de Tragurio, ut servatis servandis possit affiliari in conventu s. Dominici de Tragurio a conventu s. Crucis de Bua, et fr. Simoni de Sebenico a conventu Segnensi ad conventum s. Dominici de Sebenico, dummodo huiusmodi filiationes non sint a conventu minori ad maiorem.

9. Privamus praesenti decreto p. fr. Cornelium Uticensem, priorem olim Iadrensem, utraque voce et ad omnia religionis officia perpetuo inhabilitamus, eo quod reverendissimo patri vicario generali apostolico in acceptando et recipiendo rev. p. magistrum fr. Cyprianum Philippum studii Iadrensis regentem ab ipso datum obedire noluerit.

10. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Ambrosium Luciceum, fr. Innocentium Parmesanum et fr. Dominicum Gledia, salvis tamen suae provinciae iuribus.

11. Instituimus baccalaureos rr. pp. fr. Gregorium Griolam, fr. Thomam Ducium, fr. Evangelistam Numiceum, fr. Victorium Grimani.

12. Confirmamus in praedicatores generales rr. pp. fr. Angelum de Spalato et fr. Nicolaum Tombam in capitulo Sebenicensi iam institutos, dummodo quilibet eorum pro aliquo conventu determinato institutus sit, in quo vivere teneatur iuxta ordinationem in hoc capitulo factam.

Pro provincia Trinacriae.

1. Ordinamus, ut in ista provincia magistri studentium sint biennales et baccalaurei triennales tantum.

2. Ordinamus, ut studentes formales in studium non cooptentur, nisi litteras testimoniales de suorum morum ac vitae integritate patrum a consiliis conventus, a quo recesserunt, habuerint et a studii moderatoribus examinati et per vota secreta approbati fuerint. Quod si huiusmodi moderatores aliquem fratrem in studium absque praevio examine receperint, in poenam suis officiis priventur, talisque fratris receptio nulla sit.

3. Ordinamus, ut omnes studentes singulis annis quoad litteras et mores examinentur ac per vota secreta approbentur vel reprobentur; idem fiat in examine ad officium lectoratus; alias receptio et institutio lectoris nulla sit.

4. Confirmamus omnes ordinationes editas in capitulo provinciali proxime Panormi celebrato sub admodum rev. p. magistro fr. Vincentio Bartolo, tunc vicario et commissario generali provinciae.

5. Restituimus ad pristinas gratias ordinis pp. fr. Placidum Alegra et fr. Thomam Anglisanum, ita tamen ut iste sola voce activa gaudeat.

6. Damus in regentem nostri studii Panormitani rev. p. magistrum fr. Ioannem Vincentium Candia et in baccalaureum p. fr. Augustinum Mancusam.

7. Committimus rev. p. provinciali, ut pro primo et secundo biennio tam in studio Panormitano quam Messanensi instituere possit magistros studentium et baccalaureos, iuris ordine servato.

8. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Decium la Barca, fr. Laurentium Bertolum, fr. Petrum Ravida, fr. Franciscum Crippa, fr. Augustinum Rossi, fr. Gregorium Cataldo, fr. Hyacinthum Canizaro, fr. Dominicum Campesium, si cum eo sanctissimus dispensaverit.

9. Instituimus baccalaureos rr. pp. fr. Angelum Romanum, fr. Antoninum Cicala, fr. Angelum Iepez, fr. Raymundum Patania, fr. Augustinum Spuches, fr. Placidum Leanti, fr. Franciscum Salaphia (1), fr. Bonaventuram de Messana, fr. Thomam de Monte Albano, fr. Vincentium Fidelem, fr. Thomam Canizaro, fr. Aloysium Graecum et fr. Scipionem Castellettum, dummodo tamen quisque suo tempore in studio generali baccalaureatus officio fungatur.

10. Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Antoninum Donzelli, fr. Matthaeum Mazoni, fr. Vincentium Calogero (2), fr. Vincentium Celli, fr. Thomam Salaphia, fr. Hyacinthum de Blasi, fr. Iulium Trabona et fr. Vincentium Bladum, servata tamen forma examinis et designatione conventuum in praesenti capitulo praescripta, quae designatio in proximo capitulo provinciali omnino fiat, alias praesens institutio nulla prorsus sit.

---

(1) De fr. Francisco Salaphia cf. SSOP. II, 601.

(2) De fr. Vincentio Calogero cf. l. c. pag. 674.

Pro provincia Portugalliae.

1. Ordinamus, ut omnia monasteria monialium, sive sint subiecta provincialibus sive prioribus conventualibus, deinceps habeant suos vicarios peculiares; ideoque admodum rev. p. provinciali pro tempore praecipimus, ut praesens decretum executioni omnino mandet, ita tamen ut huiusmodi vicarii vel saltem dictarum monialium confessarii apud dicta monasteria commorentur, ipsarum monialium expensis alendi et sustentandi, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

2. Ordinamus, ut assignati pro officio vicarii conventuum tam monialium quam fratrum, completo suo officio, maneant assignati in conventibus, quorum sunt filii.

3. Mandamus, ut praefigatur numerus monialium conventus s. Annae de Leiria iudicio et arbitrio p. provincialis de consilio patrum, habita ratione redituum dicti monasterii.

4. Concedimus monialibus Annuntiatae, ut possint celebrare festum translationis s. Thomae Aquinatis die 28. ianuarii sub toto duplici.

5. Acceptamus breve apostolicum a sanctissimo d. n. Urbano VIII. concessum sub datum Romae die 6. iunii 1629 pont. anno VI., in quo conceditur facultas magistro ordinis, ut in diffinitorio de consensu provincialis et diffinitoris provinciae possit facere, ordinare et statuere circa gradus magisterii et praesentaturae, quicquid sibi visum fuerit expedire. Cuius vigore instituimus sacrae theologiae magistros rr. pp. fr. Emmanuelem Maçedo et fr. Christophorum Carbon cum loco, voce ceterisque gratiis et privilegiis et dispensationibus, absque alia acceptatione provinciae, et acceptamus magisterium admodum rev. p. fr. Emmanuelis Telles provincialis pro loco vacante per obitum p. magistri fr. Ioannis de Valdares sine alia acceptatione provinciae.

6. Dispensamus cum rr. pp. magistris fr. Thoma de Roccha, fr. Ignatio Galvao, fr. Emmanuele Rebello (1), concedentes eis, ut absque alia provinciae acceptatione loco et voce gaudeant, ita tamen ut in locis vacantibus magistrorum de numero subintrent nec ab aliis magistris huiusmodi loca occupari possint.

7. Item promovemus ad gradum magisterii, salvis iuribus provinciae, rr. pp. fr. Antonium Barbosa, fr. Antonium Chortinbo, fr. Andream de sancto Thoma, fr. Ioannem Vasconcellum et fr. Alvarum de Castro.

8. Exponimus ad praesentaturam pro gradu et forma magisterii, salvis iuribus provinciae, rr. pp. fr. Stephanum Bortello, fr. Ioannem de Cruce, fr. Philippum de Medeiros, fr. Ferdinandum de Cruce et fr. Raphaelem a Fonseca.

---

(1) De fr. Emmanuele Rebello cf. l. c. pag. 499.

9. Extendimus numerum denarium praesentatorum huius provinciae usque ad numerum duodenarium, et pro primo instituimus praesentatum rev. p. fr. Antonium Variam (1), pro secundo p. fr. Paulum de Sousa.

10. Instituimus praedicatores generales pro primo loco vacante p. fr. Franciscum de Torres, pro secundo p. fr. Sebastianum de Angelis pro conventibus sibi designandis in capitulo provinciali.

11. Mandamus rev. p. fr. Augustino de Plagis praedicatori generali, ut sedulo curet canonizationem martyrum de Solor et fr. Bartholomaei de Martyribus, archiepiscopi Bracarensis.

Pro congregatione Indiarum orientalium provinciae Portugalliae annexa.

1. Concedimus huic congregationi, ut vicarii nationum auctoritas prorogetur usque ad publicationem capituli provincialis.

2. Acceptamus pro eadem congregatione domos de Columbo, de Nagapatan, de Meliapor, de Tanaha et de Meym.

3. Extendimus auctoritate apostolica numerum praesentatorum huius congregationis ad quatuor, et pro primo istorum locorum instituimus praesentatum pro forma et gradu magisterii p. fr. Ludovicum de Cruce et fr. Thomam de Barros lectorem.

4. Committimus reverendissimo patri magistro ordinis damusque eidem omnem nostram facultatem, ut disponat de negotiis huius congregationis, sicut ei videbitur.

Pro provincia Baeticae.

1. Acceptamus breve apostolicum pro provincia Baetica etc., datum Romae die 1. iunii 1629 pont. an. VI., in quo cum sit nobis tributa facultas statuendi circa socios conventuum solitos transmitti ad capitulum provinciale, mandamus sub poena privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrenda, ut praedicti sòcii nullatenus eligantur; quod si electi fuerint, sub eadem poena mandamus, ne ad electionem provincialis admittantur.

2. Eadem apostolica auctoritate sub eisdem poenis praecipimus omnibus dictae provinciae superioribus pro tempore, ut eodem modo et forma, qua congregandi et convocandi erant vocales pro electione socii prioris euntis ad capitulum provinciale, convocent et congregent eos pro scrutinio faciendo pro retentione vel amotione prioris, quod una cum duobus scrutatoribus iuxta praescriptum nostrarum constitutionum fiat. Scrutinium vero tradatur patri praedicatori generali conventus, diffinitorio capituli ab ipso fideliter exhibendum, cui, si absens fuerit, transmittatur. Si vero legitime impeditus ad capitulum non iverit, teneatur supprior

(1) Idem esse videtur ac Antonius Vareja, de quo SSOP. II, 459.

transmittere dictum scrutinium ad aliquem patrem designandum a patre provinciali vel vicario provinciae in litteris convocatoriis capituli. Quae omnia et singula supradictis supprioribus, scrutatoribus et vocalibus respective sub eisdem poenis observari et executioni mandari praecipimus.

3. Ordinamus et praecipimus sub formali praecepto necnon sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda omnibus fratribus huius provinciae, ne quis absque licentia provincialis ad capitulum provinciale vel congregationem intermediam, non spectans ad civitatem vel oppidum, in quo capitulum vel congregatio praedicta celebratur, accedere audeat, declarantes omnes inobedientes ad quoscumque gradus et officia in eisdem capitulis sive congregationibus distribuenda inhabiles fore.

4. Praecipimus patribus provincialibus et prioribus sive praesidentibus conventuum, in quibus praefata capitula vel congregationes celebrantur, ut a superfluis expensis in fratrum epulis abstineant.

5. Eadem auctoritate apostolica magistro ordinis nobisque ad hoc specialiter concessa numerum trigintaquatuor praesentatorum, qui ratione lecturae in hac provincia erat praefixus, extendimus usque ad quadragenarium; qui perpetuo firmus maneat et nonnisi ex habentibus requisita iuxta specialia eiusdem provinciae iura constet.

6. Eadem auctoritate apostolica supradicta statuimus in perpetuum, ut ex praedicatoribus eximiis huius provinciae duodecim possint institui praesentati pro praedicationis titulo, qui omnes gaudeant loco caeterisque gratiis et privilegiis praesentatorum numeralium eiusdem provinciae, in quorum institutione servetur alternativa eiusdem provinciae in gradibus conferendis statuta tam in gradibus numerariis quam supranumerariis.

7. Prohibemus omnibus prioribus et praesidentibus conventuum sub poena suspensionis a suis officiis per sex menses, ne sub ullo praetextu aut occasione permittant recitari completorium ante coenam sive hyeme sive aestate, diebus festivis et recreationum exceptis.

8. Acceptamus et, quatenus opus sit, de novo concedimus patronatum excellentissimo duci de Medina Sidonia, utpote qui ex praeclara Gusmanorum progenie ortum ducens de nostro ordine benemeritus est, volumusque eum libere potiri et gaudere omnibus privilegiis, quibus huiusmodi patroni de iure vel approbata consuetudine potiri et gaudere consueverunt.

9. Acceptamus concordiam inter excellentissimos dd. marchiones de Aiamonte, perpetuos patronos nostri conventus Reginae Angelorum Hispalensis, et reverendissimum p. fr. Seraphinum Siccum nostri ordinis generalem magistrum et istam provinciam, secundum ea quae iam fuerunt acceptata a capitulo provinciali eiusdem provinciae.

10. Item ad gratias ordinis recipimus utriusque ordinis confratres societatum animarum purgatorii et nominis Iesu in conventu s. Mariae Gienen. fundatarum. Idemque beneficium impartimur confratribus societatis Crucifixi in conventu s. Dominici de Alcazar fundatae.

11. Acceptamus et de novo concedimus et confirmamus ordinationes omnes a magistro ordinis praedefuncto pro bono regimine huius provinciae factas sub datis Romae 15. aprilis 1625 et ab eadem provincia acceptatas cum omnibus in eis contentis.

12. Concedimus omnibus conventibus tam fratrum quam monialium huius provinciae, ut possint celebrare festum s. Brunonis confessoris et s. Teresiae virginis diebus ab ecclesia designatis sub toto duplici.

13. Concedimus omnibus monasteriis monialium huius provinciae, ut possint celebrare octavam solemnem s. Ioannis Baptistae et festum s. Ioannis ante portam Latinam sub toto duplici.

14. Concedimus monasteriis monialium s. Mariae de Gratia Hispalen. et s. Mariae Angelorum et s. Mariae Conceptionis Gienen., ut possint celebrare festum s. Geltrudis virginis sub toto duplici et translationis s. Andreae apostoli sub toto duplici die 9. maii.

15. Concedimus monialibus monasterii Matris Dei Hispalen., ut possint celebrare festum s. Benedicti abbatis sub toto duplici, et monialibus s. Mariae Incarnationis oppidi de Almonte, ut possint celebrare festum s. Agathae sub toto duplici.

16. Concedimus monialibus Matris Dei de Vado oppidi de Gibraleon, ut possint celebrare octavam solemnem nativitatis beatae Mariae et Annuntiationis dominicae, dummodo homiliae feriales quadragesimae non omittantur, et absolvant ante dominicam in Ramis, et dominica infra octavam fiat officium de ipsa dominica cum sola memoria de octava.

17. Erigimus in prioratum domum s. Dominici de Gusman oppidi de Niebla, instante excellentissimo duce de Medina Sidonia, eiusdem loci domino, si tamen praedictus conventus habeat reditus, ut possit alere continuo duodecim fratres; quo casu creamus priorem dicti conventus p. fr. Didacum de la Fuente, quem etiam instituimus praedicatorem generalem dicti conventus.

18. Acceptamus magisterium rev. p. fr. Ioannis Baptistae de Valdespino cum loco et voce omnibusque gratiis et privilegiis magistrorum eiusdem provinciae, auctoritate apostolica ad hoc nobis specialiter concessa.

19. Promovemus ad gradum magisterii et praesentaturam in theologia respective omnes admissos in petitionibus factis ab admodum rr. pp. provinciali et diffinitore huius provinciae iuxta concessionem apostolicam eis specialiter factam. Item iam promotos acceptamus et magistrorum dictae provinciae consortio incorporamus, dispensantes super nu-

mero, dummodo habeant alia requisita secundum iura provinciae. Volumus tamen et statuimus, ut dicti magistri statim ac loca praefata magistrorum numeralium vacaverint, in eisdem succedant, antiquitatis ordine servato.

20. Declaramus institutiones praedicatorum generalium pro locis in futurum vacantibus in hoc capitulo expeditas esse intelligendas secundum ordinem antiquitatis professionis inter ipsos patres institutos. Quod etiam intelligimus respectu eorum, qui in praecedenti capitulo Tolosano pro locis in futurum vacantibus sunt instituti, servatis servandis in conventione alternativae facta.

Pro provincia Germaniae inferioris.

1. Ordinamus et omnino prohibemus, ne in hac provincia, ex diversis nationibus constante, quisquam in posterum nationum divisiones tentare audeat; qui secus fecerit, ipso facto constante, utraque voce et quocumque gradu ac officio statim privatus sit et per admodum rev. p. provincialem ita privatus declaretur.

2. Concedimus huic provinciae, ut possit capitulum intermedium omittere eiusque loco congregationem patrum provinciae facere, in qua omnia et singula, quae in capitulo intermedio fieri solent, fieri poterunt, ita tamen ut institutio praedicatorum generalium a patre provinciali electo una cum diffinitoribus capituli provincialis et magistrorum provinciae acceptatione semper fiat, alias nulla omnino sit.

3. Affiliamus, servatis servandis, p. fr. Vincentium Georgi ex conventu Traiecten. ad Insulen. et p. fr. Nicolaum Tilmans ex congregatione Occitana ad hanc provinciam pro conventu Traiecten. et fr. Danielem Azardt ex conventu Lovanien. ad Antverpien.

4. Instituimus magistrum in sacra theologia rev. p. fr. Ambrosium Cappello.

5. Augemus numerum magistrorum huius provinciae, ita ut duodenario superaddatur ex qualibet trium nationum unus.

6. Promovemus ad gradum licentiaturae rr. pp. fr. Robertum Lagare et fr. Adrianum Pacimans.

7. Promovemus ad gradum baccalaureatus pp. fr. Cornelium de Lier, fr. Ludovicum Olislaghers et fr. Andream Wilardeth.

Pro provincia s. Thomae.

1. Ordinamus, ut si aliquis moderator studii nostri generalis Andriae vel lector actualis alicuius conventus per integrum mensem a sui officii functione cessaverit, exceptis diebus vacationum consuetis, statim a patre provinciali suo officio spolietur. Quod si aliquis eorum tempore quadragesimae vel adventus de superiorum licentia conciones habendo a suo munere defecerit, tempore consueto vacationum annualium omnes lectiones omissas perlegere sub eadem poena teneatur.

2. Ordinamus, ut omnes studentes tam studii generalis quam cuiuscumque conventus singulis annis super tota lectura annuali praeterita tam theologica quam philosophica respective examinentur a moderatoribus studii in studio generali coram p. provinciali, in aliis vero conventibus ab examinatoribus a p. provinciali deputandis et coram ipso examinantibus, eosdemque per secreta suffragia approbantibus vel reprobantibus. Qui vero ad lectoratum promovendi fuerint, prius a patribus a consiliis per vota secreta in moribus approbentur, ac deinde in litteris a studii moderatoribus examinentur, alias promotio eorum nulla sit.

3. Concedimus p. provinciali pro tempore, ut, si aliquando per temporis angustias non liceat a magistro ordinis impetrare licentiam concionandi in adventu et quadragesima pro prioribus conventualibus extra suas ecclesias, possit ipse provincialis eam prioribus concedere, dummodo regimen conventus damnum aliquod ex prioris absentia non patiatur, non obstante constitutione capituli generalis Mediolanensis anno 1622.

4. Concedimus socio provincialis pro tempore, ut gaudeat titulo et loco tantum prioris Idruntini.

5. Concedimus, ut collectae huius provinciae solvantur a conventibus iuxta taxam in proximo capitulo provinciali Andriae celebrato factam.

6. Restituimus, quantum in nobis est, huic provinciae conventum Ferrandinae, impetrato tamen prius sanctissimi d. n. assensu.

7. Committimus admodum rev. p. provinciali tantum pro hac vice, ut instituat parochum conventus s. Mariae Maioris Griptolarum.

8. Committimus admodum rev. p. provinciali Regni, p. magistro fr. Gregorio Donato, ut visis processibus p. fr. Vincentii de Ferrandina et fr. Hyacinthi de Heritono conversi in triremibus existentium, si eos innocentes repererit, a triremibus eosdem educere et revocare possit et p. provinciali s. Thomae consignare.

9. Erigimus in prioratum loca sanctissimi Rosarii de Rupis et sancti Spiritus de Mure, dummodo possint alere duodecim fratres, ceterisque servandis servatis.

10. Transferimus affiliationem p. fr. Antonini de Trano a conventu Atellae ad conventum Ruborum, servatis servandis.

11. Approbamus magisterium cum loco et voce p. fr. Thomae a Grumo, a reverendissimo magistro ordinis praedefuncto promoti et a provincia iam acceptati.

12. Promovemus ad magisterium, salvis iuris provinciae, rr. pp. fratrem Dominicum de Gravina, fr. Vincentium Camerlengum, fr. Benedictum de Taranto, fr. Hieronymum de Barulo, fr. Vincentium de Castellaneta, fr. Felicianum de Polignano, fr. Antonium de Martina, fr. Ioannem Baptistam de Galipoli et fr. Dionysium de Licio.

13. Instituimus baccalaureos, salvis iuribus provinciae, rr. pp. fr. Reginaldum de Martina, fr. Thomam de Luceria, fr. Bartholomaeum de Vigiliis, fr. Ioannem Marcum de Castellano, fr. Ioannem Eliam de Bitunto, fr. Petrum Martyrem de Bitunto, fr. Ioannem Mariam de Matera, fr. Ioannem Baptistam de Vigiliis et fr. Ioannem Baptistam de Vico.

14. Damus in regentem nostri studii generalis Andriae rev. p. magistrum fr. Hieronymum de Barulo, et in baccalaureum ordinarium rev. p. fr. Vincentium de Castellaneta, de magistro vero studentium provideatur, prout de iure.

Pro provincia Calabriae.

1. Ordinamus ac designamus conventum s. Dominici de Suriano pro strictiori observantia, iuxta glossam constitutionum dist. 2. cap. 2. in fine, et educatione omnium novitiorum dictae provinciae. Quapropter a dicto conventu auferimus studium generale et ad conventum Neocastrensem cum senario numero studentium formalium transferimus. Volumus autem et statuimus, ut moderatores pro gradu et forma magisterii in dicto studio legant. Item mandamus priori dicti conventus, ut pro hac vice tantum moderatoribus ac studentibus praefatis aere conventus s. Dominici de Suriano de lectisterniis provideat.

2. Ordinamus et omnino prohibemus, ne in posterum recipiantur ad habitum pro praefato conventu iuvenes Suriani, cum iam numerus filiorum eiusdem nimius sit, nec eius reditibus maior ali possit.

3. Ordinamus et mandamus p. provinciali Aprutino fratribusque in loco nostro Paulae existentibus, ut quamprimum locum sanctissimi Rosarii dictae civitatis huius provinciae expensis fundatum restituant, sicut de facto praestito iam in praesenti diffinitorio assensu patris provincialis Aprutini praefatum locum sanctissimi Rosarii Paulae praesenti decreto huic provinciae restituimus.

4. Concedimus p. provinciali facultatem fundandi conventum in terra Coriliani, dummodo in eo ali possint duodecim fratres; item erigendi domum s. Mariae Gratiarum, dummodo in tuto loco. Item mandamus eidem p. provinciali, ut colligat omnes processus contra fratres huius provinciae compilatos, ipsisque visis et mature per se vel per iudices ab ipso destinatos consideratis, quamprimum prout de iure causas in eis contentas terminet eosque Romam in archivio magistri ordinis servandos transmittat. Item committimus eidem p. provinciali, ut conventum Salutis de Neapoli ad meliorem et ampliorem formam redigi curet.

5. Augemus in hac provincia numerum magistrorum usque ad vigintiquinque, quo maior esse nequeat.

6. Approbamus magisteria rr. pp. fr. Hieronymi de Suriano et fr.

Pauli de Monteleone, promotorum in capitulo generali Ulyssiponen., cum loco et voce ceterisque privilegiis magistrorum provinciae a die promotionis eorum.

7. Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Hieronymum de Altomonte, fr. Hyacinthum de Laino (1), fr. Hieronymum Sanblasium, fr. Dominicum de Galatro, fr. Vincentium de Radicena, fr. Thomam de Sibari, fr. Ioannem Baptistam de s. Georgio, fr. Thomam Campanellam (2) et fr. Ioannem de Cosentia.

8. Instituimus baccalaureos rr. pp. fr. Hyacinthum de Cosentia, fr. Hyacinthum de Sibari, fr. Silvestrum Dardanum, fr. Michaelem de Cotrono, fr. Andream de Flumine Muri, fr. Dominicum de Polestina, fr. Dominicum de Filogassio, fr. Franciscum de Castrovetere, fr. Thomam de Neocastro, fr. Dominicum de Suriano, fr. Dionysium de Briatico, fr. Bartholomaeum de Monte Leonis et fr. Michaelem de Polestina.

9. Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Vincentium Ciccalo pro conventu Suriani, fr. Ioannem Baptistam de Paterno pro conventu s. Georgii, fr. Paulum de Balnearea pro conventu Catanzari, fr. Hieronymum Theti pro conventu Filogasi, fr. Vincentium de Balnearea, fr. Dominicum de Medicina pro conventu Radicino, fr. Ioannem Baptistam Papalo pro conventu Montisleonis.

Pro provincia Hiberniae.

1. Ordinamus et omnino prohibemus omnibus fratribus in collegio Lovaniensi s. Ioannis Baptistae pro hac provincia destinatis, ne sese ingerere audeant in studiorum provisionibus, sed rector seu praelatus dicti collegii ceterique moderatores et studentes eiusdem a patre provinciali Hiberniae tantum de consilio patrum vel diffinitorum capituli provincialis eligantur et instituantur, ipsumque collegium dicto patri provinciali pro tempore in omnibus omnino subiectum sit.

2. Ordinamus, ut statim ac frater aliquis Hibernus, alterius provinciae filius, Hiberniam appulerit, de consensu patris provincialis pro tempore conventum aliquem sibi deligat, cuius quantum ad suorum bonorum successionem erit quasi filius; confirmantes dispensationem concessam patribus huius provinciae a capitulo generali Mediolanensi 1622, quod scilicet quamdiu in regno Angliae eiusque ditionibus res catholicorum pacatae non fuerint, nullam bonorum fratrum defunctorum partem ad conventus aliarum provinciarum, quorum erant filii, mittere teneantur. Cuilibet vero fratri huiusmodi morienti quoad suffragia, gratias et onera teneatur conventus ab ipso in suo adventu in istam provin-

(1) De fr. Hyacintho de Laino cf. SSOP. II, 602.
(2) De fr. Thoma Campanella cf. l. c. pag. 505.

ciam delectus, qui quasi nativus eiusdem tam quoad haec quam quoad cetera omnia filiis conventuum debita censendus erit.

3. Concedimus fratribus Hibernis, qui habitum in aliis provinciis susceperunt vel suscipient et in aliquo Hiberniae conventu assignati fuerint, ut censeantur incorporati isti provinciae et ad eam simpliciter translati, ita ut omnibus gratiis, privilegiis, immunitatibus, officiis, suffragiis, et utraque voce gaudeant, diffinitores et electores capituli generalis eligi valeant, aeque ac si in ista provincia professionem emisissent.

4. Iustis de causis dispensamus cum hac provincia, ut diffinitores capituli generalis et provincialis possint in ea reeligi, et in duobus capitulis generalibus sive provincialibus immediatis diffinire. Item ut socii diffinitorum capitulorum generalium et priorum conventualium euntium ad capitulum provinciale possint reeligi et in duabus electionibus provincialium immediatis suffragium ferre, durante necessitate et penuria fratrum provectioris aetatis.

5. Concedimus huic provinciae, ut numerus magistrorum in theologia sit senarius et praesentatorum et baccalaureorum octonarius; quorum postulatio fiat in capitulo provinciali, attentis meritis personarum.

6. Concedimus, ut provinciales electi tanquam vicarii generales provinciae statim provinciam regere incipiant omniaque et singula peragere valeant, ac si confirmati essent. Porro quamprimum ad magistrum ordinis scrutinium electionis provincialis tuto transmittatur et confirmatio impetretur; tempus vero quadriennii provincialatus ab ipsa die electionis sumat exordium.

7. Concedimus patri provinciali nunc et pro tempore existenti acceptandi quaecumque loca, praedia, terras, domos et alia huiusmodi bona, quae religioni a quocumque oblata fuerint, ad effectum in eis conventus erigendi aut residentiae pro fratribus in eis habendae.

8. Item cum multa in nostris constitutionibus eorumque glossis et ordinationibus capitulorum generalium inveniantur, quae in ista provincia secundum praesentem rerum statum commode observari nequeunt, concedimus p. provinciali nunc et pro tempore existenti, ad tollendos scrupulos conscientiae fratrum, facultatem super huiusmodi iuxta temporis necessitatem bonique regiminis exigentiam in omnibus, cuiuscumque generis fuerint.

9. Concedimus p. provinciali pro tempore existenti, ut mittere possit ad Romanam curiam fratrem aliquem religiosis moribus et prudentia ornatum, qui procuratoris partes in negotiis istius provinciae tractandis et expediendis agat, qui ita authentice missus possit in Urbe permanere, donec dicta negotia expediantur, vel a p. provinciali revocetur.

10. Confirmamus decretum editum in capitulo provinciali Sli-

goen. 1627 circa divisionem bonorum fratrum defunctorum, quo statuitur, ut huiusmodi bona in tres partes dividantur, quarum una detur conventui suae affiliationis, secunda conventui suae assignationis, tertia detur pro missis et suffragiis in subsidium defuncti persolvendis conventui affiliationis et conventui assignationis pro rata, qui huiusmodi suffragia persolvere teneantur; praeter quae celebrentur pro quolibet fratre defuncto, omnia quae a nostris constitutionibus pro suffragiis describuntur.

11. Committimus patri provinciali pro tempore curam provinciae Scotiae et insularum adiacentium, ipsique omnino iniungimus, ut quamprimum fieri poterit, fratres aliquos Hibernos propagationis fidei nostraeque religionis zelo pollentes eo transmittat, qui collapsam in illis partibus christianam nostramque religionem reparare ac restituere suis praedicationibus et exemplis conentur.

12. Summopere commendamus admodum rr. pp. provincialibus ordinis omnes huius provinciae fratres eosque in Domino hortamur, ut in eis complectendis faciles ac benignos sese exhibeant, eosque ad studia prompte admittant, memores se ad id ex divina lege nostrisque constitutionibus et professione teneri, cum praesertim huius provinciae fratres egregie strenueque usque ad sanguinem in fide tuenda et propaganda quotidie insudare non desistant.

13. Promovemus ad magisterii gradum admodum rev. p. praesentatum fr. Nicolaum Linceum, huius provinciae provincialem et in praesenti capitulo diffinitorem, cum omnibus gratiis et privilegiis et rev. p. fr. Michaelem de Spiritu sancto lectorem, priorem conventus sancti Aegidii Pragensis provinciae Bohemiae.

14. Instituimus praesentatum p. fr. Riccardum de la Penna ad petitionem dicti patris provincialis.

Pro provincia Mexicana.

1. Confirmamus et approbamus omnia et singula in praecedenti capitulo Tolosano pro ista provincia ordinata et statuta.

2. Concedimus omnem nostram facultatem magistro ordinis, ut omnia et singula, quae pro pacis et religionis progressu sibi in Domino videbuntur expedire, pro ista provincia ordinet et disponat.

3. Confirmamus et approbamus magisterium p. fr. Ferdinandi Martincalvi, declarantes ipsum magistrum supranumerarium iuxta provinciae et diffinitorum capituli provincialis petitionem, supplemusque quemcumque defectum, quatenus opus sit, ad huiusmodi effectum consequendum.

4. Confirmamus praesentaturas rr. pp. fr. Didaci de los Cobos, fr. Thomae de sancto Ioanne, fr. Ioannis del Castillo, fr. Francisci Naranjo, a magistro ordinis praedefuncto eisdem collatas.

5. Instituimus praeditatores pro natione Mexicana rr. pp. fr. Ioannem de Victoria et fr. Iosephum Cortes, dummodo optime calleant linguam Indorum et non aliter, declarantes eos supra numerum praedicatorum generalium illis statim potiri debere. Item confirmamus et approbamus praedicaturam generalem p. fr. Alphonsi Gutierez in capitulo Tolosano eidem a reverendissimo magistro ordinis concessam pro conventibus sibi designandis in capitulo provinciali.

Pro provincia Peruana.

1. Confirmamus et ampliamus pro ista provincia ordinationem olim factam pro provincia Mexicana Romae 1580 concessione 20., quod scilicet provinciales et diffinitores capituli vel ipse provincialis una cum patribus a consiliis sancti Dominici de Mexico dubitationes, quae ex ordinationibus capitulorum generalium vel magistri ordinis suboriri possent, resolvere, interpretari et declarare valeant, dummodo eidem magistro ordinis supra eisdem difficultatibus quamprimum scribant et usque ad eius responsum seu secundam iussionem securi in conscientia maneant; volumus tamen, ut huiusmodi congregatio patrum in civitate Limensi cum priore et patribus a consiliis sanctissimi Rosarii et sanctae Mariae Magdalenae a provinciali fieri possit.

2. Extendimus numerum praesentatorum ad titulum praedicationis usque ad senarium. Et quoniam magister ordinis praedefunctus nonnullos praesentatos instituit, et postmodum aliquorum locus vacaverit, ignoreturque, quinam sint et in cuius locum succedere debeant, declaramus supradictos quinque praesentatos ad titulum doctoratus ordine antiquitatis suae professionis sibi invicem in locis vacantibus debere succedere, et tunc tantum loco ceterisque privilegiis potituros.

3. Extendimus numerum magistrorum huius provinciae ad duodenarium, eidemque concedimus octo praedicatores generales ad titulum linguarum Indorum.

4. Concedimus huic provinciae ob penuriam fratrum conversorum, ut conversi post annum suae probationis possint emittere solemnem professionem, servatis servandis, quibuscumque ordinationibus capitulorum generalium in contrarium non obstantibus.

5. Acceptamus magisterii gradum rr. p. fr. Antonii de Peñaranda (1), fr. Michaelis de Leon, fr. Ioannis de Espinosa, et praesentaturam rr. pp. fr. Augustini de Leon et fr. Gasparis Saldaña cum retentione suae praedicaturae generalis.

6. Promovemus ad gradum magisterii sacrae theologiae titulo lectoratus rr. pp. fr. Ferdinandum de Quiros et fr. Ioannem de Arguinao; ad

(1) De fr. Antonio de Peñaranda cf. SSOP. II, 472.

titulum vero praedicationis rr. pp. fr. Ioannem de Silva et fr. Michaelem de Arana, huius capituli diffinitorem.

7. Instituimus praesentatos sacrae theologiae ad titulum praedicationis rr. pp. fr. Franciscum de Figueroa (1), fr. Blasium de Acosta, fr. Franciscum de Avendaño loco p. fr. Ioannis de Silva; ad titulum vero cathedrae linguarum Indorum rr. pp. fr. Ioannem de Escudero cum retentione suae praedicaturae generalis, et fr. Cosmam de Aramburru cum retentione praedicaturae.

8. Instituimus praesentatos ad titulum lecturae rr. pp. fr. Ioannem de Grajeda, fr. Antonium de Amusco, fr. Ioannem de Sotomaior, fr. Franciscum de Huerta et fr. Didacum de Trejo.

9. Instituimus praedicatores generales titulo praedicationis Indorum rr. pp. fr. Ioannem Baptistam, fr. Rodericum de Gusman, fr. Hyacinthum Montano, fr. Didacum de Mexia, fr. Thomam de Oballe, fr. Alphonsum de Sotomaior, fr. Hieronymum de la Parra et fr. Blasium de Contreras pro conventibus sibi designandis in capitulo provinciali.

Concedimus p. fr. Ioanni Antonio praedicaturam generalem p. magistri fr. Ioannis de Silva.

Pro provincia s. Vincentii de Chiappa.

1. Ordinamus et omnino prohibemus sub censuris et poenis in bullis Gregorii XIII., Clementis VIII. et Pauli V. contra fratres, qui per emendicatos favores personarum, extra nostri ordinis obedientiam constitutarum, gratias, favores et officia impetrare student, ne quis fratrum huius provinciae precibus, muneribus vel aliis mediis quibuscumque personarum, extra obedientiam ordinis constitutarum, favorem vel opem implorare iisdemque doctrinas apud Indos vel per se vel per alios obtinere studeat, nec in eisdem doctrinis huiusmodi via obtentis perseverare audeat, aut a patre provinciali in eis perseverare permittatur, sed ad nutum eiusdem provincialis eiusque libitum statim se noverint tali officio privandos.

2. Concedimus huic provinciae, ut in posterum habeat quatuor praedicatores generales ad titulum linguarum Indorum, dummodo tamen peritiores et perseverantiores in tali munere praeferantur et non aliter.

3. Instituimus erigimusque in studium generale huius provinciae conventum s. Dominici de Guatimala cum omnibus gratiis et privilegiis consuetis, praecipientes p. provinciali praesenti et pro tempore, ut huiusmodi studii moderatores ingenio et doctrina praestantiores instituat.

4. Promovemus ad gradum magisterii theologiae iuxta numerum isti provinciae praescriptum rr. pp. fr. Ildefonsum Guirao, fr. Ioannem de

---

(1) De fr. Francisco de Figueroa cf. SSOP. II, 527.

Aillon, fr. Franciscum de Cevallos et fr. Hyacinthum de Cavañas, praemisso tamen rigoroso examine iuxta ordinationes praesentis capituli.

Item pro hac vice tantum promovemus ad magisterium titulo praedicationis rev. p. fr. Ioannem Petrum a Montenigro cum loco et voce, sicut ceteri magistri gaudent.

5. Instituimus praesentatos rr. pp. fr. Ioannem Baptistam Gomez, titulo vero praedicationis rr. pp. fr. Petrum Martyrem et fr. Bartholomaeum Castellanos, praemisso rigoroso examine.

6. Instituimus praedicatores generales ad titulum linguarum Indorum p. fr. Hyacinthum Quartero cum tribus aliis pro hac vice tantum seligendis instituendisque a provinciali una cum diffinitoribus provinciae, praevio tamen rigoroso examine et cum designatione conventuum.

Pro provincia Occitana.

1. Prohibemus p. priori seu vicario monasterii Pruliani, ne ei liceat assumere fratres ex hac provincia absque expressa licentia et assensu p. provincialis. Item ordinamus, ut iuxta nostras constitutiones bona fratrum defunctorum in praefato monasterio fideliter conventibus eorumdem originalibus restituantur.

2. Declaramus conventus Massiliae, Arelatae, Caballionis et Carpentoracti auctoritate apostolica per breve speciale sanctissimi d. n. Urbani papae VIII. seiunctos fuisse a provincia Occitana et restitutos, unitos atque incorporatos provinciae Provinciae eiusque provinciali pro tempore submissos, et loco eorum conventus, quos habebat provincia Provinciae in Occitania seu ultra Rhodanum scilicet Alesti, Albenaci, Miglialthi, Marologii, Genoliaci, Podii et Pratellarum ab eadem provincia Provinciae separatos et isti provinciae Occitanae unitos, aggregatos et incorporatos illiusque provinciali pro tempore submissos. Pro cuius efficaciori executione institutus est commissarius rev. p. fr. Petrus Dambrucus, inquisitor Avenionensis.

3. Et ne interim haec provincia studio generali et novitiatu formato destituatur, ordinamus, ut in conventu Tolosano congregationis Occitanae recipiantur novitii huius provinciae, post annum probationis ibidem studio theologiae vel philosophiae vacaturi.

4. Concedimus huic provinciae, ut in posterum suorum conventuum distractiones et separationes ab obedientia provincialis non permittant, statuimusque atque omnino prohibemus, ne conventus eiusdem subdantur commissariis nisi ad praefinitum tempus duorum vel trium mensium; quo termino elapso negotiisque commissionis absolutis, conventus maneant sub ordinaria provincialis auctoritate et obedientia.

5. Approbamus contractum initum inter conventum nostrum Massiliae et d. Ioannem de Esthienne, regis christianissimi consiliarium et

in supremo Aquensi parlamento graffarium, cum in evidentem dicti conventus utilitatem per varia capitula fuerit approbatus.

6. Acceptamus affiliationem fr. Pauli Trachet a conventu Diensi ad conventum Arelatensem tamquam factam servatis servandis.

7. Approbamus magisteria rr. pp. fr. Riccardi Bergeri et fr. Hieronymi Alberti.

8. Promovemus ad magisterium theologiae rr. pp. fr. Ludovicum Mesplede, fr. Hyacinthum Forestier, fr. Ioannem Guarri et fr. Ioannem Chourch, servatis servandis.

9. Instituimus baccalaureos titulo praedicationis rr. pp. fr. Ioannem de Candorle, fr. Franciscum Casulam et fr. Andream Mittiè.

Pro provincia s. Dominici Venetiarum.

1. Ordinamus et omnino prohibemus, ne diffinitores capituli provincialis eligantur in ista provincia per nationes, sed ab omnibus vocalibus totius capituli provincialis, ita ut nullus censeatur legitime electus diffinitor, nisi a maiori parte omnium vocalium nominatus fuerit; idem statuimus de scrutatoribus vocum; si secus fiat, totum sit irritum et nullum.

2. Ordinamus, ut in conventu Patavino quatuor studentes formales, qui pro tempore erunt ultimo loco recepti, semper teneantur exercere hebdomadariam, ita tamen ut, quando alius de novo in studium recipitur, ille qui inter quatuor praefatos prius receptus fuerat, ab huiusmodi onere liberetur, et sic successive fiat. Volumus tamen, ut pro eo tempore, quo dicti studentes hebdomadariam exercebunt, teneatur dictus conventus eis vestimenta sicut ceteris fratribus tribuere, quocumque privilegio in contrarium non obstante.

3. Ordinamus praecipimusque dicti conventus studentibus, ut quatuor priores missas quotidie indispensabiliter celebrent; qui vero recusaverint aut super hoc contendere ausi fuerint, a studio statim expellantur, quibuscumque privilegiis in contrarium non obstantibus.

4. Ordinamus, ut examini de moribus studentium intersint patres a consiliis, qui una cum patribus moderatoribus suffragium ferant.

5. Confirmamus acta capituli provincialis intermedii proxime celebrati a magistro ordinis recognita et approbata, exceptis tamen iis, quae ad locum magistrorum spectant, qua in re nihil omnino volumus innovari, sed ea, quae alias in capitulis generalibus super hoc sancita sunt, omnino observari, ita nimirum ut locus magistrorum non ab antiquitate professionis, sed promotionis ad magisterium desumatur, tunc praecipue quando institutio absoluta est et absque illa clausula: Sine praeiudicio maiorum tuorum.

6. Confirmamus decretum factum a magistro ordinis praedefuncto circa locum rev. p. magistri fr. Francisci Cortivi, ut videlicet desumatur

ab eo tempore, quo fuit institutus regens studii generalis Patavini, cum iam esset creatus magister, atque adeo omnibus magistris post dictum tempus institutis vel instituendis ipsum debere praecedere declaramus, non obstante maiore antiquitate professionis eorumdem, aut quod in litteris patentibus magisterii apposita fuerit clausula: Sine praeiudicio maiorum tuorum.

7. Declaramus, conventum Civitatensem, ubi viget strictior observantia regularis, nullo modo ab obedientia et potestate p. provincialis exemptum esse, sed ipsi subiectum, fratresque ibi commorantes esse censerique suos subditos iuxta decreta capitulorum generalium et glossam constitutionum dist. 2. cap. 2. in fine.

8. Concedimus conventui Patavino, ut possit educare novitios, servatis servandis; praecipientes priori pro tempore, ut circa eorumdem bonam educationem summopere invigilet optimumque magistrum sibi concedi curet.

9. Approbamus magisterium rr. pp. fr. Francisci Cortivi, huius capituli diffinitoris, in capitulo Mediolanensi 1622 promoti, fr. Philippi Bragadeni, fr. Petri Martyris Ripae, fr. Antonini Cremonini et fr. Marci Ferro (1), a magistro ordinis praedefuncto promotorum; item institutionem magisterii p. fr. Cypriani Philippini.

10. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Ioannem Bonaugurium, fr. Nicolaum Vanti, fr. Hippolytum Mariam Taleapetra, fr. Remigium Scrofa (2) et fr. Marinum Cerchiarium (3).

11. Instituimus baccalaureos rr. pp. fr. Ludovicum Brunum, fr. Hieronymum Fabri, fr. Antonium Baseio, fr. Dominicum Carrara, fr. Alphonsum Clementi, fr. Thomam Tascelum, fr. Ioannem Baptistam Alberti et fr. Sixtum Pasquali, hac tamen lege et conditione et non aliter, ut omnes et singuli praedicti patres suo tempore officio magistri studentium fungantur.

12. Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Thomam Fontana pro conventu Suaviensi et fr. Martinum Milani pro conventu Iustinopolitano.

13. Damus in regentem studii generalis s. Augustini de Patavio pro consueto triennio p. mag. fr. Marinum Cerchiarium, in baccalaureum vero ordinarium p. fr. Ludovicum Bruni pro duobus primis annis, et p. fr. Hieronymum Fabri pro duobus annis sequentibus; in magistros denique studentium p. fr. Antonium Baseio pro primo anno, p. fr. Dominicum Carrara pro secundo et p. fr. Alphonsum Clementi pro tertio.

(1) De fr. Marco Ferro cf. SSOP. II, 659.
(2) De fr. Remigio Scrofa cf. l. c. pag. 548.
(3) De fr. Marino Cerchiario cf. l. c. pag. 607.

Pro provincia s. Laurentii del Chile.

1. Concedimus huic provinciae id, quod alias provinciis de Quito et s. Ioannis Baptistae de Perù concessum fuit, scilicet quod, si exortum fuerit aliquod dubium circa electionem provincialis, an sit rite et secundum ius facta, ad evitandas rixas et scandala patres magistri et patres provinciae et praesentati una cum diffinitoribus determinent ac diffiniant, quid in huiusmodi negotio agendum sit; huiusmodi autem congregationi praesideat antiquior diffinitor in professione, neque intersit eidem provincialis electus. Id autem, quod praefati patres in huiusmodi negotio decreverint, pro rato habeatur et inviolabiliter observetur, donec decretum electionis ad magistrum ordinis transmissum fuerit, et ipse de omnibus certior factus responsum dederit.

2. Concedimus huic provinciae, quod provinciae de Perù concessum est, ut scilicet titulo obtinendae cathedrae possint lectores in universitate Chilensi omnes gradus usque ad doctoratum accipere, servatis tamen servandis.

3. Declaramus decretum apostolicum, quo statuitur, priores conventuum carentium duodenario numero fratrum voce in capitulis provincialibus non gaudere, hanc provinciam non comprehendere ob indultum apostolicum Clementis VII., de quo in declarationibus constitutionum dist. 2. cap. 1. § 2.

4. Erigimus in prioratum domum de la Rixa cum omnibus gratiis et privilegiis consuetis, et pro hac prima vice instituimus priorem dicti conventus rev. p. fr. Ildefonsum Barientos.

5. Probamus et acceptamus magisterium rr. pp. fr. Ioannis de Montiel in capitulo Tolosano promoti et fr. Bartholomaei Lopez; item praesentaturas rr. pp. fr. Balthasaris Verdugo de Valençuela, fr. Francisci de Peñalosa et fr. Laurentii Duran.

6. Promovemus ad magisterium titulo praedicationis rr. pp. fr. Martinum de Salvatierra loco rev. p. magistri fr. Francisci de Riberos et fr. Ioannem de Haumada.

7. Instituimus praesentatum titulo praedicationis rev. p. fr. Michaelem Delgado cum retentione praedicaturae generalis; item concedimus rev. p. fr. Ludovico de Quiroga a magistro ordinis praedefuncto in praesentatum instituto, ut in provincia Hispaniae pro huiusmodi gradu examinari possit.

8. Instituimus praedicatorem generalem p. fr. Ildefonsum de Portesio, dispensantes cum eo super defectu unius anni aetatis requisitae. Item instituimus praedicatores generales ad titulum linguarum pro dioecesi s. Iacobi Chilensis fr. Didacum de Santander, pro dioecesi Imperiali olim et nunc de la Concepcion fr. Ioannem Costanzo, pro dioecesi de

Tucuman fr. Dominicum Marquete, pro dioecesi Paraguaia fr. Didacum Beltran, pro dioecesi del Rio de la Plata fr. Leandrum Pessoa; pro primo autem loco vacante vel ad titulum linguarum vel pro aliquo conventu instituimus praedicatorem generalem fr. Petrum de Aranguiz pro conventibus sibi designandis in capitulo provinciali.

Pro provincia s. Catharinae del Quito.

1. Ordinamus, ut in conventu de la Peña de Francia, in quo viget strictior observantia, sint assidue duo lectores artium et sacrae theologiae, qui huiusmodi scientias diligenter profiteantur.

2. Concedimus huic provinciae, ut in praefato conventu possint recipi et educari novitii, servatis servandis.

3. Concedimus eidem provinciae, ut celebrare possit octavam solemnem sanctae Catharinae Martyris suae patronae.

4. Promovemus ad magisterium supra numerum consuetum rev. p. fr. Dominicum de s. Maria, augemusque numerum magistrorum usque ad septenarium, et pro tribus locis superadditis promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Antonium Quilota, fr. Franciscum de la Torre, dummodo habeant requisita, alias praesens promotio suum non sortiatur effectum.

5. Instituimus praesentatum rev. p. fr. Hyacinthum Hurtado cum retentione suae praedicaturae generalis loco rev. p. magistri fr. Dominici de s. Maria; item instituimus praesentatum et praedicatorem generalem simul ad titulum praedicationis pro primo loco vacante vel vacaturo rev. p. fr. Hieronymum de la Torre.

6. Augemus numerum praesentatorum usque ad duodenarium, quorum sex sint ad titulum praedicationis, et pro tribus locis ita concessis instituimus praesentatos rr. pp. fr. Raymundum Hurtado ad titulum praedicationis Indorum cum retentione suae praedicaturae generalis, et fr. Didacum Nuñes cum retentione suae praedicaturae generalis.

7. Statuimus, ut pro saecularibus provinciis Indorum habeat haec provincia praedicatores generales supra numerum suorum conventuum cum omnibus gratiis et privilegiis, ut ita commodius et propinquius in praefatis provinciis catholica fides propagetur.

Quamobrem instituimus damusque praedicatores generales supra numerum ad titulum praedicationis Indorum pro infra notatis provinciis infrascriptos fratres, dummodo tamen Indorum idioma optime calleant et alias ad huiusmodi munus sint idonei, et non aliter.

Pro provincia de los Quisos instituimus praedicatores generales pp. fr. Thomam Seron et fr. Ildefonsum de Marmolejo.

Pro provinciis de Popaian et de Pasto Quillacingas instituimus praedicatores generales pp. fr. Antoninum de Ortega et fr. Hieronymum

Rosero, qui cum retentione huius praedicaturae generalis possit habere praesentaturam sibi a magistro ordinis praedefuncto pro loco actu vacante concessam.

Pro provinciis de Quito, Otavalo et Garangui, Quenia et Loxa instituimus praedicatores generales pp. fr. Hieronymum de Vargas, fr. Gasparem de Lara et fr. Ioannem de Erausia; praefatis vero praedicatoribus omnino iniungimus et praecipimus, ut cathechismum Romanum ea brevitate, qua poterunt, in maternas linguas transferant, in quo Indos ad fidem convertendos instruere omnino teneantur. Dictos etiam praedicatores in Domino monemus, ut imposito sibi officio et honore collato non in proprium commodum abutantur, sed in conversionem Indorum ad catholicam fidem. Hortamur praeterea rev. admodum p. provincialem pro tempore ipsique mandamus, ut reverendissimum patrem generalem et sacram congregationem de Propaganda Fide de profectu et fructu huiusmodi praedicatorum exacte certiorem faciat. Demum curent omnino, ut maternis linguis praefatarum provinciarum diligenter studeant, adhibitis etiam, si opus fuerit, super hoc praeceptoribus, ut qui illas calluerint, pro locis vacantibus possint a provincia postulari.

8. Damus omnem auctoritatem magistro ordinis, ut iuxta petitionem patris diffinitoris possit ordinare et stabilire omnia et singula, quae ad pacem et quietem et augmentum religionis in hac provincia iudicaverit expedire.

Pro provincia sanctissimi Rosarii Philippinarum.

1. Admonemus admodum rev. p. provincialem et in Domino hortamur, ut nostrae professionis memor, quemadmodum in aliis capitulis generalibus ei iniunctum est, sanctissimum opus missionis fratrum ad praedicandam propagandamque fidem catholicam in regnum Chinae et Iapponicum ceteraque eisdem proxima regna gentilium non intermittat, sed eas singulis annis omnino prosequatur ac de fructu actisque fratrum, qui ad huiusmodi apostolicum munus exequendum eo mittuntur, singulis annis magistrum ordinis certiorem faciat.

2. Eidem provinciali summopere iniungimus, ut in conservanda et amplificanda arctiori huius provinciae observantia invigilet.

3. Confirmamus ordinationes saepe factas, ut in aliis provinciis Indiarum nullo modo recipi possint fratres ad hanc provinciam destinati absque expressa licentia in scriptis vicarii ductoris eorum ad huiusmodi provincias; praecipientes omnibus tam provincialibus quam vicariis provinciarum, prioribusque ac praesidentibus conventuum in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub praecepto formali et sub poena absolutionis ab eorum officiis ipso facto incurrenda, ut huic ordinationi omnino obediant.

4. Ne fratres huius provinciae diu sine capite legitimo maneant, concedimus vicariis nationum eiusdem provinciae, ut eorum auctoritas usque ad publicationem actorum capituli provincialis in fine suorum officiorum celebrati perseveret, dummodo huiusmodi acta in aliqua domorum nationis illius respective publicentur.

Pro provincia s. Petri Martyris.

1. Denuntiamus sacram congregationem Regularium die 23. decembris 1628 decrevisse, in hac provincia numerum magistrorum fore duodenarium et baccalaureorum similiter, praedicatorum vero generalium octonarium, qui numeri excedi nequeant. Item ut magistri et baccalaurei non admittantur, nisi prius in studio generali s. Eustorgii regentis vel baccalaurei munus debito tempore exercuerint; nec baccalaurei instituantur, qui magistri studentium munere perfuncti non fuerint, neque praedicatores generales creentur, qui per decem quadragesimas quotidie in in civitatibus seu amplis terris non praedicaverint. Item ne graduandorum petitiones a solo diffinitorio provinciali, sed a magistris et patribus provinciae per vota secreta fiant.

2. Ordinamus, ut studentes exterarum provinciarum tempore sui studii durante voce activa non gaudeant, nec in studium recipiatur aliquis, qui eodem anno in conventu s. Eustorgii priorem aut socium prioris pro capitulo provinciali elegerit.

3. Ordinamus, ut in studio generali s. Eustorgii numerus studentium formalium sit duodenarius; ex quibus quatuor sint ex ista provincia et octo externarum provinciarum; quibus conventus indifferenter necessaria tribuere teneatur, sicut caeteris fratribus assignatis, vestitu excepto, de quo a conventibus suis originalibus providebitur. Volumus autem et declaramus, ut singuli praefati studentes successive quater in anno hebdomadariam exerceant.

4. Concedimus p. fr. Petro Martyri Modono licentiam affiliationis a conventu s. Eustorgii ad conventum s. Dominici de Dertona.

5. Confirmamus affiliationem p. fr. Petri Martyris de Hortonovo a conventu s. Dominici de Bonifacio ad conventum s. Dominici de Dertona.

6. Acceptamus, servatis servandis, monasterium monialium s. Thomae pro nostro ordine, aedificandum Albengae ex legato d. Ioannis Mariae Oddi, cum annuo reditu scutorum duorum millium; item conventum aedificandum in loco Peleti ex donatione d. Caesaris Valdemoni, dummodo assignentur reditus pro sustentatione duodecim fratrum.

7. Promovemus ad gradum magisterii, salvis iuribus suae provinciae et inviolabili observantia decreti supra denuntiati et non aliter, rr. pp. fr. Simonem de Florano, fr. Conradum Imbonatum, fr. Honuphrium Rosam, fr. Humbertum Taparellum, fr. Clementem Bartolinum, fr. Cypria-

num Binnium, fr. Thomam Bogettum, fr. Vincentium Salmoiragum et fr. Franciscum Mariam de Mediolano, dummodo hi duo postremi a rr. patribus examinatoribus a nobis Romae deputatis examinentur et approbentur.

8. Instituimus baccalaureos, salvis iuribus et decreto ut supra, pp. fr. Vincentium Bonellum et fr. Alexandrum Caudam (1).

9. Instituimus praedicatores generales pro primo, secundo et tertio loco, salva inter eos professionis praecedentia et absque privilegiis ac titulo, quoadusque loca realiter pro singulis vacaverint, rr. pp. fr. Dominicum Cislagum, fr. Hyacinthum Mocham et fr. Iosephum Mariam Sortitium, servatis etiam servandis in designatione conventuum, pro quibus instituti intelligantur et in quibus vivant, et non aliter.

10. Absolvimus ab officio prioratus conventus Cheriensis et absolutum declaramus rev. p. fr. Baptistam Ferrerium.

Pro provincia s. Catharinae Senensis.

1. Ad concordiam et pacem inter fratres stabiliendam auctoritate apostolica ordinamus, decernimus ac statuimus, ut perpetuis futuris temporibus fiat in officio provincialatus alternativa ex tribus nationibus: Neapolitana, Aprutina et Etrusca, ex quibus alternatim semper provinciales eligantur, ita ut ex eadem natione bis provincialis immediate eligi non possit, et si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

2. Ordinamus, ut numerus studentium formalium in generali studio s. Mariae ab Arcu sit tantum duodenarius ex filiis huius provinciae, ex filiis vero externarum provinciarum octo ad minus in eo recipiantur.

3. Acceptamus pro ista provincia conventum Guardiae Calabriae et conventum Praesentiani iam acceptatos in capitulo provinciali, dummodo possint actu alere duodecim fratres et non aliter.

4. Committimus magistro ordinis, ut praefato studio de moderatoribus provideat.

5. Designamus pro strictiori regulari observantia conventum s. Dominici de Aquila iuxta praescriptum glossae nostrarum constitutionum dist. 2. cap. 2. in fine.

6. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Dominicum Porcinarum, fr. Philippum de Paulinis et fr. Hyacinthum Scala, salvis suae provinciae iuribus.

7. Acceptamus magisteria cum loco et voce rr. pp. fr. Ignatii Terraciani, fr. Michaelis de Marchis et fr. Bernardini Cutilli.

8. Item acceptamus praedicaturam generalem cum voce fr. Vincentii Mariae s. Felicis.

---

(1) De fr. Alexandro Cauda cf. SSOP. II, 458.

9. Instituimus praedicatores generales pro conventibus sibi a capitulo provinciali designandis rr. pp. fr. Vincentium Galassum, fr. Thomam Gallum, fr. Ioannem Molinarium, fr. Alexandrum Aglionum, fr. Dionysium de Amatrice, fr. Antoninum Scorpionem, fr. Hyacinthum Pierium, fr. Felicem de Ancarano, fr. Paulum Bossium, fr. Martinum Zeu, fr. Salvatorem Riccium et fr. Hyacinthum Iottum, dummodo tamen non gaudeant voce neque aliis privilegiis quibuscunque, quousque non fuerint numerarii, ita ut antiquiores in professione semper praecedant, et in conventibus a capitulo provinciali designandis steterint.

Pro provincia Russiae.

1. Ordinamus, ut provincialis pro tempore electus immediate post suam electionem regat provinciam tamquam vicarius generalis, et ab ipso electionis die sui officii tempus incipiat; volentes, ut quaecunque per ipsum ante confirmationem iuxta nostras constitutiones acta fuerint, rata et firma omnino maneant iuxta consuetum aliarum provinciarum huiusmodi privilegio gaudentium.

2. Ordinamus patri provinciali pro tempore, ne lectores actu legentes eorumque discipulos in alio conventu assignet, quousque cursum philosophiae vel theologiae absolverint; si secus fiat extra evidentem necessitatis casum assignatio nulla omnino sit.

3. Ordinamus, ut philosophicus cursus triennio et theologicus quadriennio persolvatur; quo absoluto lectores eorumdem sint et intelligantur suo munere suoque iure perfuncti.

4. Concedimus huic provinciae, ut socius p. provincialis pro tempore gaudeat titulo locoque tantum prioris Rubei Castri, donec huiusmodi conventus dirutus reaedificetur.

5. Acceptamus et erigimus in conventus loca nuper recepta nempe in Czarnuber, in Ostrocoko, in Stolpecz, in Novogrode Severiensi, in Novogrode Lituaniae, dummodo possint alere duodecim fratres et non aliter.

6. Promovemus ad gradum magisterii rev. p. fr. Erasmum de Luceoria.

7. Instituimus baccalaureos rr. pp. fr. Petrum de Vilna, fr. Simonem de Camenecia, fr. Modestum de Camenecia, fr. Thomam de Mosticia, fr. Dionysium Samotuliis et fr. Franciscum de Petricovia.

8. Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Adalbertum de Leopoli, fr. Adamum de Tahore, fr. Andream de Leopoli, fr. Raymundum de Mosticia (1), fr. Hilarium de Busko, fr. Ludovicum Hancozoski, fr. Bernardum de Varecia et fr. Paulum praedicatorem Constantinopolitanum pro conventibus sibi a capitulo provinciali designandis.

---

(1) De fr. Raymundo de Mosticia cf. SSOP. II, 756.

9. Damus in regentem nostri studii generalis Leopoliensis rev. p. magistrum fr. Symphorianum de Scyrzec, in baccalaureum fr. Nicolaum de Kryczoij pro primo biennio, pro secundo vero fr. Simonem de Camenecia, et in magistrum studentium pro primo anno 1629 fr. Franciscum de Petricovia, pro 1630 fr. Petrum de Vilna, et pro 1631 fr. Bartholomaeum de Roatino.

10. Assignamus in studio generali Bononiensi pro rata suae provinciae fr. Chrysostomum de Leopoli et fr. Ferdinandum de Potzova; in studio Patavino fr. Octavianum de Roatino pro primo loco vacante; in studio s. Eustorgii fr. Nicodemum de Possocia, fr. Gasparum de Roatino; in studio generali Querquensi fr. Gabrielem Despoth.

11. Confirmamus in provincialem huius provinciae rev. p. magistrum fr. Coelestinum Despoth.

Pro congregatione Gallicana.

1. Ordinamus pro studio Parisiensi praescribimusque triennium studentibus pro philosophico cursu et sexennium pro theologico a sacerdotio; quo termino expleto a conventu Parisiensi sint et intelligantur omnino remoti et exclusi, nisi forte ad lecturam artium vel sententiarum promoti fuerint, absque exclusione tamen promotionis tempore congruo; magistris vero regentibus triennium pro uniuscuiusque lectura statuimus.

2. Item ordinamus in eodem studio, ut antequam studentes formales declarentur, post responsionem de aulica fiat scrutinium eorumdem, et per vota secreta a patribus a consiliis approbentur, et semel reiecti ad lecturam artium aut sententiarum in quacumque facultate promoveri non possint.

3. Indulgemus et ex speciali gratia concedimus pro hac vice tantum omnibus magistris, qui hucusque absque licentia reverendissimi magistri ordinis ad magisterium promoti sunt, ut voce et privilegiis religionis gaudere possint; absolventes eos ab omnibus censuris et supplentes pro hac vice tantum omnes defectus, dummodo a magistro ordinis literas patentes promotionis ad magisterium obtinuerint. In posterum vero nullus audeat promoveri nec attentare promotionem sive ad magisterium sive ad baccalaureatum vel licentiaturam, nisi prius a reverendissimo magistro ordinis promotionem et facultatem obtinuerit et examini rigoroso sese prius subiecerit, alias quaecumque promotio istis non servatis facta nulla et inanis omnino sit. Nolumus vero huiusmodi magistros sub praetextu magisterii ulla ratione a sequela chori diu noctuque exemptos esse, nisi actu legant aut concionentur. Quae indulgentia, concessio et ordinatio respective etiam extenditur et statuitur pro provincia Franciae.

4. Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut, si sibi videbitur, possit erigere in provinciam congregationem Gallicanam.

5. Acceptamus magisteria doctorum facultatis Parisiensis, promotorum a reverendissimo p. generali praedefuncto.

6. Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Stephanum Laldi, fr. Christophorum Emerii et fr. Ioannem Thestephort (1).

7. Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Petrum Georgiae et fr. Renatum Ferduau pro conv. sibi a capitulo provinciali designandis.

8. Restituimus ad gratias ordinis p. fr. Petrum Pelletier, excepta tamen voce passiva.

Pro congregatione Ragusina.

1. Ordinamus, ut fratres inquieti et seditiosi carcerali custodiae mancipentur nec inde extrahantur nisi per reverendissimum magistrum ordinis vel capitulum generale aut congregationis, constito prius de morum eorumdem mutatione.

2. Confirmamus decretum a magistro ordinis, dum vicarii apostolici munere fungeretur, editum pro pace et quiete nostrae congregationis et iam executioni mandatum, de removendo ab ipsa p. fr. Daniele a Canali.

3. Committimus damusque nostram plenariam auctoritatem magistro ordinis augendi, confirmandi et declarandi privilegia omnia a suis praedecessoribus pro bono regimine huius congregationis eidem concessa.

4. Acceptamus locum Annuntiationis b. Virginis a reverendissimo domino episcopo Sarsina aedificandum, servatis servandis.

5. Concedimus, ut festum s. Vincentii Ferrerii in oppido Breni celebrari possit dominica prima post octavas Paschatis; item ut festum sanctarum reliquiarum in ecclesia nostra s. Dominici de Ragusio conditarum sub titulo plurimorum martyrum celebrari possit sub toto duplici mense et die a patribus conventus statuendis; item ut festum s. Blasii martyris celebretur sub toto duplici cum memoria infra octavas.

6. Promovemus ad magisterium rev. p. fr. Chrysostomum Ragusinum.

7. Assignamus in nostro studio Bononiensi in studentem formalem fr. Hieronymum Bona pro primo loco vacante.

Pro congregatione Occitana deinceps s. Ludovici.

1. Instante christianissimo rege Ludovico XIII. statuimus, ut posthac perpetuis futuris temporibus congregatio Occitana titulo ac nomine congregationis s. Ludovici insignita sit eodemque in omnibus nominetur, atque ipsam, quatenus opus sit, in possessione ac iurisdictione omnium conventuum ei hactenus unitorum et subiectorum auctoritate apostolica

(1) De fr. Ioanne Thestephort cf. SSOP. II, 539.

confirmamus, videlicet Tolosani, s. Maximini, s. Mariae Annuntiatae Parisiensis, Burdegalensis, Avenionensis, Mompeliensis, Clarimontensis, Valentini, Biterrensis, Albiensis, Lemovicensis, Nemausensis, Castrensis, Montalbanensis, Rupellensis, s. Thomae de Mesnilgrenier, Tullensis et Blainville, ut in ipsis tamquam ad strictiorem observantiam destinatis constitutiones ordinis ad unguem observentur, nec in eis fiat dispensatio aliqua in ieiuniis et abstinentiis nisi ob actualem infirmitatem, ut ordinatum fuit in capitulo Vallisoleti 1605.

2. Concedimus rev. p. vicario huius congregationis, ut pro implendis quatuor universitatum cathedris, ad quas conventus Tolosanus, Avenionensis, Burdegalensis et Valentinus habent ius, exponere valeat totidem patres idoneos, qui in illis universitatibus gradum doctoratus suscipient absque ullis tamen privilegiis in ordine.

3. Ordinamus, ut nullus ad praedicationis officium assumatur, nisi per quatuor annos theologicis studiis operam dederit et praevio rigoroso examine approbatus fuerit. Idemque omnino observari volumus in confessariis saecularium instituendis et admittendis.

4. Ordinamus, ut huius congregationis fratres curam ordinariam audiendi confessionem monialium nullo modo suscipiant.

5. Ordinamus, ut fratres conversi etiam post duos annos a professione magistro ad id specialiter deputato in morum institutione, religionis observantia et correctione subsint.

6. Concedimus eiusdem congregationis vicario, ut in primo sui vicariatus anno opportuno tempore convocare possit capitulum iuxta formam in constitutionibus de capitulo provinciali praescriptam ad uniformitatem observantiae regularis, pietatis ac studiorum augmentum pacisque et charitatis mutuae inter fratres fomentum. Item statuimus, ut in dicto capitulo vicarius praecedens reddat rationem suae administrationis coram patre vicario successore ac diffinitoribus. Item volumus, ut in eodem capitulo fiant petitiones congregationis pro capitulo generali; ac demum tres patres ex praecipuis, quos secundum Deum et conscientiam ad officium vicariatus eiusdem congregationis proxime futurum magis idoneos iudicaverint, nominent eamque nominationem magistro ordinis opportune transmittant, ut, si ipsi videbitur, aliquem ex nominatis instituat.

7. Auctoritate apostolica concedimus, ut non obstante constitutione Iulii II. de triennali duratione vicariorum congregationum, vicarius istius congregationis in officio perseveret, donec eius successor a magistro ordinis institutus et confirmatus fuerit ac praesens in congregatione extiterit. Quod si ipsum intra suum triennium mori vel amoveri contigerit, prior illius conventus, in quo proximum capitulum congregationis designatum fuerit, ipso facto vices eius plenarie gerat.

8. Concedimus, ut in omnibus huius congregationis conv. festum sancti Gabrielis Archangeli celebrari possit 27. martii sub toto duplici.

Denique confirmamus omnes gratias et privilegia huic congregationi in aliis capitulis generalibus concessa.

5 **Pro congregatione Sardiniae.**

1. Committimus reverendissimo patri magistro ordinis, ut possit erigere in provinciam hanc congregationem, dummodo id expediens ab ipso iudicetur.

2. Acceptamus conventus Rosarii civitatis Sasseri et s. Dominici de
10 Oristan, dummodo habeant reditus pro alendis duodecim fratribus et non aliter.

3. Promovemus ad praesentaturam rev. p. fr. Hieronymum Contena.

Pro congregatione Sanitatis.

1. Ordinamus, ut in posterum numerus magistrorum huius congre-
15 gationis sit tantum duodenarius, lectorum vero actualium ternarius, excludendo moderatores in conventibus Sanitatis et sancti Spiritus; in conventibus vero Vesuvii et Argentii binarius, in caeteris vero conventibus unicus tantum sit lector. Quod si secus factum fuerit, lectores talem numerum excedentes a sequela chori non sint exempti nec ullis privile-
20 giis gaudeant.

2. Statuimus in conventu Sanitatis numerum studentium denarium, in conventu sancti Spiritus octonarium; hi vero studentes sint a choro diebus ferialibus pro medietate dispensati, numquam tamen a missa maiori et completorio.

25 3. Ordinamus et omnino prohibemus cuicumque patri huius congregationis, qui vicarius generalis eiusdem fuerit, ne in posterum completo suo officio alio loco altiori quam suae professionis vel gradus, si illum habuerit, frui aut potiri audeat sub poena privationis utriusque vocis, quacumque consuetudine in contrarium non obstante.

30 **Pro congregatione Stiriae et Carinthiae.**

1. Ordinamus, ut haec congregatio nullo modo teneatur ad dandum viaticum studentibus externarum provinciarum ad ipsam venientibus, si non permanserint in hac congregatione per integrum triennium.

2. Concedimus, quantum in nobis est, ut patres, qui actu priores
35 sunt in aliquibus conventibus, possint in aliis eligi.

3. Promovemus ad magisterium sacrae theologiae rev. p. fr. Ioannem Baptistam de Salutiis, huius congregationis vicarium, salvis tamen iuribus suae provinciae Lombardiae.

Fratres et sorores, qui, referentibus patribus diffinitoribus, sancte et gloriose obierunt.

In provincia utriusque Lombardiae.

Eugubii obiit soror Octavia Gambocia, tertii ordinis, quae ab ipsa infantia usque ad 33. aetatis annum magnae sanctitatis indicia dedit; cuius corpus post quatuor annos a suo obitu integrum et incorruptum ac suavissime redolens repertum est, et ab Eugubino populo ut sancta communiter colitur; cuius etiam ope quamplurimas gratias se in dies obtinere gloriatur.

In provincia Regni.

Obiit venerabilis p. fr. Simplicianus de Sicignano, qui in summae simplicitatis christianae candore et regulari observantia omniumque virtutum cultu perpetuo vixit; virginitatis florem usque ad mortem illaesum servavit; ad cuius corporis venerationem magna populi frequentia convenit, eiusque vestibus infirmis applicatis salus est restituta.

Item obiit soror Catharina Capocesala, monialis s. Catharinae de Neapoli, prophetico lumine donata; cuius vitae cursum sanctissime peractum mors foecunda prodigiis illustriorem reddidit, corpore per quinque dies insepulto et suavissime redolente.

Item obiit soror Petronilla Vela, tertii ordinis, quae ab infantia singulari erga infirmos, praecipue incurabiles, charitate flagrans eorum plagas lambendo sanabat. In ieiuniis, vigiliis et orationibus assiduis ferreaeque catenae disciplinis exercitata, etiam Christi Domini, s. Thomae Aquinatis ac s. Ursulae visibili praesentia decorata summam de se sanctitatis opinionem reliquit.

In provincia Aragoniae.

Obiit Albarazini reverendissimus d. fr. Hieronymus Baptista de la Nuza (1), episcopus Balbastrensis et Albarazinensis, filius conventus Valentini, qui in omni vita sua constitutiones ordinis ad unguem servavit, ieiuniis catenisque ferreis carnem maceravit, orationi et sacrae lectioni quotidie vacavit; prophetico spiritu claruit, secreta cordium multorumque statum in purgatorio egressumque ab eo cognovit. Dono sapientiae et intellectus in sacris praecipue scripturis exponendis divinitus, s. Ludovici Bertrandi eius magistri testimonio, eximie praeditus fuit; quod eius opera praeclare demonstrant quinquaginta annis in praedicationis munere consumptis. Non semel facie splendidus apparuit, paupertatem in episcopatu summopere coluit, omnibus suis bonis usque ad proprium lectum pauperibus erogatis, sanctorum episcoporum aemulator; ab omni laetali labe immunis, confessario teste, septuagenarius in magna sanctitatis opinione ex hac luce migravit.

---

(1) De fr. Hieronymo de la Nuza cf. MOPH. X, 257, 349.

Item obiit Oriolae reverendissimus d. fr. Andreas Balaguer, (1) praefati conventus filius, Albarazinensis primum, deinde Oriolanus episcopus, disciplinae regularis observantissimus, vigiliis, ieiuniis ac orationibus perpetuo addictus, adeoque pauperibus affectus, ut domestica episcopatus ornamenta et caetera, quaecumque in dies comparabat, pauperibus largiretur. Diem horamque obitus sui praedixit, mortemque non minus sancte quam hilariter aspexit.

In conventu de Xativa regni Valentiae obiit fr. Hyacinthus de s. Martino, qui ab ipsa ferme iuventute ut ingenio et doctrina ita et vitae integritate morumque probitate ac devotione praefulsit, maximumque sanctitatis specimen de se reliquit.

Obiit in collegio Oriolano nostri ordinis fr. Didacus Thomas collegialis, pietate ac devotione insignis; qui in suprema infirmitate constitutus matutinis Natalis Domini interesse, prout exoptabat, non valens, divino favore in sinistra lecti parte totum divinae Nativitatis mysterium propriis oculis intueri meruit, ac in supremo vitae suae termino beatissimam Virginem sibi assistentem fratribus adstantibus declaravit.

Obiit etiam in monasterio s. Luciae Oriolensis soror Hieronyma Fernandez, conversa, summae pietatis, charitatis ac singulariter meditationum spiritualium assiduo exercitio illustris; cuius anteactae vitae et beatae mortis testimonium satis exploratum dedit odor suavissimus, quo totum monasterium eiusque cella per mensem integrum summa omnium admiratione fragravit.

Item obiit in eodem monasterio soror Dorothea Boatio, cuius vitae innocentiam ab omni mortali labe immunem eius confessarius testatus est. Huic in mortis articulo Christum in figura agni apparuisse monialibus adstantibus ipsamet significavit.

In eadem urbe Oriolana obiit soror Elisabeth Gonsalva, tertii ordinis nostri, quae ieiuniis, catena cruceque ferrea carnem toto vitae tempore afflixit. Demum assiduis tentationibus divexata, prophetico spiritu donata, vitam beatissime peregit.

Item obiit ibidem soror Margarita Ruiz, tertii ordinis, quae ad supremam vitae perfectionem aspirans assiduis meditationibus, vitae austeritate et humilitate summopere excelluit et spiritu prophetico praedita in summa omnium veneratione in vita et post mortem habita est.

Item obiit soror Elisabeth Mires, eiusdem tertii ordinis, cui ob insignem vitae religiosae probitatem multas Deus gratias largitus est; futuris prophetice revelatis ac vitae necessariis divinitus saepissime collatis, sanctorumque sibi apparentium visitatione reliquiisque illustrata est.

Item obiit ibidem soror Spes Lopez, eiusdem tertii ordinis, quae

(1) De fr. Andrea Balaguer cf. l. c. pag. 255, 380.

divinitus legere ac scribere divinumque officium persolvere et intelligere meruit. Charitate erga Deum et proximos pauperes et infirmos summa pollebat, et maxima de suae sanctitatis opinione apud populum excitata diem clausit extremum.

Item obiit ibidem soror Angela Gutierez, eiusdem tertii ordinis, quae post vitam in christianarum virtutum cultu transactam, angelorum stipata comitatu caelum se petere devotae cuidam feminae revelavit.

Obiit ibidem soror Elisabeth Ruiz, eiusdem tertii ordinis, quae suis illustrissimis natalibus christianae vitae perfectionem animique purissimum candorem adiunxit, adeo ut sancti Thomae Aquinatis familiari et frequenti colloquio uti meruerit; cuius etiam sancti consilio multa ad suam vitam reique familiaris administrationem perfecit; ac tandem in summa totius populi sanctitatis opinione decessit.

Obierunt Valentiae soror Margarita Bleda, virgo in caelestium contemplatione, corporis afflictatione et in daemones victoriis illustris sanctaeque Catharinae Senensis imitatrix. Item soror Angela Claramunt, vidua, divinorum intelligentia, cordis simplicitate, patientia et afflictorum commiseratione insignis.

In provincia Portugalliae.

Frater Ioannes de Portugal, ex familia comitum de Vimioso, episcopus Visei, vita in religione et in episcopatu religiosissime ducta maximam in sui obitu sanctitatis de se famam excitavit, et ex eius corpore suavissimus odor manavit.

Item soror Elisabeth de Spiritu sancto, tertii ordinis professa, post vitam sanctissime peractam obiit cum opinione sanctitatis.

In provincia Germaniae inferioris.

Duaci in monasterio s. Catharinae Senensis obiit soror Ioanna de sancta Catharina, omni virtutum genere illustris et summam sanctitatis opinionem de se reliquit.

In provincia Peruana.

Frater Vincentius Vertiedo, sacerdos, senio confectus, virginitate, abstinentia et in sanandis infirmis gratia propheticoque lumine insignis; claruit in conventu sancti Rosarii de Lima.

Frater Bartholomaeus Martinez, sacerdos, apostolicus concionator, in conventu de Lima religiosis virtutibus clarus et monasticae austeritatis zelator, post multos labores ac poenitentias pro religione et salute proximorum susceptas cum sanctitatis fama obiit.

In provincia s. Catharinae Martyris del Quito.

Frater Petrus Bedon magister, religiosae observantiae custos et zelator, sanctissimi Rosarii promotor; summaque in beatam Virginem pietate clarus, virtutibus omnibus ornatus obiit.

Frater Hieronymus de Mendoça, sacerdos, post longum virtutum christianarum exercitium senio confectus obiit cum fama sanctitatis.

Frater Christophorus de Pardabe virtutum omnium luminibus effulsit et post mortem summa fidelium devotione tamquam sanctus colitur.

In provincia s. Petri Martyris.

Pater fr. Ambrosius de Mantua in strictiori observantia totam vitam duxit, sanitatem infirmis restituit, et post mortem a populo inter caelites habetur.

Pater fr. Hyacinthus de Borgis, humilitate et mansuetudine insignis, in articulo mortis sibi apparuisse sanctissimum patrem nostrum Dominicum eique de sua salute spem maximam dedisse testatus est; quem obdormisse in Domino summus odor et integritas corporis, populi concursus et gratiae fidelibus collatae demonstrant.

In provincia sanctissimi Rosarii Philippinarum.

Occisus est pro Christo Domino et promulgatione sancti evangelii rev. p. fr. Ludovicus Exare Beltran cum aliis novem religiosis Iaponibus professis nostri ordinis anno Domini 1627.

In congregatione Occitana.

Apud s. Maximinum in conventu b. Mariae Magdalenae obiit pater fr. Petrus Fornesius septuagenarius; qui postquam per viginti annos in asperiori poenitentia ibidem se exercuit, in ecclesia ante sanctae Mariae Magdalenae reliquias in oratione pernoctans, ieiuniis in pane et aqua omni feria sexta, insuper et catena ferrea ac disciplinis frequentibus carnem domitans, maximam de sese sanctitatis opinionem reliquit.

In conventu Avenionensi obiit pater fr. Antonius Gontardus, per triginta quinque annos observantiae regularis ad unguem tenacissimus; puritatis zelo praecellens angelo custodi adeo familiaris erat, ut ab eo noctu ad orationem excitaretur atque per diem ad virtutum praxim incitaretur; cuius sanctitatis existimationem populi ad ipsius tumulum confluentis et vestium particulas praescindentis devotio comprobatur.

In congregatione Indiarum Orientalium.

In insulis de Solor ab hostibus fidei interfectus rev. p. fr. Augustinus de Magdalena gloriose martyrium consummavit.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Urbano VIII. et felici statu sanctae matris ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo imperatore Ferdinando et felici statu Romani imperii quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Francorum rege et reginis uxore et matre q.s.u.m.

Pro catholico Hispaniarum rege Philippo et regina quil. s. un. mis.

Pro serenissimo rege Poloniae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino d. cardinali Burghesio, nostri ordinis protectore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo d. d. cardinali de Aracaeli, ex ordine nostro assumpto, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino d. cardinali de Cremona, ex ordine nostro assumpto, quilibet sacerdos unam missam.

Pro collegio illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium sanctae Romanae ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus praelatis ex ordine nostro assumptis qu. sac. un. mis.

Pro illustri domino d. Ioanne du Tillet, barone de la Buissiere, insigni benefactore nostri ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus, qui contulerunt eleemosynas huic nostro capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro bono statu totius ordinis nostri et eius capite reverendissimo magistro generali et in eius societate laborantibus quil. sac. unam mis.

Ubi patribus sacerdotibus una missa, clericis litaniae, conversis vero decies pater noster et Ave Maria imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro animabus bonae memoriae illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuas eleemosynas capitulo generali in suis testamentis reliquerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima reverendissimi generalis fr. Seraphini Sicci Papiensis, qui per sexdecim annos ordinem nostrum iustitia et aequitate moderatus est, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri, qui a tempore capituli generalis proxime praeteriti obierunt, quil. sac. un. missam.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. un. mis.

Ubi patribus sacerdotibus una missa, clericis officium defunctorum, conversis vero rosarium imponitur.

Indicimus ac designamus sequens capitulum generale, quod erit provincialium, anno 1632 celebrandum in provincia Baetica, in conventu s. Pauli Hispalensi, vel ubi reverendissimo magistro ordinis placuerit.

Quoniam praesentium actorum impressio dilata est ad haec usque tempora, quibus assumptus est ad episcopatum Catacensem admodum rev. p. magister fr. Lucas Castellinus, procurator generalis ordinis, significatur omnibus, a reverendissimo magistro ordinis eius loco suffectum et institutum procuratorem generalem ordinis cum solita auctoritate admodum rev. p. magistrum fr. Vincentium Maculanum de Florentiola, nostrae provinciae utriusque Lombardiae, inquisitorem Ianuensem.

Laus Deo.

ACTA (1)
CAPITULI GENERALIS IANUAE
IN CONVENTU SUBURBANO S. IACOBI
APUD CORNELIANUM CELEBRATI
DIE XXX. MENSIS OCTOBRIS ANNO MDCXLII.

Sub reverendissimo p. fr. Thoma de Roccamora Orelitano, sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, in eodem capitulo unanimiter electo, diffinientibus:
admodum rev. p. magistro fr. Sigismundo Ferrario (2) prov. Hungariae,
admodum rev. p. mag. fr. Ioanne Philippo Fridt provinciali Teutoniae,
admodum rev. p. mag. fr. Dominico Marino (3) prov. Terrae Sanctae,
admodum rev. p. mag. fr. Dominico Lauro provinciali Bohemiae,
admodum rev. p. magistro fr. Francisco de Cozâr diffinitore Bethicae,
adm. rev. p. mag. praesentato fr. Laurentio Oferail dif. Hiberniae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne del Castillo diffinitore provinciae s. Iacobi de Mexico,
admodum rev. p. magistro fr. Cypriano de Medina diffinitore provinciae s. Ioannis Baptistae del Perù,
admodum rev. p. praedicatore generali fr. Petro de Velasco diffinitore provinciae s. Vincentii de Chiappa,
admodum rev. p. magistro fr. Hieronymo Vincentio Maymo diffinitore provinciae s. Antonii de Novo Regno,
admodum rev. p. praesentato et praedicatore generali fr. Ildephonso de Aponte diffinitore provinciae s. Catharinae Martyris de Quito.

Universis totius ordinis praedicatorum patribus ac fratribus Fr. Thomas de Roccamora Orelitanus, sacrae theologiae professor ac eiusdem ordinis humilis magister generalis ac servus, salutem et s. Spiritus gratiam copiosam.

Si unquam verosimillimum fuit, quod in apologetico dixit Nazianzenus, artem artium esse ac scientiam scientiarum regere hominem, ut-

(1) Acta huius capituli per capitulum sequens Romae cel. a. 1644 nulla declarantur (decl. 4). Quod attinet ad famosam illam historiam depositionis Nicolai Rodulphii fusius tractabitur novisque documentis illustrabitur in speciali quodam opere. Interim adeas MASETTI *Antiquitates* etc. II, 106 sqq.; SSOP. II, 457 sqq.; opusculum, quod inscribitur: *Dioptra Transalpina* auctore *F. Lucio Orbiculi de Vitriaco.*

(2) De fr. Sigismundo Ferrario cf. SSOP. II, 550.

(3) De fr. Dominico Marino (de Marinis) cf. l. c. pag. 626.

pote animal omnium maxime varium et multiplex, certe id his temporibus comprobatur esse verissimum, quando ubique fere terrarum quassantur maximorum quorumlibet rectorum imperia, et in utroque orbe velut per nationum contagia sensim icta tabescit omnis humana parendi facilitas. Unde isthaec tot perturbationum seges, sanctissimarum legum excidia, morum avitorum funera ubique iam deplorantur, videlicet bulliente passim feroci novandarum rerum studio, ut iam non artis, sed miraculi pene sit regere hominum societatem.

In ea igitur universali omnium rerumpublicarum tempestate nos ad suprema praedicatorii ordinis gubernacula, meritis licet imparibus, evocati, vobis tanquam e culmine solliciti acclamamus, ut nunc potissimum status ac professionis vestrae rationem habentes id agatis, ne mundi undequaque tumultuantis ruina vos minus cautos involvat, et alieni furoris exemplum eos, qui de mundo non sunt, in vertiginem ac praecipitia non obducat.

Stetit hactenus religio nostra in unitatis spiritus quam solidissime compacta, stetit absque hiatu, velut turris David contra Damascum, decorata mille clypeis ex ea pendulis, omnigena armatura fortium feliciter instructa, vallata saluberrimis legibus ac institutis, robustissimis vexillata praesidibus, sanctis populata cohortibus. Hem! propugnaculum sane ipsa sua firmissimum unitate, de qua tamen heu pene actum erat in his comitiis, nisi aliter visum fuisset propitio numini, cuius tam omnipotenti sapientiae, tam sapienti omnipotentiae, nec peregrinum est nec difficile, pessima quaeque in magnorum bonorum occasiones convertere. Dominus enim est, monente ecclesiastico, non tantum faciens pacem, sed et creans malum hoc est, m. Basilio exponente, de malo velut de nihilo educens bonum. Permisit, inquam, mirabiles quasdam elationes maris mirabilior in altis Dominus, sed ut nostram vestramque exploraret infirmitatem. Addormivit nostro inter procellas discrimini pius magister, sed ut ferventius orarent discipuli, ac sopitum precibus anxii suscitarent. Seviit spectante Domino tempestas in turrim nostram, et quod mirandum, auspicabatur illa ab ipso summo pinnaculo stragem potissimam, prout in subnexa narratiuncula vobis denuntiant patres electores; sed potior fuit is, per quem reges regnant et principes iusta decernunt; qui proinde gravissimis eiusdem capituli patribus in turbine adversae turbae iam ferme desperabundis animum dedit creandi caput, ne quod ordini invisum imponeretur caput in pinnaculi nostri detrimentum.

Horum concordibus primum suffragiis, dein calidis rogatibus in hoc fastigium adacti potius quam ducti, eo nos loco iam constitisse intelligimus, ob quem de singulorum vestrum salute, deque communi totius afflicti ordinis statu, et nunc vigilantissima nobis exantlanda sit cura, ut olim rigidissima supremo iudici reddenda sit ratio.

Utinam ergo in hoc loco superiori periculoque exinde maiori constituti id assequamur, quod unicum, Deo teste et auspice, intendimus, salutem nempe omnium vestrum sanctique ordinis floridam et serenissimam tranquillitatem, pro qua asserenda servandaque egimus, quaecumque hactenus in isto capitulo acta sunt, eamdemque vobis fidenter transmittimus, ut in ipsis scopum sincerissimi candoris ac paterni officii nostri agnoscentes, ad eorum normam formamque religiose componatis, avitam legum nostrarum, pro qua stetimus ac stamus, reverentiam rediviva alacritate complectamini, eaque accuratissime exequamini, quae ad praepotentis Dei gloriam, ad animarum lucrum, ad ordinis solatium meumque relevamen pertinere cognoscetis.

Valete, filii in Domino dilectissimi, chara viscera cordis mei, valete.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, et beatae Mariae semper virginis et beati patris nostri s. Dominici omniumque sanctorum et sanctarum Dei.

Universis patribus ac fratribus totius ordinis praedicatorum ad perpetuam rei memoriam.

Cum ad generale capitulum per reverendissimum patrem totius ordinis generalem magistrum fr. Nicolaum Rodulphium convocati, in conventu Ianuensi sancti patris nostri Dominici convenissemus, contra omnium nostrum spem reperimus, non solum praefati ordinis caput abesse, sed et rev. p. provincialem magistrum fr. Michaelem Mazzarinum (1) ibidem se iam instar vicarii generalis et praesidis capituli gerentem; circa quod utpote alienum a nostris constitutionibus, quae dist. 2. cap. 8. num. 2. provisionem praesidis capitularis in absentia magistri ordinis remittunt ad liberam praesentium diffinitorum electionem, tantae ortae sunt ambiguitates, ut magna pars patrum vocalium a loco capituli tantisper recedendum duxerit, ex quo viderat praefatum patrem de gravissimis incommodis ex sua praetensa praesidentia emersuris admonitum, modesteque rogatum omnino nolle cedere suae praetensioni. Unde per patrum secedentium varias protestationes iuridicas quaesitum fuit iuri remedium; quo partim non audito, partim non acceptato, sed semper spreto, demum die 25. octobris ipse sine his capitulum solemniter ingressus est cum 15 tantum provincialibus, ubi iterum iisdem protestationibus solemniter nomine absentium per procuratorem interpositis, iterumque ab ipso spretis, repente proposuit praeses ante omnia alia consilium de reverendissimo ordinis magistro deponendo, nulla vel minima culparum

(1) De fr. Michaele Mazzarino cf. MASETTI l. c. pag. 141 sqq.

cognitione, immo nec mentione facta citraque omnem discussionem, inquisitionem, processum iurisque formam, nullo comparente accusatore, fisco etc.

Cumque ex praesentibus aliqui ab isto procedendi modo abhorrentes reclamarent, hoc negotium ita crude peragi non posse, perrexit tamen praetensus praeses iussitque, ut subito ad vota secreta procederetur.

Interea assurgens admodum reverendus pater magister provincialis Terrae Sanctae fr. Dominicus Marinus, gravem ac solidam appellationem ad sanctam sedem apostolicam ac eminentissimum dominum protectorem tam scripto quam voce interiecit, quae etiam a praesentibus omnibus acceptata authenticeque ab illorum secretario registrata fuit.

Quo peracto idem admodum reverendus pater magister provincialis unaque cum ipso admodum reverendus pater magister provincialis utriusque Lombardiae, videntes iustitiam et manifestam aequitatem violentiori aliorum fervore hic praevalere minime posse, a loco confestim se proripuerunt.

Exinde praeses habitis plurium, non tamen omnium, praesentium suffragiis, de facto deposuit magistrum ordinis absentem, inauditum, non praemonitum etc., exemplo, hactenus religio stat, nunquam viso.

Deinde idem praeses, non attendens, quod sua praesidendi, si quam habuerat, auctoritas post semel abruptam suspensionem reverendissimi patris generalis, omnimodamque eius factam depositionem penitus iam emortua esset, ut manifestissime habetur ex brevi apostolico ad eminentissimum protectorem directo, ulteriora attentavit, eiusdemque diei vespere post horam quidem noctis tertiam indixit, pro diluculo proximo electionem novi magistri ordinis, eamque praefinito tempore valde mane in effectum deduxit, nullo habito respectu legum ac rituum nostrorum, nempe admissis compluribus, neutiquam admittendis, exclusisque non paucis, quos omnino citare et admittere debuisset; quo factum est, ut vocales Teutoniae, Bohemiae, Hispaniae, Indiarum, aliique tanquam per vim ac fraudem circumventi suisque iuribus contra fas privati novam interponere debuerint protestationem de totius attentati notoria iniquitate ob plurimos defectus alibi latius explicatos.

Denique his aliisque erroribus, propter quos ad partem vocalium exclusorum, tanquam ad saniorem devoluta demum fuit secundum canones electio, rite ponderatis, ex discretorum consilio translatum fuit capitulum ad locum securiorem et a tumultuum periculo remotiorem, nempe ad conventum nostrum s. Iacobi de Corneliano in suburbio Genuensi, eademque opera designata fuit alia electio per litteras convocatorias tenoris sequentis:

In nomine sanctissimae Trinitatis.

Universis ac singulis patribus ad electionem magistri ordinis praedicatorum de iure ac praesertim secundum praesentem rei exigentiam qualificatis, Ianuae existentibus, fr. Ioannes Philippus Fridt eiusdem ordinis, sacrae theologiae magister, apostolicus inquisitor generalis ad tractum Rheni partesque anexas, prior provincialis Teutoniae, salutem et communis boni ferventem zelum.

Cum ad hoc generale capitulum a finibus terrarum convocati simus ad publica nostri ordinis emolumenta salubri consilio pertractanda et ad providendum quibuslibet tantae religionis necessitatibus, inter quas maxima est, ne ordo noster vel acephalus videatur vel alicui illegitime electo capiti per vim aliquorum nostramque conniventiam ullatenus subiiciatur, merito nobis in id intrepido animo ante omnia incumbendum est, ut, si quid hac in parte contra ordinis leges, provinciarum iura, ipsamque iustitiam ab aliquibus attentatum fuit, omni possibili modo reprimatur, ne suffragiis nostris ullum praeiudicium quoquo modo praevalere permittamus.

Certe cum ingenti admiratione intelleximus, die 25. huius aliquos ex concapitularibus nostris una cum suo suspectae auctoritatis praeside, non citata nec audita reliqua capitularium parte, eo processisse, ut de facto reverendissimum ordinis magistrum p. fr. Nicolaum Rodulphium exauctorarint ac die postero alium eligere ausi sint in generalem, multis vocalium partim non advocatis, partim etiam positive exclusis, immo, et ad medietatem fere admissis non admittendis, videlicet sociis provincialium, qui praesente suo provinciali vocem non habent ad eligendum magistrum. Contra quem agendi modum scopumque et ante et sub actu graviter multipliciterque protestatum fuit a diversis. Qua in re nemo non videt, gravissime laesam fuisse reliquam capitularium partem, iustumque fore, si huiusmodi partialia attentata contrariis, quoad fieri potuerit, actibus retundantur, maxime cum iura ipsa canonice decernant, quod si maior eligentium pars impegerit contra canones instituendo electionem vitiosam, qualis certe multis ex capitibus fuit illa, quam praefati electores instituerunt, tunc ius electionis totum devolvi ad reliquam partem eiusdem capituli tanquam saniorem, quantumvis haec in numero minor fuerit.

Cum vero praesidis officium in illo, qui hactenus comitiis istis praesedit, apertissime expiraverit eo ipso, quod administratio ordinis commissa eminentissimo protectori determinata fuerat tantum ad tempus durantis suspensionis magistri ordinis, qua proinde suspensione per depositionem qualemcumque, illam semel iam abrupta simul utique extincta

fuit provisio praesidis facta forsitan ab eodem eminentissimo protectore, constat illam praesidendi potestatem ipso constitutionum iure rediisse ad personam admodum reverendi patris magistri provincialis utriusque Lombardiae, in cuius provincia capitulum celebratur, quem tamen isti ad suam electionem ne quidem ut suffragatorem intromiserunt. Unde nos tanquam sanior pars reliqua de legitimo praeside deinceps solliciti ad eundem pro subeundo praesidis munere recurrendum duximus vigore constitutionum; eo autem a tali molestia humiliter se excusante, reliquis vero provincialibus, in quorum provinciis superiora capitula suo ordine celebrata fuerunt, partim absentibus, partim contraria opinione impeditis, tandem iure capituli in nostra Teutoniae provincia ultimo celebrati, praetactum praesidis munus communi consensu addictum fuit mihi, licet immerenti minimeque cogitanti; quod et rogatus demum acceptavi, ne in casu tam extraordinario, ubi et remediis extraordinariis opus esse videbam, inque tanta necessitate moram non patiente afflicta religio omni opportuna provisione destituta grave incurreret detrimentum, si ex solo defectu praesidis cogeretur admittere, quod iura nostra per aliorum praeiudicia attentata despectui haberentur.

Itaque coacto patrum ad hoc spectantium consilio declaratum fuit, reliquos concapitulares nostros vitiosae illius nimiumque iniustae electionis auctores excidisse iure suffragandi deinceps in hoc capitulo. Exinde decretum quoque fuit unanimi calculo praesens capitulum pro maiori personarum nostrarum securitate, scandalorum cautela ac turbarum evasione transferendum esse in alium locum tutiorem.

Ego igitur supranominatus tenore praesentium et auctoritate supradicta de consilio discretorum transfero translatumque declaro praesens nostrum generale capitulum a conventu s. Dominici ad conventum s. Iacobi apud Cornelianum in suburbio eiusdem civitatis, et universos ac singulos legitimos capitulares, contraria opinione non impeditos, quorum interest aut interesse putatur, certiores reddo, quod de consilio prudentum destinaverim diem 30. octobris pro instituenda in dicto conventu s. Iacobi electione magistri ordinis aliisque tractatibus, quae commune ordinis bonum concernunt, inchoandis.

Quapropter eosdem solemniter requiro, cito et advoco, ut eadem die 30. octobris mane circa horam 15. (1) conveniant omnes ad praefatum conventum nostrum s. Iacobi, ut illi omni meliori ac possibiliori modo ad electionem magistri ordinis procedamus ac religioni nostrae, cui alii caput suum taliter eripere conati sunt, legitimum aliquod caput restituamus ea solemnitate, quam praesens rei conditio admiserit.

---

(1) Id est circa horam nonam antemeridianam.

Quod si aliquis vel aliqui contra spem nostram ab hoc actu sese absentare voluerint, sciant, me cum aliis capitularibus, qui praesentes fuerint, nihilominus ad actum processurum, ipsorum absentia minime obstante.

Veniant ergo potius reverendi patres provinciales vocales, quotquot ordinis bonum et iustitiae per nuperam electionem laesae remedium amant. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

In fidem his sigillo nostro munitis propria manu subscripsimus.

Actum Genuae die 23. octobris 1642.

Locus † sigilli.

Fr. Ioannes Philippus Fridt, qui supra m. p.

Huius porro convocationis vigore patres provinciales, diffinitores et electores die 30. octobris in unum collecti, invocata Spiritus sancti gratia, debitisque praeambulis rite ac solemniter praemissis, locum capituli ingressi sumus, ubi praemisimus ante omnia solemnem protestationem, quae veros piosque filios decere videbatur, nempe de non inferendo praeiudicio reverendissimo patri nostro fr. Nicolao Rodulphio, qui ordinem nostrum annis 14 integerrime, exemplariter, fructuose, cumque insigni observantiae zelo, morum reformatione et totius religionis notorio incremento gubernavit; quin potius lachrimose instamus omnes, ea qua par est filiali pietate, supplicantes sanctae sedi apostolicae, ut tantum nobis parentem restituere de benignitate apostolica clementer atque paterne dignetur. Quo casu ille, quisquis hac vice a nobis vel ex nobis ad generalatus officium electus fuerit, lubens et promptus suum magistratus officium cedet ac resignabit, ut tantus pater sua iterum dignitate potiatur.

Freti igitur hac filiali pietate sanctaque intentione, cum aliud nihil quaereremus, quam quod ad publicum matris nostrae sacrae religionis solatium in tanta eius necessitate spectare videbamus, ideo securissimis conscientiis, pleno corde et ore, secundo fuimus protestati, et quoad opus est, iterum coram Deo, coelitibus totoque orbe protestamur, quod hoc actu neutiquam intendebamus laedere unitatem ordinis, sed potius omnibus huiusmodi incommodis, quantum in nobis foret, graviter occurrere illegitimo regimini velut magnorum divortiorum semini obviare, scissuram ex illa praeterita vitiosa electione in diversis nationibus inevitabiliter orituram impedire ac de legitimo nobis capite providere.

Denuntiationes.

1. Proinde denuntiamus universis nostri ordinis fratribus, fuisse a nobis rite, canonice, concorditer unanimique suffragio electum in generalem totius ordinis nostri magistrum reverendissimum p. fr. Thomam

de Roccamora Orelitanum, sacrae theologiae professorem et diffinitorem provinciae Aragoniae.

2. Denuntiamus ac denuntiando declaramus, electionem magistri ordinis in conventu s. Dominici de Genua die 26. octobris anno praesenti attentatam et capitulum ibidem ab altera concapitularium nostrorum parte utcumque celebratum, prorsus illegitima, irrita ac nulla esse, electumque admodum reverendum patrem magistrum fr. Michaelem Mazzarinum, provincialem Romanum, re ipsa neutiquam ab ullo habendum esse pro vero magistro generali nostri ordinis; proinde mandamus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae ac sub formali praecepto, necnon sub poena excommunicationis maioris latae sententiae ipso facto incurrenda, hac una pro trina canonica admonitione praemissa, universis ac singulis fratribus ordinis nostri, ne quisquam illi hoc titulo ullam praestet obedientiam nec illius capituli acta acceptet, si forte alicubi comparuerint. Ipsi vero praenominato p. fr. Michaeli Mazzarino sub eodem praecepto ac excommunicationis poena, hac pariter una pro trina canonica admonitione praemissa, mandamus, ut quantocitius a loco, functione ac titulo magistri ordinis abstineat nullumque deinceps actum huius officii attentare aut ordinis regimini sese immiscere praesumat. Si secus egerit et in hac usurpatione alienae auctoritatis perrexerit, declaramus ex nunc pro tunc illum incidisse in superius latam excommunicationis sententiam et in reliquas poenas canonum nostrarumque constitutionum velut schismaticum et invasorem alieni officii. Idem per omnia intelligi volumus de omnibus eius fautoribus, receptoribus, aut quoquomodo factiose ipsi adhaerentibus, quos, si in ea obstinatione perstiterint, declaramus incidere in poenam supradictam et in privationem officiorum ipso facto.

3. Denuntiamus provinciam nostram Hungariae, olim quidem bellorum ac haeresum intemperiis misere prostratam, hac nostra aetate ad antiquum suum florem aliqua saltem ex parte recuperandum feliciter conniti, aurigante favore virorum illustrium ac praesertim invictissimi imperatoris suffragante insigni clementia; quibus auspiciis in ipsa natali domo s. praesulis Martini Sabariae iam assurgit novus conventus, aliique propediem plures seu fundandi seu postliminio recuperandi sperantur. Unde quantum in nobis est, eandem denuo erigimus erectamque declaramus in provinciam sub titulo s. Martini cum omnibus iuribus ac privilegiis, quae reliquis provinciis in ordine nostro competere solent, reddentes ei locum suum pristinum, nempe septimum in ordine provinciarum.

Concessiones.

1. Concedimus singulis patribus provincialibus ac diffinitoribus, qui in hoc nostro generali capitulo diffinierunt, ut quilibet eorum in sua

provincia possit unum de filiis eiusdem provinciae, qui ad poenas gravioris culpae ante hoc capitulum sententiatus fuerit, restituere ad omnes gratias ordinis, dummodo sese hoc favore dignum exhibuerit frater restituendus.

2. Concedit reverendissimus ordinis magister universis ac singulis religiosis suae curae subiectis, ut semel eligere sibi possint confessarium ordinis, alias pro excipiendis confessionibus approbatum et expositum, per quem ab omnibus peccatis et censuris, in quae vel in quas ante horum promulgationem inciderunt, absolvi possint.

Ordinationes.

1. Ordinamus, ut, quam primum fieri possit, compiletur ac typis mandetur caeremoniale ordinis pro commoditate et uniformitate omnium provinciarum ; committimusque reverendissimo patri nostro generali, ut ad hoc opus perficiendum seligat ac deputet aliquos patres specialiter idoneos ac peritos, caeteraque omnia, quae ad hoc opus requiri viderit, accurare dignetur.

2. Ordinamus omnibusque conventuum superioribus mandamus, ut alacri zelo adlaborent, quatenus egregia illa devotio rosarii perpetui ubique ad agonizantium subsidium et christianae pietatis promotionem ubertim propagetur, deputato ad hoc in singulis conventibus aliquo idoneo patre, qui eius rei promovendae, fovendae ac dirigendae indefessam curam habeat.

3. Ordinamus, ut in missis ferialibus per quadragesimam dici solitis ad inchoationem illius versus « Adiuva nos, Deus salutaris noster » etc. fratres omnes in choro genua flectant.

4. Ordinamus et praecipimus, ut nullus deinceps a provincia exponatur ad aliquem gradum, nisi expresse addatur numerus annorum et nomina locorum seu loci, quamdiu et ubi legerit aut praedicaverit.

5. Ordinamus, uti et pluries severissime ordinatum fuit, districteque praecipimus, ne ullibi in provinciis Indiarum ad sacrum religionis nostrae habitum ac professionem ullatenus possint suscipi illi, quos mestizios vocant, seu qui de sanguine Indorum Aethiopumve ex parte alterius vel utriusque parentis progeniti sunt ; auferentes quoad hoc potestatem ab omnibus et singulis conventibus ac eorum praelatis faciendi contrarium sub quovis etiam praetextu ; insuper statuimus poenam absolutionis ab officio prioribus contrarium attentantibus.

6. Ordinamus ac singulis conventuum et locorum praesidentibus serio mandamus, prout saepius mandatum fuit, ut magno zelo ac diligentia foveant in populis atque promoveant laudabilem morem recitandi publice in ecclesiis nostris rosarium, curentque patres concionatores a suggestu ritum illum fervide ac frequenter suis auditoribus inculcare ;

ubi vero dicta sanctissima consuetudo hactenus introducta non fuit, quanto citius introducatur.

Declarationes.

Declaramus ordinationem 27. postremi capituli generalis Romae celebrati in favorem provinciarum in Indiis fundatarum sancitam ita intelligendam esse, quod earumdem patres procuratores ad generalia capitula accedentes voce tam diffinitiva quam electiva gaudeant, non in solis capitulis electionum, sed etiam in capitulis diffinitionis tantum.

Pro provincia utriusque Lombardiae.

Promovemus ad magisterii gradum rev. p. lectorem fr. Innocentium Granelli de Genua, priorem huius conventus s. Iacobi apud Cornelianum, salvis tamen per omnia iuribus ac statutis huius provinciae.

Item promovemus in eadem ad gradum magisterii titulo praedicationis p. lectorem fr. Vincentium Mariam de Alexandria, salvis iuribus ut supra.

Pro provincia Romana.

Acceptamus magisterium rev. admodum p. provincialis Bohemiae fr. Dominici Lauri cum loco et voce pro sua nativa provincia Romana, nisi obstet in ea aliqua dispositio apostolica.

Eadem conditione acceptamus magisterium rev. p. fr. Reginaldi de Luna pro provincia iam dicta.

Pro provincia Hungarica s. Martini noviter iterum restituta.

1. Damus huic provinciae instituimusque primum a restauratione priorem provincialem rev. patrem magistrum fr. Sigismundum Ferrarium, hactenus eiusdem commissarium et conventuum Stiriae atque Carinthiae vicarium generalem.

2. Eidem provinciae incorporamus denuo incorporatosque declaramus omnes nostros conventus, qui hactenus seorsim sub nomine et forma congregationis Stiriae et Carinthiae ab eodem patre magistro, tunc vicario, gubernati fuerunt.

Quotquot autem conventus deinceps recuperabuntur ex iis, qui ad hanc provinciam olim spectaverunt, ex nunc pro tunc iterum isti provinciae sint ac censeantur incorporati.

3. Confirmamus saluberrimas reverendissimi patris nostri fr. Nicolai Rodulphii ordinationes factas pro bono gubernio conventuum Stiriae et Carinthiae, easdemque extendimus pariter ad provinciam Hungariae.

4. Confirmamus strictam observantiam ab eodem nostro reverendissimo patre in conventu Sabariensi institutam uti et eam, quae in Petoviensi conventu iam viget. Hortamurque admodum rev. p. provincialem, ut, quantum in Domino potuerit, suaviter conetur eumdem rigidioris ob-

servantiae tenorem in reliquos etiam conventus suae curae subiectos introducere.

5. Ordinamus, ut in generali studio Graecensi nullus deinceps examinari possit in lectorem, nisi per triennium ad minus illic reipsa studio theologiae incubuerit publicasque sustinuerit conclusiones.

6. Acceptamus ad beneficia ordinis reverendissimum et illustrissimum d. Gregorium Drascovitium, episcopum Iauriensem, velut eximium eius provinciae adhuc tenellulae patronum ac benefactorem, utpote cuius favore et concessione aedem s. Martini possidemus.

Eodem modo gratitudinis studio acceptamus ad beneficia ordinis illustrissimum d. comitem Ladislaum Chaki, eiusque dilectissimam coniugem comitissam Magdalenam, ut fundatores conventus nostri s. Martini; denique illlustrissimum palatinum regni comitem Nicolaum Esterhasi.

7. Promovemus ad gradum magisterii rev. p. lectorem fr. Paulum Merenda, priorem conventus nostri a Novo Claustro.

Item ad gradum eumdem p. fr. Dominicum Rasconium ex nunc provehimus, postquam ipse huic provinciae per 3 annos servire perrexerit, alias promotio ista suum effectum neutiquam sortiatur.

8. Committimus admodum rev. patri magistro provinciali Teutoniae, ut, si viderit expedire, recipiat p. fr. Dominicum Wisenmayer ad gratias ordinis et poenitentias, quas incurrit, relaxet, si tamen verae resipiscentiae signa dederit.

Pro provincia Teutoniae.

1. Instituimus in regentem generalis studii nostri Coloniensis rev. p. magistrum fr. Nicolaum Haustadt.

2. Declaramus regentiam studii generalis in conventu Viennensi neutiquam vacare, sed eius legitimum regentem esse ac permanere rev. p. fr. Iacobum Plenck (1), non obstante officio sui prioratus ibidem; proinde nolumus aliam circa hoc dispositionem ab ullo attentari aut in dicto conventu ratam haberi.

3. Monemus universos conventuum priores, meminerint non esse in ipsorum arbitrio ac potestate, ut fratres pro suscipiendis sacris ordinibus mittantur vel pro excipiendis confessionibus exponendi praesententur ordinariis, sed ad hoc requiri scitum expressamque licentiam admodum rev. p. provincialis, quem proinde toties quoties convenire tenentur pro eius consensu obtinendo.

4. Confirmamus et, quoad opus est, renovamus severissimam excommunicationis sententiam latam, cui poenam absolutionis ab officio

---

(1) De fr. Iacobo Plenk cf. Seb. Brunner *Der Predigerorden in Wien und Oesterreich*. 1867. pag. 6, 31, 32.

adiungimus, contra priores et locorum praesides, qui fratres vagabundos ac sine licentia superiorum adventantes aliter quam in carceribus exceperint.

5. Confirmamus laudabilem huius provinciae consuetudinem, ut nemo in ea possit appellari lector, multo minus titulum hunc vel admittere vel etiam ab aliis exigere, nisi actualiter philosophiam aut theologiam profiteatur, vel saltim alicubi reipsa olim cursum perlegerit.

6. Ordinamus, ut deinceps priores conventuales, qui ad minimum septem fratres clericos in suo conventu ordinarie non alunt, nequeant tanquam vocales accedere vel admitti ad capitulum provinciale; assignamusque ipsis pro termino spatium dimidii anni, ut interim sibi consulant ac numerum sibi iam praefixum integrare satagant.

7. Concedimus licentiam admodum rev. p. provinciali, quisquis pro tempore fuerit, ut occurrente necessitate possit ipse facultatem impertiri fratribus idoneis, qua gradus usque ad doctoratum inclusive suscipiant in universitate Coloniensi, ita tamen ut postea desuper reverendissimum nostrum teneatur informare.

8. Declaramus lectoratum artium ad ipsum significare in ordine nostro, quod in academiis Germaniae effertur nomine magisterii artium; nolumus tamen, quod hoc titulo quisquam intra ordinem utatur, vel occasione huius declarationis aliquid peculiare praetendere possit, sed ut tantum suffragetur ad effectum admissionis in collegiis universitatum seu facultatibus academicis.

9. Ordinamus, ut in hac provincia deinceps capitula provincialia celebrentur in dominica « Deus qui errantibus », ut sic uniformitati ordinis, commoditati capitularium et indemnitati conventuum, utpote quibus hactenus absentia priorum ad autumnalia illa capitula profectorum satis damnosa fuit ex illius temporis specialibus conditionibus, opportunius consulatur; proinde hac vice constituimus et constituendo declaramus, quod officium moderni admodum rev. p. provincialis alias quidem in festo s. Michaelis anno 1644 expiratum prorogetur ac duret usque ad dominicam praedictam in anno 1645 venturam.

10. Promovemus ad gradum magisterii iuxta promotionem provinciae rev. p. praesentatum fr. Albertum Rotempuecher, priorem Bulsanensem.

Ad gradum praesentaturae rev. p. praedicatorem generalem fr. Ioannem Iacobum Gabalium, priorem Gamundianum, retenta sua praedicatura generali, p. lect. fr. Albertum Weis, priorem Wimpinensem, p. lect. fr. Christianum Itzstien, priorem Bambergensem, p. lect. fr. Ludovicum Bewel, magistrum studentium in studio Constantiensi, p. lect. fr. Hyacinthum Schaeffer (1), p. lect. fr. Reinerum Pistorium (2), magistrum stu-

(1) De fr. Hyacintho Schaeffer cf. l. c. pag. 6.

(2) De fr. Reinero Pistorio cf. l. c. pag. 7, 32, 34.

dentium in generali studio Viennensi, p. lect. fr. Dominicum Hohenhauser, p. lect. fr. Rodulphum Roelen; ad gradum praedicaturae generalis p. fr. Gregorium Eckle, p. fr. Antonium Walschleb, p. fr. Ioannem Longwich, priorem Herbipolensem, vicarium Franconiae, p. fr. Ioannem Bauswein, p. fr. Andream Hoffman, priorem Ratisponensem, p. fr. Gregorium Feurer, priorem Colmariensem, vicarium Alsatiae, p. fr. Michaelem Kress, p. fr. Alexandrum Lehman, vicarium Heidelbergensem, p. fr. Arnoldum Gillium, priorem Trevirensem, p. fr. Reginaldum Baderum (1), concionatorem conventus Constantiensis, p. fr. Nicolaum Munsterum, priorem Aquisgranensem, p. fr. Michaelem Gumperz, priorem Moguntinum, p. fr. Ambrosium Engelman, priorem Constantiensem, vicarium Helvetiae.

Porro in hoc catalogo non intendimus eos, qui secundum annos professionis minores sunt, aliis aequali gradu decoratis et professionis antiquitate maioribus praeponere.

Pro provincia Aragoniae.

Eximimus in hac provincia collegium nostrum Orelitanum, ut more aliorum collegiorum deinceps liberum sit ac immune a solutione contributionum, quas derramas vocant, cum in isthoc collegio promiscue ex universa provincia quorumlibet conventuum fratres numerose alantur.

Concedimus conventui s. Dominici Maioricarum, ut deinceps in eo recitetur 17. iulii sub toto duplici officium s. Alexii, similiter officium de s. Apollonia 9. februarii et de ss. Cosma ac Damiano 27. septembris propter specialem populi devotionem.

Promovemus ad gradum magisterii rev. p. fr. Vincentium Saborit (2) et rev. p. fr. Ludovicum Alberola.

Confirmamus a die subscriptionis suarum patentium, valere volumus ac declaramus magisteria rev. p. fr. Petri Martyris Alos et p. fr. Dominici Thomae a Cardona cum omnibus iuribus ac privilegiis huic gradui annexis.

Ad gradum praesentaturae promovemus p. fr. Franciscum Tomas et p. fr. Thomam Marti. Pro insulis Maioricarum damus lauream magisterii p. fr. Antonio Rubi et gradum praesentaturae p. fr. Bartholomaeo Mora.

Caetera huius provinciae negotia ac praecipue dispositionem pro proximo capitulo eius provinciali committimus discretioni et arbitrio reverendissimi patris nostri generalis electi.

Pro provincia Bohemiae.

1. Renovamus, quoad opus est, sententiam excommunicationis la-

---

(1) Idem esse videtur ac Reginaldus Badeo, de quo SSOP. II, 541.

(2) De fr. Vincentio Saborit cf. l. c. pag. 570.

tam in eos fratres, qui ab hac provincia temere vel absque legitima superiorum licentia se subduxerint aliorsum, ac tales mandamus non aliter quam in carceribus recipi apud alias provincias vel congregationes.

2. Districte praecipimus omnibus totius ordinis provincialibus ac congregationum vicariis, ne filios huius provinciae, qui forte ob bellicos tumultus ex ea tantisper secesserunt, diutius in suis conventibus retineant, sed confestim eos ad suam provinciam remittant.

3. Item volumus, ne deinceps ad hanc provinciam refugiant vel accedere procurent ii, qui alibi infamiam ex gravi scandalo aut rigorem correctionis poenamque ob grave delictum incurrerunt; si secus factum fuerit, puniantur et ad suos remittantur.

4. Cassamus et omnino ablatam volumus ac declaramus praetensam perpetuitatem officii prioralis in conventibus Litomericensi, Pisecensi et quovis alio, mandantes hac in parte quantotius ad effectum deduci ordinationem undecimam ultimi capituli generalis Romae celebrati.

5. Ordinamus ac serio inhibemus, ne ulla deinceps recipi possit monialis absque sufficienti dote vel certa securaque haereditate; haec vero stabiliatur, ut ex eo monasterio reditus perpetuus constitui possit.

6. Praecipimus, ne deinceps ulli particulari fratri liceat suscipere administrationem alicuius parochiae, sed ea immediate ad conventum pertineat, possitque per priorem tantum, habito desuper speciali et expresso rev. p. provincialis consensu, ac non aliter acceptari. Porro talem licentiam rev. p. provincialis neutiquam concedere possit, nisi parochia ita constituta sit, ut quisquis eam pro tempore ad nutum p. prioris administraverit, possit ac teneatur singulis vicibus intra conventum et non alibi pernoctare. Denique fructus omnes seu reditus parochiales non particulari fratri, sed immediate conventui cedant.

7. Committimus admodum rev. magistro provinciali, ut, quamprimum potuerit, conetur ab augustissimo imperatore obtinere decretum, quo prohibeatur omnibus intra vel circa limites huius provinciae degentibus dominis, qua saecularibus qua ecclesiasticis, ne absque praescitu expressaque concessione superiorum ordinis in suo servitio vel comitatu extra claustrum sub ullo praetextu detinere possint aliquem fratrem ordinis nostri.

8. Ordinamus, ne clerici professi promoveantur ad ordinem presbyteratus, donec ad minimum quatuor a professione annos expleverint.

9. Prohibemus, ne deinceps in hac provincia ad habitum praecipue clericalem suscipiantur tales, qui servilis sunt conditionis et sub mancipatu nostrorum conventuum tenentur.

10. Promovemus ad gradum magisterii rev. p. fr. Thomam Consolo, regentem nostri generalis studii Pragensis, et rev. p. fr. Dominicum Georgium.

Acceptamus magisterium rev. p. fr. Sigismundi Miascowski, in hac provincia diu laborantis, pro nativa sua provincia Poloniae cum loco et voce.

Ad gradum baccalaureatus provehimus p. fr. Ambrosium Santini et p. fr. Basilium Pica.

Ad gradum denique praedicaturae generalis p. fr. Vincentium Ferrerium, p. fr. Petrum Rossellium et p. fr. Antonium Misseron.

Recipimus ad gratias ordinis fr. Iordanum Andreae clericum et fr. Theophilum Burhenum, si tamen admodum rev. p. magistro provinciali visum fuerit, eos ob constantem emendationis spem et verae humilitatis ac poenitudinis signa tanto favore dignos esse.

Pro provincia Bethicae.

Acceptamus magisterium admodum rev. p. diffinitoris fr. Francisci de Cozar in numero eiusdem provinciae, vacante iam loco per obitum rev. p. magistri fr. Christophori de s. Maria.

Concedimus sororibus nostris s. Annae de Murcia et de Lucena, ut festum s. Annae celebrare possint deinceps cum octava solemni ad ampliorem venerationem tantae suae patronae.

Item concedimus regali conventui s. Crucis de Granata, ut deinceps festum Nativitatis beatissimae Virginis celebrent cum octava solemni ob specialem populi devotionem et accursum.

Reliqua huius provinciae negotia ac praesertim circa promotionem studiorum iustamque honorum distributionem pro iis, qui fructuose laborant ac laboraverunt, commendamus atque remittimus dexteritati ac prudentiae reverendissimi patris nostri generalis, ut, pensatis qualitatibus ac meritis, singulos speciali favore dignos, quantum fieri possit, congruo praemio consolari non gravetur.

Pro provincia Hiberniae.

1. Confirmamus ac denuo concedimus huic provinciae omnes gratias et privilegia olim ei concessa a tempore ultimi capituli generalis Ulyssipone celebrati anno 1618 usque in praesens, et extendimus in ea numerum graduum, addentes illi quatuor loca nova magisteriorum cum sex novis locis praesentaturarum.

2. Acceptamus nomine huius provinciae monasterium novum monialium fundatum pro nobilibus virginibus Hibernis in regno Portugalliae per illustrissimam dominam Exiam de Britto, comitissam de Atalaya, illudque subiicimus curae et inspectioni rev. admodum p. provincialis Hiberniae tam quoad spiritualia quam temporalia, confirmantes institutionem vicarii super dicto monasterio iam factam videlicet patris praesentati fr. Dominici de Rosario.

3. Deputamus et erigimus studium generale in conventu nostro

Longfordiensi, dummodo in ipso alantur viginti fratres, caeteraque habeat requisita.

4. Quoad caetera huius provinciae negotia, ac praesertim quoad petitam designationem conventuum in singulis provinciae nationibus, ut stricta observantia introducatur, et ubi novitii ad sacrum habitum recipiantur; item quoad promotionem studiorum et designando in singulis nationibus singula gymnasia, quae gratiis ac privilegiis studiorum generalium potiantur etc., remittimus nos ad ordinationes specialiter factas pro bono huius provinciae a reverendissimo patre nostro fr. Nicolao Rodulphio, quibus si quid addendum, declarandum aut renovandum fuerit, reverendissimus noster electus pro suo zelo ac discretione quantocitius providebit.

5. Acceptamus gradum magisterii pro dicta provincia rev. p. fr. Didaci Arthuro (1), primarii cathedratici in universitate Conimbricensi, et conferimus eumdem gradum rev. praesentato fr. Dominico de Rosario, regenti collegii Conimbricensis.

Praesentatos autem creamus ac instituimus p. fr. Mauritium de s. Petro Martyre, lectorem theologiae in dicto collegio, et p. fr. Laurentium Oferail, huius generalis capituli diffinitorem.

6. Dispensamus cum sorore Eleonora de s. Margarita in monasterio nostrae Deiparae de bono Successu de Belen, ut ibidem in priorissam eligi possit, dummodo aetatis annos habeat 40 et a professione 6 annos aliaque habuerit requisita.

Pro provincia s. Iacobi de Mexico.

1. Quoad alternativam olim in isthac provincia stabilitam rogamus reverendissimum patrem nostrum, dignetur circa eam, quod iustum proficuumque visum fuerit pro suo prudenti iudicio disponere, ne qua deinceps ambiguitas supersit.

2. Similiter rogamus eumdem nostrum reverendissimum patrem, ut quicumque deinceps scrupuli vel ambiguitates ex visitationibus et ordinationibus rev. p. magistri fr. Ioannis de Valdespino, quondam in hac provincia commissarii etc. ad ipsum a fratribus huius provinciae deferentur, ipsis opportuna moderatione mederi et tranquillitati conscientiarum pacique regiminis paterne consulere satagat, ablato rigore.

3. Ordinamus ac districte praecipimus, ut in hac provincia celebrentur indispensabiliter capitula intermedia, inque iis per delectos iudices praeter alia accuratissime examinetur, num litterae reverendissimi patris generalis ad admodum rev. p. provincialem directae executioni, ut par est, mandatae fuerint.

---

(1) De fr. Didaco Arthuro cf. SSOP. II, 536.

4. Praecipimus districte in virtute Spiritus sancti sub sanctae obedientiae formali praecepto necnon sub poena absolutionis ab officiis superioribus, quorum interfuerit, ut efficaciter serioque procurent, ne collegia nostra s. Dominici de Porta Coeli et Angelopolitanum solum gestent otiosum nomen collegii, sed potius in istis serventur adamussim omnia, quaecumque ad leges ac statuta collegiorum in ordine nostro pertinere dignoscuntur, sitque in iis integer numerus studentium cum rigido usu scholasticorum exercitiorum etc. iuxta mentem et constitutiones summorum pontificum, iuxta ultima decreta reverendissimi patris nostri Nicolai Rodulphii, quorum prius datum est Bononiae 20. ianuarii 1631, alterum Romae 30. aprilis 1635.

5. Promovemus in hac provincia ad gradum magisterii titulo praedicationis p. praesentatum praedicatorem generalem fr. Ludovicum . . . . . , et eius praesentaturam transferimus in personam fr. Ioannis de Santiago pro suo conventu, et denique eiusdem praedicaturam generalem conferimus p. fr. Michaeli de s. Hyacintho.

Item ad gradum magisterii promovemus p. praesentatum fr. Antonium de Amaya, p. praesentatum fr. Marcum Muñoz, p. praesentatum fr. Salvatorem de Salazar, p. praesentatum fr. Hyacinthum de Caravello, unumquemque pro rata sui conventus et nationis secundum leges alternativae pro locis vacantibus.

Eadem ratione instituimus praesentatos patres lectores theologiae p. fr. Gregorium Curiel, p. fr. Antonium de la Torre, p. fr. Andream de Valdes, p. fr. Alphonsum Diaz, pro locis vacantibus et pro rata alternativae ut supra.

Instituimus praedicatores generales fr. Gregorium de los Santos et p. fr. Franciscum Laudacti pro lingua Mexicana, p. fr. Christophorum Rodriguez pro lingua Chokona, p. fr. Ludovicum de Guirù pro lingua Misteça, p. fr. Didacum de Cata et p. fr. Dominicum de Amessa pro locis vacantibus, unumquemque pro suo conventu et natione.

Declaramus tamen et omnino volumus, quod gratiae fratribus huius provinciae concessae intelligantur sine praeiudicio aliorum, qui litteras antiquiores forte habuerint, salvisque provinciae iuribus et in casu locorum revera vacantium.

De numero autem magistrorum in hac provincia statuendo providebit reverendissimus pater magister ordinis.

Pro provincia s. Ioannis Baptistae del Perù.

1. Monemus admodum rev. patrem provincialem, quisquis pro tempore extiterit, ut, quantum absque praeiudicio iniuriave fieri potest, curet, quatenus in conventu nostro Limensi ss. Rosarii prior sit semper ex

qualificatoribus s. Officii, vel ad minus post electionem laboret, ut inter qualificatores s. Officii recipiatur.

2. Cum circa nostros in universitate Limensi publicos cathedraticos dubitatum fuerit, num ad prioratum conventuum nostrorum intra eamdem urbem assumi possint, volumus hac in parte omnino persisti in prima determinatione reverendissimi patris magistri fr. Nicolai Rodulphii, iterumque secundum eam, quoad opus est, decernimus ac declaramus, eosdem patres cathedraticos utique eligi posse in priores dictorum conventuum, non obstante moderatione suarum cathedrarum.

3. Rogamus patrem nostrum reverendissimum, ne unquam amplius dispenset cum illegitime natis in ordine ad capacitatem officiorum; illi vero, quibuscum hactenus forte fuit dispensatum, si non expresse in ipsorum patentibus mentio fiat de habilitatione usque ad provincialatum inclusive, neutiquam dicti officii capaces esse censeantur.

4. Statuimus, ut deinceps haec provincia nullius fratris gradum pro legitimo agnoscere teneatur, nisi omnia requisita habeat eaque singula revera ad unguem praestiterit, quae pro assequendo tali gradu fuerant praestanda.

5. Ordinamus ac severissime prohibemus, ne quis fratrum huius provinciae ad prioratum eligi vel assumi possit, qui sua studia tam philosophiae quam theologiae non absolverit.

6. Monemus rev. patrem priorem Limensem conventus ss. Rosarii, ut curet, quatenus omnes fratres theologiae studiosi saltim primi nostri cathedratici in universitate praelectionem frequentent; ad caeterorum autem cathedraticorum nostrorum, si quae fuerint lectiones, media eorumdem studentium pars per vices accedere teneatur, ne domi exercitia theologica omnino conticescant.

7. Commendamus fervide admodum rev. patri provinciali huius provinciae, ut, quantum potuerit, industrie laboret, quatenus intra dictam civitatem Limensem fundetur ordini nostro collegium pro studiorum flore ac profectu, eique provideatur meliori modo, dispositione, forma et ordine, quo eidem admodum rev. patri provinciali cum adhibito patrum magistrorum consilio visum fuerit expedire.

8. Approbamus acta ultimi capituli provincialis et declaramus, quod ii, qui ad minus per 3 annos theologiae operam non dederunt, neutiquam promoveantur in praedicatores generales.

9. Concedimus, ut in hac provincia ob specialem venerationem et honorem ss. sui patroni celebrari possit ac debeat octava s. Ioannis Baptistae sub ritu octavarum solemnium.

Alias ordinationes pro bono huius provinciae seorsim secum afferet admodum rev. pater diffinitor.

Promovemus ad gradum magisterii reverendos patres in actis capitularibus huius provinciae expositos, nempe p. fr. Gasparem de Saldaña, p. fr. Franciscum de Figueroa, p. fr. Rodericum de Cardenas, p. fr. Franciscum Carrasco.

Concedentes illis, ut interea voce et loco gaudeant, citra tamen praciudicium quorumcumque aliorum quoad ingressum in numerum dictae provinciae.

Item promovemus ad gradum magisterii rev. p. praesentatum et praedicatorem generalem fr. Hieronymum de Vera cum eadem qualitate ut supra.

Ad gradum praesentaturae promovemus rev. p. fr. Antonium de Luque (1), expositum a sua provincia, eumque instituimus pro loco sibi iam ab eadem designato.

Cum prudentissime in hac provincia quaedam tenuiora loca auctoritate reverendissimi patris nostri fr. Nicolai Rodulphii privata fuerint titulo et dignitate conventuum, eoque facto simul extinctae sint praedicaturae generales pro rata talium quondam conventuum ab eodem collatae, concedimus hac vice dumtaxat, attentis meritis et qualitatibus eorum patrum, quibus illae praedicaturae olim concessae fuerant, ut iidem in vita sua nihilominus gaudeant titulo praedicatorum generalium tanquam supranumerarii, sic tamen ut post mortem eorum provincia ius nullum acquirat petendi alias totidem praedicaturas velut pro locis vacantibus, cum horum patrum loca cum ipsis expirent.

Supradicta omnia pro hac provincia disposita intelligimus ac intelligi volumus, dummodo non contrarientur aliis ordinationibus ac dispositionibus ultimo circa hanc provinciam factis per reverendissimum patrem fr. Nicolaum Rodulphium, quibus omnino has concessiones ac dispositiones cupimus per omnia conformari, nisi in quantum placuerit reverendissimo dispensare quoad illas ordinationes a reverendissimo patre fr. Nicolao Rodulphio factas, ad quod ei nostrum plenarium consensum damus, totumque eius dexteritati ac prudentiae omnino remittimus, sicut et quomodo quoad alia pro hac provincia statuenda.

Pro Provincia s. Vincentii de Chiappa.

Cum provincia ista, prout ex admodum rev. patre eius diffinitore laeti intelleximus, sub bona legum observantia tranquilloque regiminis modo magna gaudeat tranquillitate et pace, eodem rogante censuimus nihil in ipsa nunc innovandum, sed si quid negotiorum est, remittimus prudenti dispositioni reverendissimi patris nostri praesertim circa alternativam, quam petunt nati in Indiis; quoad caetera confirmamus omnes

(1) De fr. Antonio de Luque cf. SSOP. II, 581.

et singulas ordinationes pro hac provincia factas a reverendissimo patre nostro fr. Nicolao Rodulphio.

Promovemus ad gradum praedicaturae generalis titulo linguae p. fr. Petrum de la Cruz; item praedicationis titulo p. fr. Hyacinthum del Castillo et p. fr. Bartholomaeum Temporal. Promovemus etiam ad gradum praedicaturae generalis p. fr. Ioannem Diaz, p. fr. Ludovicum de Carcamo titulo praedicationis pro primis locis vacantibus. Item p. Antonium de s. Thoma ad eumdem gradum titulo linguae Chiappanecae.

Pro provincia s. Antonini de Novo Regno.

1. Confirmamus, quoad opus est, sanctissimas ordinationes olim a nostro patre reverendissimo fr. Nicolao Rodulphio pro bono huius provinciae factas sub data Perusiae die 8. mensis septembris anno 1640, praecipimusque patri diffinitori huius provinciae, ut eas imprimi curet, insertis ordinationibus approbatis, quas pro eadem reliquit pater visitator. Quod si in illis emerserint aliquae difficultates, committitur reverendissimo patri nostro earum declaratio, cui omnes acquiescere praecipimus.

2. Item mandamus in hac provincia quam rigidissime observari legem nostrarum constitutionum de non assumendis ad officium prioratus iis, qui literis operam sufficientem non dederint, ut congrue verbum Dei norint proponere, irritum ex nunc declarantes omnem electionem, quae deinceps aliter facta fuerit. Et idem a fortiori dicimus de institutione praedicatorum generalium admonemusque admodum rev. patres provinciales huius provinciae, ut sedulo curent, quod in conventibus s. Fidei et Cartagena eligantur in priores viri admodum literati et laureati aliquo gradu, praecipue autem in Cartaginensi eligatur, quoad fieri potest absque praeiudicio aut laesione iurium cuiuscumque, prior, qui sit vel fieri possit qualificator s. Officii propter tribunal inquisitionis illic existens.

3. Committimus admodum rev. patri provinciali huius provinciae, ut promoveat fundationem et fabricam conventus del Pueblo nuevo et residentiam seu hospitium de Mompox, non tamen haec loca erigat in conventus, nisi prius examinentur annui reditus, quos habent, et an competentem numerum congrue valeant sustentare, ac desuper moneat reverendissimum patrem nostrum generalem.

4. Mandamus omnibus patribus doctrinariis, ut bis in quolibet anno temporibus a diffinitorio provinciae sibi praefigendis accedant ad suum conventum ibique priori ac patribus depositariis rationem reddant omnium suorum redituum et expensarum ac, servato sibi congruo victu ac vestitu, caetera patri priori tradant tam de stipendio, ut vocant, quam de eleemosynis aliisque adventitiis, meminerintque se horum bonorum puros tantum esse administratores, non dominos. Quod si contrarium fecerint, ipsos coram Deo et hominibus proprietarios declaramus. Prioresque, si

in hoc observando fuerint negligentes, a suis officiis absolvantur, provincialium autem conscientias in diem Domini aggravamus.

5. Declaramus, magisterium rev. p. fr. Francisci Fernandez esse de numero huius provinciae.

5 Promovemus ulterius ad magisterium p. praesentatum fr. Thomam Nogueras in locum vacantem rev. p. mag. fr. Francisci de Garaita, et p. praesentatum fr. Franciscum Farfam in locum rev. p. mag. fr. Ioannis Davalo. Item rev. p. mag. fr. Hieronymum Vincentium Maymo, huius capituli diffinitorem.

10 Ad praesentaturam pro locis de facto iam vacantibus p. fr. Thomam de Navazzo, p. fr. Marcum de Roxas. Ad magisterium pro primo loco vacante vel vacaturo promovemus praesentatum fr. Franciscum Suarez. Ad praesentaturam p. fr. Ioannem de Godoy, dummodo habeat omnia requisita secundum speciales ordinationes illius provinciae factas 15 a patre visitatore fr. Francisco de la Cruz. Ad praesentaturam titulo praedicationis p. fr. Franciscum de Achuri, resignata tamen praedicatura generali, et p. fr. Ioannem de Rosario, dummodo vacent loca, salvis provinciae iuribus.

Instituimus praedicatorem generalem pro conventu de Cartagena 20 p. fr. Iosephum Murillo in locum p. fr. Francisci de Achuri supradicti; pro conventu de Merida p. fr. Ioannem de Castro; pro conventu de sancto Ecce Homo p. fr. Petrum de Arara, expositum a capitulo provinciali.

Declaramus, quod, si quae in hac provincia extent praedicaturae 25 generales supranumerariae excedentes numerum conventuum, eae penitus cassae, irritae ac nullae censeantur.

Pro provincia s. Catharinae Martyris de Quito.

Quoad regimen ac statutum huius provinciae, in qua proximis his annis non paucae difficultates emerserunt, remittimus omnia discretioni 30 ac penitiori notitiae reverendissimi nostri patris generalis, ut in ea quidquid pro pacifica gubernatione, tranquillitate et religionis incremento viderit expedire, prudenter ordinet ac disponat.

Promovemus ad gradum praesentaturae supranumerum p. fr. Ildephonsum de Aponte, huius capituli diffinitorem, cum retentione suae 35 praedicaturae generalis.

Pro provincia s. Petri Martyris.

Confirmamus acceptationem magistrorum factam in ultimo capitulo provinciali Albinganensi anno 1640, nimirum rev. p. fr. Cypriani Binnii, tunc prioris Mediolanensis, rev. p. fr. Alexandri Trabalii, inquisitoris de 40 Monte Regali, rev. p. fr. Benedicti Mogliarii et rev. p. fr. Aloysii Mariae Arconati.

Confirmamus lauream magisterii p. fr. Carolo Sardio de Alexandria et p. baccalaureo fr. Bartholomaeo Treviolo (1).

Circa provisionem vero officialium in generali studio conventus nostri ad s. Eustorgium Mediolani, praesertim quoad baccalaureatum et magisterium studentium reliquamque eiusdem studii dispositionem provide attendet reverendissimus electus, quamprimum ipsemet Mediolani praesens fuerit.

Pro congregatione s. Ludovici Galliarum.

Pro sanctae observantiae tranquillitate et incremento contra quosvis illius impugnatores confirmamus huic congregationi possessionem omnium suorum locorum et conventuum, quotquot hactenus ex concessione reverendissimorum patrum generalium habuere, quos proinde in specialem nostram tutelam paterne suscipimus, ut tam sanctum opus congruis favoribus ad maiorem semper profectum ac religionis augmentum opportune foveatur. Interim universos ac singulos huius congregationis fratres, quantum possumus, in Domino enixe hortamur, ut quo pede ceperunt, animose peragant in studio ac studio religiosae perfectionis, et pacem tam inter se quam cum quibuslibet habere omni conatu satagant.

Consentimus lubentesque permittimus reverendissimo patri nostro, ut pro rei exigentia secundum discretionem suam possit in omnibus supra constitutis addere, demere, derogare, dispensare ac disponere, iuxta quod pro ordinis bono ac suaviori regimini viderit omnino in Domino expedire.

Syllabus aliquot fratrum, qui, referentibus patribus diffinitoribus, sancte et gloriose a tempore extremi capituli obierunt.

Omittimus hic mentionem admodum reverendorum patrum magistrorum fr. Thomae de Lemos et fr. Petri Zaragoza de Heredia, quorum integerrima vita, gloriosa opera et mors praetiosa seorsim per impressas totique ordini distributas relationes distinctius innotuerunt.

Similiter quoad novos martyres, qui pro fide Iesu Christi in vastissimo Iaponum imperio paucis abhinc annis gloriosum agonem feliciter consummarunt, remittimus nos brevitatis gratia ad narrationem desuper Romae contextam typisque ibidem excusam ac dein Coloniae recusam.

In provincia s. Ioannis del Perù in conventu Limensi ss. Rosarii

(1) De fr. Bartholomaeo Treviolo cf. SSOP. II, 589.

obiit vir mirae virtutis et sanctimoniae fr. Martinus de Porres (1), donatus, poenitentiae et abstinentiae rigori addictissimus ac primitivorum nostrae religionis patrum vestigiis insistens. Hic in pauperum eleemosynas aliaque christianae pietatis officia semper effusissimus fuit, eiusdemque heroica charitas plurimum in obsequiis aegrotantium fratrum enituit. Orationi quasi continue vacans, noctes ducebat plurimum insomnes; peculiarem lectulum non habuit. Totius religionis exemplar, virtutum idea et morum sanctissimorum speculum cunctis Limensibus fuit; in cuius obitu clerus populusque magna frequentia accurrens, defuncti manus ac pedes tenera devotione deosculabatur.

In provincia s. Catharinae Martyris de Quito anno 1635 miro sanctitatis exemplo claruerunt fr. Dominicus Frayre et fr. Dominicus de s. Michaele, conversi; inque conventu nostrae Dominae de Peña Francia feliciter ambo diem clauserunt extremum, viri magnae poenitentiae, simplicitatis et charitatis, qui tam in vita quam post mortem semper ab omnibus ut sancti sunt habiti.

In eadem anno 1636 obiit vir devotissimus pater magister fr. Ludovicus Zager, literis ac virtute singulariter excellens et illibatae Virginitatis perpetuo nitore clarus; cuius iam defuncti vestimenta ter a devoto populo in frusta concisa ac pro ingentibus reliquiis direpta fuerunt.

Ibidem in Cuenca anno 1637 cum odore sanctitatis animam Deo reddidit p. fr. Gabriel Felipe, vir mirae poenitentiae et orationis, qui fuit ex primis huius provinciae fundatoribus ac filiis conventus s. Pauli de Corduba.

In eadem provincia anno 1640 ad caelestem patriam abiit p. fr. Sebastianus Rosero, quondam provincialis, magnus sacrae observantiae custos et zelator, virginitatis candore semper nitidissimus, cuius sanctitatem post obitum multa miracula testatam fecerunt et faciunt.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Urbano VIII. et felici statu sanctae matris ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo Romanorum imperatore Ferdinando III., proque felici statu inclytae domus Austriacae et tranquillitate sacri Romani imperii quilibet sacerdos unam missam.

Pro catholico Hispaniarum et Indiarum rege, proque serenissima regina et prole regia quilibet sacerdos unam missam.

---

(1) De quo cf. *Prodigiosa et ammirabile vita del gran servo di Dio fr. Martino Porres, Tertiario Professo del Ordine del Glorioso Patriarca S. Domenico, data in luce ad istanza di Fra Domenico di S. Cipriano, Fratello converso dell'istesso Ordine.* Palermo 1696.

Pro christianissimo Francorum rege, serenissima regina et prole regia quilibet sacerdos unam missam.

Pro eminentissimo domino cardinali Antonio Barberino, ordinis nostri benignissimo protectore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro eminentissimo domino fr. Vincentio cardinali de Florentiola (1), ex ordine nostro assumpto, quilibet sacerdos unam missam.

Pro toto sacro collegio eminentissimorum dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo duce ac republica Ianuensi quil. sac. unam missam.

Pro omnibus praelatis ex ordine nostro assumptis quil. sac. un. mis.

Pro reverendissimo patre nostro electo ordinis magistro, felicique regimine ac tranquilliori nostrae religionis statu et incremento quilibet sacerdos unam missam.

Ubi patribus sacerdotibus missa, clericis litaniae maiores, conversis autem decem orationes dominicae cum totidem salutationibus angelicis imponuntur.

Recipimus ad beneficia ordinis reverendissimum et illustrissimum sacri Romani imperii principem dominum Ottonem Melchiorem Voit a Salzburg, episcopum Bambergensem, et illustrissimum ac reverendissimum sacri Romani imperii principem dominum Ioannem Philippum a Schönborn, episcopum Herbipolensem, Franciae orientalis ducem, eximios ordinis nostri fautores ac patronos.

Suffragia pro defunctis.

Pro animabus fratrum ac sororum nostri ordinis, quotquot a tempore ultimi capituli generalis in Domino obdormierunt, quilibet sacerdos unam missam, clericus officium defunctorum, conversus psalterium rosarium recitabit.

Proximum capitulum generale, quod erit primum diffinitorum, celebrabitur in festo Pentecostes anno 1646 in conventu nostro Valentino provinciae Aragoniae.

Fr. Thomas de Roccamora
Magister ordinis.

Fr. Leonardus Hansen (2)
Magister et secretarius capituli m. p.

---

(1) De fr. Vincentio Maculano de Florentiola cf. supra pag. 74 et SSOP. II, 622.
(2) De fr. Leonardo Hansen cf. l. c. pag. 705.

ACTA CAPITULI GENERALISSIMI ROMAE IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM ORDINIS PRAEDICATORUM CELEBRATI IN FESTO SS. PENTECOSTES DIE XIV. MAII MDCXLIV.

Sub reverendissimò patre fr. Thoma Turco (1), sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, in eodem capitulo electo, diffinientibus pariter reverendis admodum patribus provincialibus et diffinitoribus, nempe:

admodum rev. p. mag. fr. Vincentio Candido vicario gen. apostolico,
admodum rev. p. fr. Didaco Lopez provinciali Hispaniae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Labardac provinciali Tolosano,
admodum rev. p. magistro fr. Nicolao le Gardeur provinciali Franciae,
admodum rev. p. magistro fr. Prospero de Florentiola inquisitore Bononiae provinciali utriusque Lombardiae,
admodum rev. p. mag. fr. Iacobo Veri (2) provinciali Romano,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Philippo Fridt inquisitore Coloniae provinciali Theutoniae,
admodum rev. p. magistro fr. Benedicto Bartolino provinciali Graeciae,
admodum rev. p. magistro fr. Dominico Lauro provinciali Bohemiae,
admodum rev. p. magistro fr. Iacobo Roberty provinciali Provinciae,
admodum rev. p. magistro fr. Dominico Gledia provinciali Dalmatiae,
admodum rev. p. magistro fr. Vincentio Bartolo provinciali Siciliae,
admodum rev. p. magistro fr. Alvaro de Cozar Barba prov. Bethicae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Roman prov. Germaniae inferioris,
admodum rev. p. mag. fr. Gregorio Cippullo prov. s. Thomae Apuliae,
admodum rev. p. magistro fr. Francisco a Castrovetere prov. Calabriae,
admodum rev. p. magistro fr. Terentio O Brien (3) provinciali Hiberniae,
admodum rev. p. magistro fr. Ludovico Mesplede provinciali Occitaniae,
adm. rev. p. mag. fr. Cinthio Montegualdono prov. s. Petri Martyris,
admodum rev. p. magistro fr. Ambrosio Petrino provinciali Aprutino,
adm. rev. p. magistro fr. Stephano de Ribera primo dif. Hispaniae,

---

(1) De fr. Thoma Turco (Turchio) supra pag. 26, SSOP. II, 535.

(2) De fr. Iacobo Veri cf. Masetti l. c. pag. 143.

(3) De fr. Terentio O Brien cf. Thomas de Burgo *Hibernia Dominicana* indicem.

adm. rev. p. mag. fr. Andrea Corrillo secundo diffinitore Hispaniae,
admodum rev. p. magistro fr. Blasio Iossè primo diffinitore Tolosano,
adm. rev. p. magistro fr. Bernardo Marrein secundo diffinitore Tolosano,
admodum rev. p. magistro fr. Iacobo de Lavau primo diffinitore Franciae,
admodum rev. p. magistro fr. Petro Durand secundo diffinitore Franciae, 5
adm. rev. p. mag. fr. Thoma Novaro primo dif. utriusque Lombardiae,
admodum rev. p. magistro fr. Vincentio a Seravalle inquisitore Cremonae secundo diffinitore utriusque Lombardiae,
adm. rev. p. mag. fr. Ioseph Maria Avila (1) primo diffinitore Romano,
admodum rev. p. mag. fr. Sancte Botti (2) secundo diffinitore Romano, 10
admodum rev. p. magistro fr. Paulo Caracciolo primo diffinitore Regni,
admodum rev. p. mag. fr. Reginaldo Balsamo (3) secundo dif. Regni,
admodum rev. p. magistro fr. Leonardo Hansen primo dif. Theutoniae,
admodum rev. p. mag. fr. Georgio de Herbestein (4) 2. dif. Theutoniae,
adm. rev. p. mag. fr. Hyacintho Mijachovschi primo dif. Poloniae, 15
adm. rev. p. magistro fr. Hieronymo Machosci secundo dif. Poloniae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Paulo Scarpa primo dif. Graeciae,
adm. rev. p. praedicatore generali fr. Raymundo Quirino 2. dif. Graeciae,
admodum rev. p. magistro fr. Paulo Pedro primo diffinitore Aragoniae,
admodum rev. p. fr. Petro Martyre Rosselio primo diffinitore Bohemiae, 20
adm. rev. p. lectore fr. Antonino Missinon secundo dif. Bohemiae,
adm. rev. p. mag. fr. Dionysio a s. Laurentio primo dif. Provinciae,
adm. rev. p. mag. fr. Hyacintho Martello secundo dif. Provinciae,
adm. rev. p. magistro fr. Cornelio Uticensi primo dif. Dalmatiae,
adm. rev. p. lect. fr. Vincentio Maria de Brachia 2. dif. Dalmatiae, 25
admodum rev. p. magistro fr. Antonino Cigala primo diffinitore Siciliae,
adm. rev. p. mag. fr. Thoma Romano Columna secundo dif. Siciliae,
admodum rev. p. magistro fr. Gundisalvo de Gama 1. dif. Portugalliae,
admodum rev. p. mag. fr. Ferdinando de Meneses 2. dif. Portugalliae,
admodum rev. p. magistro fr. Thoma de Lagas primo diffinit. Bethicae, 30
admodum rev. p. magistro fr. Francisco de Coçar secundo dif. Bethicae,
adm. rev. p. mag. fr. Mario Ambrosio Capello 1. dif. Germaniae inferioris,
adm. rev. p. mag. fr. Iacobo Van den Heede (5) 2. dif. Germaniae inferioris,
adm. rev. p. mag. fr. Ioanne Marco Tauro 1. dif. s. Thomae Apuliae,

---

(1) De fr. Iosepho Maria Avila cf. SSOP. II, 584.
(2) De fr. Sancte Botti cf. MASETTI l. c. pag. 145.
(3) De fr. Reginaldo Balsamo cf. SSOP. II, 576.
(4) De fr. Georgio de Herbestein (Herberstain) cf. BRUNNER l. c. pag. 6.
(5) De fr. Iacobo Van den Heede cf. HOOGLAND *Conspectus Hist. provinciae Germaniae inferioris* pag. 39.

THE INSTITUTE OF MEDIEVAL STUDIES
SEP 10 1953
LIBRARY

adm. rev. p. magistro fr. Mauritio de Troia 2. dif. s. Thomae Apuliae,
admodum rev. p. magistro fr. Dominico a Filogasio primo dif. Calabriae,
admodum rev. p. magistro fr. Ludovico Todesco secundo dif. Calabriae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Nolano primo diffinitore Hyberniae,
5 adm. rev. p. mag. fr. Marco de Rupeforti secundo dif. Hyberniae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne de sancto Iacobo dif. Mexicano,
admodum rev. p. magistro fr. Michaele de Arana primo dif. Peruano,
adm. rev. p. mag. fr. Hieronymo de Vera secundo dif. Peruano,
adm. rev. p. praesentato fr. Francisco de Leon dif. s. Vincentii de Chiapa,
10 admodum rev. p. magistro fr. Hyacintho a Figueroa primo diffinitore sancti Antonini de Novo Regno,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne de Godoi secundo dif. sancti Antonini de Novo Regno,
admodum rev. p. magistro fr. Petro Bruis primo diffinitore Occitano,
15 admodum rev. p. fr. Dominico Medailla secundo diffinitore Occitano,
adm. rev. p. mag. fr. Antonio Basilio 1. dif. s. Dominici Venetiarum,
adm. rev. p. mag. fr. Marino Cerchiari 2. dif. s. Dominici Venetiarum,
admodum rev. p. magistro fr. Ildefonso de Aponte diffinitore s. Catharinae Martyris de Quito,
20 admodum rev. p. fr. Ioanne Baptista de Morales (1) diffinitore sanctissimi Rosarii Philippinarum,
admodum rev. p. magistro fr. Ildefonso de Castello dif. de Oaxaca,
admodum rev. p. magistro fr. Areto a s. Felicio 1. dif. s. Petri Martyris,
admodum rev. p. lectore fr. Aloysio Buzono 2. dif. s. Petri Martyris,
25 admodum rev. p. magistro fr. Michaele de Marchis primo dif. Aprutino,
admodum rev. p. magistro fr. Philippo de Paulinis secundo dif. Aprutino,
admodum rev. p. magistro fr. Mariano de Iasiska primo dif. Russiae,
adm. rev. p. praedicatore generali fr. Isaya de Busko 2. dif. Russiae.

Universis ordinis praedicatorum patribus ac fratribus
30 Fr. Thomas Turcus, sacrae theologiae professor
ac eiusdem ordinis humilis generalis magister et servus,
salutem in Domino.

Diu multumque a sapientibus dubitatum est, qua re magis legumne sanctitate, an optimi principis vigilantia florerent respublicae? Solum alii
35 principem, alii solas leges ad vitam et felicitatem publicam sat esse aut certe praecipuas habere partes censuerunt. Verius illi et consultius, quibus visum est utrumque ad bonum commune necessarium et alterum

(1) De fr. Ioanne Baptista de Morales cf. SSOP. II, 611.

alterius egere auxilio, nec leges inanimes servari posse aut prodesse quidquam sine vindice iusti principis auctoritate, nec principem prudenter regere, nisi et aequissimis legibus obtemperet et illarum a subditis obsequium exigat.

Sane hac utraque parte, qua bonum commune constat, religioni nostrae consulendum in ultimo capitulo generalissimo Romae habito unica fuit omnium cura et consensus unanimis, dum singulis nil in animo defixum altius, quam ut communibus studiis et consiliis ablegatoque omnium humano affectu ordinem nostrum iam aliquantulum, ut res humanae ferunt, senescentem felici magistri ordinis electione et sanctissimis institutis adiutum et instauratum irent. Non omnia tamen ex zelo aut ex utilitate communi successere, nec par undique studiorum et conatuum exitus. Una potissimum electione patratum est, qua imparem me ad tantum tamque arduum munus vocatum video. Illa enim officii et loci sublimitas, quam primus sanctissimus pater Dominicus tenuit et pro dignitate occupare potuit, pudorem suffundit, curam, sollicitudines, timores intulit et pericula maxima ostentat, quae vix valeam superare, nisi, quod enixius postulo, anxium, laborantem ac pro vobis periclitantem communibus suffragiis adiuvetis. At si ex hac parte bono communi minus quam optarem, provisum est, ex alia certe nempe institutis et sanctissimis legibus religioni nedum ad incolumitatem, sed etiam ad gloriam et summam perfectionem consultum censeo; ut si vel unquam comitiis superioribus vitae regulari instaurandae allaboratum fuerit, id maxime in hoc ultimo capitulo factum videamus, quod caeteris studio et zelo non impar, illa etiam suffragiorum numero superavit. Itaque patres et fratres in Christo dilectissimi, quae a sapientibus viris in commune bonum constituta sunt, prelo demandari curavimus vobisque transmitti; quae sanxisse parum fuerit, ni et exequutioni demandasse contingat; hanc a vobis in visceribus Christi pro ordinis nostri honestate proque vestra omnium salute deposcimus, ut non auditores tantum, sed et factores legis reperti apud Deum iustificemini.

Valete.

Acta capituli generalissimi Romae in conventu s. Mariae super Minervam ordinis praedicatorum celebrati in sanctissimo festo Pentecostes, 14. maii anno Domini MDCXLIV, sub reverendissimo patre fr. Thoma Turco Cremonensi, sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, in eodem capitulo electo.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, et beatae Mariae semper virginis et beati patris nostri Dominici omniumque sanctorum et sanctarum Dei.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus, sanctissimum dominum nostrum Urbanum VIII., cuius nutu et imperio praesens capitulum generalissimum in almam Urbem congregatum fuit, motu proprio constituisse, ut tum electioni tum singulis diffinitorii consessibus praesideret apostolica auctoritate eminentissimus ac reverendissimus dominus Faustus S. R. E. card. Polus, ordinis nostri comprotector, cum iure suffragii activi cumque facultate substituendi in locum suum quemcumque alium praelatum, quando et quoties ipsemet praedictis consessibus interesse non posset, denique et cum auctoritate habilitandi vocales, si quorum suffragia ex quocumque defectu forent minus valida seu legitima etc.

2. Denuntiamus, quod, quamquam praesens capitulum sub titulo generalissimi convocatum celebratumque fuerit, reipsa tamen quoad auctoritatem condendi aut innovandi leges ordinis fuisse generale tantum ex decreto eiusdem sanctissimi domini nostri, quo per breve speciale sub annulo Piscatoris datum 14. martii hoc anno 1644 inhibebatur vocalibus, ne secundum ritum et facultatem capitulorum generalissimorum quidquam circa immutationem nostrarum constitutionum attentarent; proinde declaramus, omnia quae in hoc capitulo decernuntur, vim tantum habere, quantum ex capitulo pure generali habuissent.

3. Denuntiamus, quod, vacante magisterio ordinis per amotionem reverendissimi patris magistri Nicolai Rodulphii, auctoritate apostolica factam sub die 27. aprilis ultimo praeteriti, fuit in primo nostro patrum electorum capitulari congressu in generalem totius ordinis magistrum rite et canonice electus reverendissimus pater fr. Thomas Turcus Cremonensis, religionis nostrae in Romana curia dignissimus hactenus procurator, cui ex more et usu sacri ordinis publicam deinde obedientiam nostro nostrarumque provinciarum nomine lubentes praestitimus.

4. Denuntiamus, admodum rev. p. magistrum fr. Vincentium Candidum, nostri ordinis vicarium generalem apostolicum, ad instantiam reverendissimi patris magistri ordinis admissum fuisse ad omnes et singulos consessus diffinitorii cum voto tam decisivo quam consultivo, idque de assensu apostolico necnon admodum rr. patrum vocalium huius capituli, qui hac vice et ob causas peculiares eum admittendum statuerunt.

5. Denuntiamus, reverendissimum p. magistrum generalem recenter electum sequenti post electionem die, hoc est in ipso festo Pentecostes, ad pedum beatorum sanctissimi domini nostri Urbani papae VIII. oscula admissum, suo suaeque religionis nomine devotissima obsequii et obedientiae vota suae sanctitati et sedi apostolicae humiliter obtulisse, necnon pro solita suae beatitudinis benignitate humanissime cum rr. admodum patribus provincialibus, eum comitantibus et offerentibus, fuisse acceptum.

6. Denuntiamus, placuisse eminentissimo domino cardinali Fausto Polo, nostri ordinis comprotectori, quo praesentis capituli consessus et acta ac decreta quaecumque nulla invaliditatis suspicione laborent, eorum singulos aut omnes defectus auctoritate apostolica sibi super hoc specialiter commissa ita supplere, ac si nunquam occurrissent etiam circa singulares personas quocumque modo expressas.

7. Denuntiamus, institutum fuisse a reverendissimo patre magistro ordinis in procuratorem generalem in curia cum sòlita auctoritate admodum rev. patrem magistrum fr. Vincentium Bartolum, nostrae provinciae Siciliae provincialem.

Confirmationes.

1. Confirmamus id, quod tum in capitulo Romano 1629 tum in aliis compluribus decretum confirmatumque fuit, quod nullus a sequela chori vel hebdomadaria sese eximat titulo lecturae aut praedicaturae generalis, si actu non legat aut praedicet; si quis vero hac in re litteras exemptionis olim impetratas obtenderit vel habuerit, eas irritas nullasque esse volumus ac declaramus; nihilominus quoad actu legentes aut praedicantes servari poterit laudabilis provinciarum consuetudo.

2. Confirmamus ordinationem 19. eiusdem capituli Romani ultimi et sub poena ibidem taxata inhibemus omnibus diffinitoribus capituli tam generalis quam provincialis, ne gradum aliquem pro seipsis petere audeant in capitulo generali, nec diffinitores capituli provincialis priorem provincialem in eodem capitulo electum exponere possint ad gradum, et si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

3. Confirmamus ordinationem in pluribus capitulis generalibus factam nimirum Romae 1608, Parisiis 1611, quae etiam auctoritate pontificia Pauli V. ac Gregorii XV. approbata fuit, ut in singulis provinciis instituatur studium linguarum Graecae et Hebraicae; poteruntque pro novitiis puris quotidie saltem ad horulam eiuscemodi praelectiones opportuno tempore ordinari, sic tamen ut caveatur, ne per hoc abducantur a discendis his, quae magis necessaria sunt, quaeque ad iacenda religiosi tyrocinii fundamenta maxime pertinent.

4. Confirmamus id, quod pluries sancitum est et in capitulo Romano 1629 inter confirmationes ultimo loco renovatum, de sequenda tuendaque fideliter d. Thomae doctrina in omnibus tam verbo quam scripto a magistris, lectoribus et praedicatoribus; ita quod nulli unquam liceat ab ea recedere sub poena privationis graduum et officiorum perpetuaeque ad ea inhabilitatis; quodque propterea eorum quilibet ad huiusmodi gradus et officia promotus teneatur post emissam fidei professionem iurare, se s. Thomae doctrinam in omnibus sectaturum.

Ordinationes.

1. Ordinamus, ut per totum ordinem sub ritu ac forma festi totum duplicis celebretur solemnitas commemorationis delatae miraculosae imaginis s. p. n. Dominici in Suriano die 15. septembris, assumaturque officium eiusdem, ut recitatur die 4. augusti.

Item ut octava simplex s. Mariae Magdalenae deinceps celebretur sub ritu octavae solemnis, ob maximam huius incomparabilis sanctae erga ordinem nostrum pietatem et singularem protectionem.

Item festum s. Apolloniae virg. et mart. die consueta celebretur sub toto duplici; similiter festum s. Patritii episcopi et confessoris toti ordini sub toto duplici die 17. martii solemne sit, necnon festum translationis d. Thomae Aquinatis die 28. ianuarii.

2. Ordinamus, ut in nostro « Confiteor » ad illa verba « b. Dominico » addatur: « patri nostro ».

3. Ordinamus et districte prohibemus, ne quis de cetero, cui de iure constitutionum non debetur paternitatis provinciae titulus, eum sibi ex gratia conferri procuret. Quod si aliter facere aut tentare praesumpserit, praesenti statuto decernimus nullam fore obtentam in contrarium a quocumque gratiam, nisi in eius expeditione praesentis decreti specialis derogatio inseratur.

4. Ordinamus ac inviolabiliter observari mandamus, ne in studiis generalibus unquam assignentur studentes formales pro rata provinciarum, nisi iidem vere earundem provinciarum sint filii.

5. Ordinamus ac severe praecipimus universis ac singulis provincialibus, congregationum vicariis ac locorum praesidentibus, quocumque nomine censeantur, ne fratres fugitivos in suis limitibus commorari ullatenus permittant, sed eos ad suas provincias seu congregationes redire omnibus modis compellant; si qui vero hac in parte negligenter aut dissimulanter egerint, in poenam a suis officiis absolvantur.

6. Ordinamus ac in virtute Spiritus sancti subque sanctae obedientiae formali praecepto, addita poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica admonitione praemissa mandamus omnibus et singulis nostri ordinis fratribus, cuiuscumque gradus, conditionis aut dignitatis extiterint, ne librum aliquem sive magnum sive exilem aut qualitercumque parvum typis excudi faciant absque expressa licentia reverendissimi patris magistri generalis; sub eodem praecepto ac censura prohibetur, ne quis suppresso suo nomine aut substituto alieno vel fictitio quidquam sive modicum sive magnum typis committere audeat. Meminerintque omnes, id gravissime iam olim vetitum a sacro concilio Tridentino sessione 4. de usu et editione librorum.

7. Ordinamus, ut in posterum priores conventuum aliique superio-

res, quotiescumque fratrem aliquem ad professionem solemniter emittendam suscipiunt, inter alias interrogationes ac protestationes praemitti solitas eidem quoque aperte, clare ac distincte protestentur, professionem ipsius nullam fore, si forsitan ipse gravem aliquem defectum, ob quem merito reiiciendus fuisset, subdole ante votorum emissionem subticuisse aut occultasse postmodum deprehendatur.

8. Cum a monasteriis monialium, quae contemptus mundi, mortificationis et virtutum omnium sunt seminaria, arcere oporteat ea, quae ipsorum non decent sanctitatem et cuiusquam offendere possunt aspectum, ordinamus et distincte praecipimus omnibus prioribus et praesidentibus monasteriorum ordinis nostri necnon matribus a consilio et sororibus eorumdem sub poenis privationis ab officio, maternitatis et vocis activae ac passivae ipso facto incurrendis inviolabiliter observari, ut puellae, quae in nostris monasteriis educantur vel commorantur, etiam ad breve tempus, cuiuscumque sint nobilitatis, gradus, conditionis, qualitatis et praeeminentiae, non possint indui tam intrinsecus quam extrinsecus vestibus sericis, multo minus aureatis, argentatis vel acu et coloribus pictis, sed tantum laneis, lineis, bombycinis seu gossipinis et similibus albi, nigri, violacei, punicei vel cinericii coloris. Non deferant capillos calamistratos, intortos cum cincinnis aut per modum comae defluentes et descendentes ad aures, sed obductos, complicatos et ligatos modeste super caput vittis contextis ex simplici filo et non sericis, quae deserviant ad retinendos capillos, ne defluant, nullo autem modo ad vanitatem, et sint eorumdem colorum, qui pro vestibus supra designantur. Non deferant gemmas, monilia, annulos vel quid simile. Permittimus tamen illis inaures ex unico et simplici annulo aureo. Ut autem ordinatio haec ab omnibus legi possit et nulla eius praetendatur ignorantia, volumus et praecipimus, quod vulgari lingua transcripta ponatur in cella priorissae et magistrae novitiarum ac in ipso ingressu interiori monasterii, ut omnibus obvia et conspicua sit.

9. Revocamus in memoriam studiorum moderatoribus toties sibi in capitulis generalibus revocatam ordinationem de praelegendo diligentius suis discipulis ipso textu d. Thomae; ideoque deinceps volumus, ut quam maxima horum solicitudo in eo sit, ut intra triennium praefati angelici doctoris summae theologiae praecipui tractatus ex integro in eorum scholis relegantur, quodque de ipso textu quam exacte exponendo et cum adhibitis brevioribus ac magis necessariis annotatiunculis interpretando praecipuus sit eorum et conatus et scopus. Ad quem felicius attingendum ita sibi assumptum onus partientur, ut primario lectori competat lectura textus de attributis, de trinitate et de angelis ex prima parte; ex tertia vero de incarnatione et de sacramento Eucharistiae. Secundario autem

lectori incumbat cura praelegendi textus de actibus humanis, de peccatis, de gratia, fide, spe et charitate, et si quid potuerit de sacramentis, ita quod circa ipsum textum fiant solitae et quotidianae conferentiae, circuli et disputationes; reliquo eoque brevi tempore ad praecipuos alios tractatus novarum quaestionum, stylo contractiori excurrendarum tantummodo destinato. Quoad vero praedictas conferentias, circulos et disputationes volumus eas diligentius fieri in quibuslibet conventibus ordinis, ubi est aliquod studium aut theologiae aut philosophiae, pro laudabili consuetudine provinciarum, in quibus literaria exercitia vigent. Ubi autem non fiunt, eas ex nunc instituimus, ita ut per horam quotidie secundum diversas materias et lectiones alterne et per vices habeantur conferentiae, circuli per sesquihoram vel duas horas saepius in hebdomada, disputationes vero publicae et solemniores saltem semel in mense. Et si quis lectorum in hac parte suo muneri defuerit et per tres continuas vices aut praedictas conferentias aut circulos aut disputationes absque legitima aliqua et gravi necessitate intermiserit, praesenti decreto statuimus et pronuntiamus, eum ipso facto a suo lectoratus officio manere amotum. Quod autem de textu d. Thomae iniunximus lectoribus theologiae, idem omnino mandamus philosophiae lectoribus circa textum Aristotelis, ut nimirum illum exponant iuxta lectiones eiusdem doctoris angelici.

10. Ordinamus ac ordinando districte praecipimus, omnino in praxim apud omnes provincias et congregationes redigi saluberrimum statutum capituli generalis Barcinonae 1574 et Romae 1608, quo sancitur, novitios usque ad sacerdotium sub cura magistri novitiorum indispensabiliter debere permanere. Proinde volumus, ut sicubi de facto aliquis vel aliqui extra novitiatum degere permittuntur, omnino revocentur ad domum novitiorum; annullantes circa hoc omnes licentias qualitercumque desuper impetratas ac praecipientes prioribus sub poena absolutionis ab officio, ut statim haec ordinatio executioni mandetur et contrarius abusus quantocitius aboleatur.

11. Ordinamus, quod priores conventuum deinceps non aliter quam de consensu patrum a consiliis possint particularia fratrum deposita convertere ad suos usus seu publicos seu privatos, teneanturque idem depositum reddere seu resarcire intra tempus ab iisdem patribus de consilio taxandum. Iisdem quoque patribus de consilio mandamus, ut omni sollicitudine advigilent, quatenus a prioribus et sindicis leges depositi in omnibus ac per omnia accuratissime observentur, et sicubi eos in servandis depositi legibus deficere notaverint, teneantur provincialem diligentius admonere; quod si facere neglexerint aut dissimulaverint, in poenam priventur titulo paternitatis. Denique priores de concilio patrum in-

stituant depositarios, qui particularia fratrum deposita, ubi huiusmodi adhuc tolerantur, asservent; ubi autem particularium depositorum permissio feliciter exolevit, persistatur in sancta consuetudine nec permittatur, ut quidquam irrepat, quod laudabilem et exactissimam rerum communitatem sanctaeque paupertatis observantiam vel in minimo relaxare possit.

12. Eundem in finem ordinamus ac ordinando rigidissime praecipimus, ut deinceps, quando fratribus pro more provinciarum distribuitur provisio vestiariae seu sufficientia, ut vocant, ea nequaquam porrigatur in pecuniis, ut alicubi hactenus consueverat, sed in vestitu, quo eos indigere constiterit. Praecipue vero studeant priores providere fratribus suis de laneis tunicellis, ne ob penuriam aut raram talium distributionem foveatur aut etiam reducatur inter fratres intolerabilis abusus gestandi linea indusia ad carnem. Quapropter decernimus, quod priores hac in parte negligentes a suis officiis absolvantur et perpetuo inhabiles sint ad alia quaevis officia seu obtinenda seu obeunda.

13. Insuper quoad hoc statuimus et ordinamus, ut nemini absque expressa licentia patris provincialis liceat aliquando uti tunicella linea ad carnem; neque provinciales sint faciles ad huiusmodi licentiam, etiam pro modico tempore indulgendam, ubi vera, sufficiens et comperta causa non ita exegerit. Quisquis vero citra hanc licentiam lineis ad carnem uti praesumpserit, si sacerdos est, indispensabiliter privetur voce activa et passiva, si clericus, eiiciatur a studio nec ad maiores ordines promoveatur, si conversus, privetur habitu.

14. Renovamus statutum in diversis capitulis iam olim et crebrius factum ac, quoad opus est, denuo ordinamus, quod tam in studiis particularibus quam generalibus studentes non permittantur exire e conventu, nisi ad summum semel in hebdomada, quando vacatur a lectionibus, aut quando ipsis cum toto conventu aliquorsum eundum fuerit, vel singularis ac gravis necessitas aliter fieri postulaverit. Priores vero, qui vel ampliorem exeundi licentiam studentibus indulserint vel aliquem eorum alteri in socium pro egressu concesserint aut alias in huius ordinationis executione negligentes fuerint, in poenam per tres menses ab executione suorum officiorum suspendantur.

15. Praecipimus, in domibus novitiorum ubique fieri communes quasdam tabellas rituum ceremoniarum, quas novitii ediscere teneantur; et quando iidem a priore aliisque examinatoribus pro emittenda professione examinandi fuerint, accuratissime ac minutim circa ceremonias ordinis interrogentur; quique in his non perfectissime instructi atque exercitati invenientur, suspendantur ab emittenda professione, donec plenius in iis fuerint eruditi.

16. Ordinamus, ut deinceps cum in choro recitatur psalmus « Venite, exultemus Domino », praesentes omnes genua flectant ad illa verba « Adoremus et procidamus ante Deum ». Idem fiat in hymno festi sanctissimae Trinitatis ad illa verba « Adsumus et nos cernui, te adorantes famuli », ubi saecularium ecclesiae ita solent.

17. Ut uniformitas rituum praecipue in tremendo missae sacrificio ubique melius firmiusque stabiliatur, ordinamus, quod in quolibet conventu priores unum patrem sacerdotem in usu ceremoniarum ac rituum bene exercitatum seligant, eumque coram caeteris sacerdotibus eiusdem domus aliquoties missam celebrare faciant, ut non tantum ex litera rubricarum, sed etiam vivo ac repetito exemplo erudiantur ad decoram celebrationis uniformitatem.

18. Iniungimus singulis conventuum prioribus in meritum sanctae obedientiae, ut quantocitius per se vel per alios ad hoc idoneos procurent confici exactissimum chronicon omnium rerum memorabilium suae domus; ac deinceps illud in annos singulos continuari faciant, et quidquid accesserit historiarum, quotannis admodum rev. p. provinciali transmittant, qui idipsum opportunis vicibus reverendissimo magistro ordinis communicabit.

19. Ordinamus, ut quando aliquis fratrum penes se habuerit opera aliqua aut lucubrationes suas vel alienas, quae praelo ac luce publica dignae existimentur, nec tamen media aut modum invenerit, ut eaedem ad typos commode promoveantur, curet eas transmittere ad manus reverendissimi magistri ordinis vel de illis ipsum admonere, quatenus per eius industriam et promotionem excudantur Romae vel alibi, prout ei visum fuerit, ne eiuscemodi ordinis thesauri in tenebris delitescant aut aliorum suppositii foetus fiant. Abstineant quoque fratres nostri ab evulgatione aut impressione eorum tractatuum, in quibus agitantur domesticae ac privatae ordinis nostri controversiae provinciarum aut congregationum dissidia ac mutuae lites vel quodlibet aliud, quod oculis saecularium aut quorumcumque extraneorum displicere aut observantiae pacisque inter nos opinionem aliquatenus convellere possit. Quod si aliquid huiuscemodi deinceps occurrerit, quod omnino praelo subiiciendum videatur, mittatur manuscriptum exemplar ad magistrum ordinis, ut eius iudicio primum discutiatur, antequam typos subeat.

20. Circa fratres conversos ordinamus ac serio praecipimus, diligentem adhiberi curam ad eorum instructionem in his, quae secundum humilitatis statum scire tenentur; praecipue quoad doctrinam christianam, mortificationem affectuum, peritiam ministrandi in sacrificio, compositionem morum, modestiam ac simplicitatem in gestu exteriori, fervorem ac assuduitatem orandi etc. Fiatque desuper accuratum examen

in singulis visitationibus provincialium aut visitatorum, idque interveniente priore loci cum omnibus patribus a consilio. Finito examine colligantur singulorum examinatorum suffragia secreta per calculos, ut ii, qui minus subsisterint, condigna poena mulctentur et qui notabiliter aut enormiter rudes vel inepti aut discoli invenientur, acrius corripiantur usque ad privationem scapularis, si opus est. Interim vero admonemus ac severissime inhibemus fratribus clericis aliisque sacerdotibus, ne iisdem fratribus conversis molesti sint, eosve contemptim aut minus benevole habeant vel conturbent, sed potius ut filios ac fratres suos charitative sufferant suoque lenitatis exemplo potius aedificare ipsos quam censoria libertate lacessere studeant.

21. Ordinamus ac omnibus religiosis curae nostrae subiectis districte praecipimus, ut quemadmodum christiana charitate tenemur omnes Dei servos ac quorumcumque ordinum religiosos potissime mendicantium, quos aut ecclesiasticae vitae cultura aut sanctioris vitae professio nobis aequales reddidit, omni honore atque amore prosequi omniaque eis hospitalitatis obsequia praestare, eadem solicite in reverendos patres societatis Iesu benigna cum humanitate impendere conentur; horum et personas singulas et societatem totam benegnissime et religiosissime colant ac venerentur et tam intus quam foris, ubi de eorum sancto instituto, modo vivendi et regimine sermo inciderit, adeo circumspecte et honorifice semper de eis loquantur, ut tota christiana respublica nostri in eos impensissimi amoris testimonium reddere queat, et ut ipsi ea in nobis charitatis eximiae officia et benevolentiae viscera experiantur, quae viros apostolicos decet, quorum, quamvis non una semper in sentiendo mens, voluntas tamen et cor unum, anima una in Domino numquam ut desit, oportet.

22. Ordinamus et praesenti statuto nullas esse et fore decernimus omnes et quascumque assignationes seu provisiones a quocumque ordinis superiore factas pro moderatoribus in studiis generalibus; ac etiam omnes et quascumque assignationes ad conventus particulares ad hanc usque diem obtentas sub ea conditione et clausula, quod taliter assignati nequeant ab iis conventibus nisi a solo concedente aut a parem habente auctoritatem removeri; quas omnes ex nunc ad terminum et valorem simplicium assignationum reductas declaramus.

23. Ordinamus et firmiter de caetero statuimus, ut nostri ordinis generales magistri et in eo religionis munere sanctissimi patriarchae Dominici successores post susceptum semel tanti muneris onus perpetuo, quo par est, praecipui honoris et reverentiae charactere apud nos maneant insigniti; ideoque sive ii a suo generalatus officio amoti fuerint, sive per renuntiationem se eo abdicarint, volumus, ut praeter caeteras

praerogativas iis ex constitutione concessas exempti deinceps maneant a cuiuscumque aut prioris aut provincialis obedientia et soli suo successori seu magistro ordinis generali subdantur.

24. Ordinamus, ut magistris novitiorum in tam laborioso educandae iuventutis honore desudantibus debitus quoque tanti operis honor rependatur, ideoque, quod ea fuerit maioris partis provinciarum sententia, volumus deinceps et statuimus, ut qui hoc munus per octo annos continuos probe et laudabiliter exercuerint, sint in posterum ab hebdomariae onere immunes, post baccalaureos ordinarios locum habeant, sint patres a consiliis, et omni alia praerogativa fruantur, quam cuiusque provinciae capitulum proxime celebrandum iis statuerit decernendam, ita tamen ut haec omnia intelligantur de iis dumtaxat, qui in maioribus conventibus et ad educandam iuventutem deputatis non paedagogiae, quam vocant, sed proprie magisterii novitiorum funguntur officio.

Declarationes.

1. Declaramus, quod constitutio prohibens, ne germanus frater fratri in officio prioratus immediate possit succedere, intelligenda quoque sit de sororibus, ne proinde in monasteriis sanctimonialium soror germana statim post suam germanam sororem in priorissam ullatenus eligi possit.

2. Declaramus, constitutionem, quae mandat receptionem fratrum sive ad habitum sive ad professionem non aliter quam per vota secreta debere institui, omnino ac pari iure concernere quoque moniales; proinde idipsum, sicuti hactenus in monasteriis sororum nostrarum servatum non fuit, deinceps servari praecipimus sub nullitate receptionis, si secus fiat.

3. Declaramus, quod priores conventuales, quorum coenobia olim competentem numerum fratrum alere consueverant, nunc vero ob vastationes bellorum, fabricas, contagium aut aliud quodvis legitimum impedimentum absque sua culpa duodenarium numerum religiosorum sustentare non possunt, nihilominus manere debeant in antiqua sua possessione suffragii pro capitulo provinciali ac in eo tanquam legitimi vocales de iure admittendi sunt, dummodo ad minus sex fratres alant, qui sint capitulares iuxta decretum alias desuper a sacra regularium congregatione emanatum, ni provinciarum usus in contrarium existat. Idem declaramus et, quoad opus est, statuimus circa ius conventuum in electione socii priores euntis ad capitulum provinciale, nimirum ut hoc iure gaudeant conventus iidem, quorum priores ex vi superioris declarationis vocem in dicto capitulo habere permittuntur. Quod si nec senarium numerum alant fratrum capitularium, non gaudeant isto iure, ut statutum est in capitulo Romano 1569.

4. Declaramus ad omnem deinceps tollendam ambiguitatem, quod

post emanatum breve a sanctissimo domino nostro cassationis et annullationis horum, quae in Ianuensi sive Corneliani capitulo gesta fuere sub anno 1642, nulla quoque et nulliter ac invalide facta ea omnia censeri debent, quae circa promotiones ad gradus aut confirmationes electionum et officiorum aut restitutiones ad gratias aut quocumque alio modo sive in ipsis praefatis capitulis, sive deinceps ex praesumpta eorum auctoritate et validitate quomodocumque aut sub quovis praetextu facta, tentata aut sequuta sunt, nisi in hoc confirmentur aut approbentur.

Admonitiones.

1. Admonemus omnes ac singulos priores tum provinciales tum conventuales, ut in suis conventibus introducant piam ac laudabilem consuetudinem in plurimis nostrae religionis coenobiis usitatam, qua in memoriam dominicae Passionis singulis sextis feriis, saltim in Quadragesima, coram altari sanctae Crucis post Salve Regina cantentur versus illi devotissimi « Amici mei et proximi mei » etc., secundum formam ac modum praescriptum in parvo officio b. Virginis, impresso Parisiis.

2. Admonemus, ut post litanias beatae Virginis in quolibet sabbato cantari solitas cantetur quoque devota prosa, quae incipit « Inviolata, intacta » etc.

3. Admonemus admodum rev. patres provinciales, priores ac studiorum moderatores iisque in memoriam solicite revocamus textum sacrarum constitutionum nostrarum dist. 2. cap. 14. de studentibus § 7., ut omni vigilantia curaque provideant, quatenus inepti et infructuosi a scholis removeantur, ne aptioribus et melius profecturis locum praeripiant; proinde curent quotannis ad minimum semel per generale examen singulorum ingenia, vires ac profectus explorare et lustrationem, qua excludantur ignavi ac promoveantur habiliores, instituere iuxta ordinationem factam Parisiis 1256, Pesti 1273, Caturci 1319 et Carcassonae 1342.

4. Admonemus patres priores ac praesidentes conventuum iisque in memoriam revocamus ea, quae circa curam infirmorum tum in regula s. p. n. Augustini tum in constitutionibus nostris dist. 1. cap. 7. § 1. tum in plurium capitulorum generalium ordinationibus, ut Parisiensis 1286, Salmantini 1551 etc. toties inculcantur. Proinde volumus, ut in singulis conventibus commoda infirmaria habeatur pro fratribus aegrotis atque languentibus, eaque nulli in privatam habitationem sive tota sive ex parte concedatur. Item deputetur idoneus infirmarius maior, cui pro exigentia officii ac temporis unus aut plures fratres conversi pro ministeriali adiutorio adiungantur; teneanturque prior aut praeses conventus una cum medico et p. infirmario fratres suos infirmos benigne et cre-

brius invisere ac eorum necessitatibus providere; nec syndicus in porrigendis coemendisque his, quae ad infirmorum curam, medicinas aut necessarios usus spectant, durus sit aut inexorabilis, sed patri infirmario ea petenti charitative omnia secundum facultatem domus subministret. Priores vero aliique superiores uti et ipsimet syndici, qui hac in re negligentes reperti fuerint, in poenam a suis officiis absolvantur, neque possint provinciales quoquomodo talibus parcere aut poenam constitutam relaxare.

5. Admonemus ac singulorum fratrum sororumque conscientias, quanta possumus districtione, compellimus, ut memores constitutionum tum nostrarum dist. 2. cap. 13. § 9. tum apostolicarum Gregorii XIII., Clementis VIII. et Pauli V. caveant, ne aut poenarum relaxationes aut graduum, dignitatum officiorumve procurationes per favorem saecularium quarumvis personarum ullo modo quaerere praesumant. Similiter admonemus quoscumque ordinis nostri superiores ac praelatos, ne hac in re tam suas quam subditorum animas inferno prodigere velint, quin potius eos, qui hac via ad honores, gradus vel officia praepostere connituntur, etiamsi alias fuerint dignissimi, severe repellant ac pro tota vita deinceps inhabiles ad similia unquam obtinenda declarent, aliisque poenis in constitutionibus et alibi expressis irremissibiliter eos subiiciant. Qua in re conscientias praelatorum in diem Domini aggravamus, et ad breve Gregorii XIII. desuper datum inque capitulo Romano 1580 publicatum et acceptatum, necnon ad eiusdem capituli paragraphum qui incipit « Quamobrem singulos » etc. non solum legendum, sed et graviter exequendum remittimus.

Commissiones.

1. Ut pax et tranquillitas tam provinciarum quam congregationum ordinis nostri in florentissimo Galliarum regno, recisis quibuscumque controversiis, stabiliatur, de communi consensu et acclamatione committimus reverendissimo patri magistro ordinis, ut, cum eas partes visitaturus adierit, pro sua insigni prudentia, aequitate et rei bene gerendae dexterrima felicitate componat omni suaviori ac meliori modo, quidquid inter patres provinciarum Tholosanae, Franciae, Provinciae et Occitaniae ex una, et patres congregationum Gallicanae et s. Ludovici ex altera parte, praesertim circa repetundas nonnullorum conventuum, hactenus disputatum fuit, quatenus sopita omni ulteriori quaestionum ac litium materia, religiosus rigidioris observantiae tenor absque impedimento dilatetur et confoveatur.

2. Committimus eidem reverendissimo patri nostro, ut pro ampliori Dei cultu in sanctis suis proque ordinis gloria ac fidelium populorum solatio ac denique pro ingenti huius generalissimi capituli beneficio vi-

ribus omnibus a sanctissimo domino nostro impetrare satagat apostolicum diploma, quo festum beati Alberti Magni toti praedicatorum ordini solemniter celebrandum indulgeatur, quandoquidem a multis iam annis ex eiusdem sanctissimi domini nostri paterna concessione praedictum festum in diversis nostri ordinis provinciis aquilonaribus cum ingenti pompa et incredibili saecularium devotione quotannis celebratur, videlicet per totam Sveviam, Bavariam, Franconiam, Bohemiam, Moraviam, Austriam, Alsatiam, Tirolim, Palatinatum, Stiriam, Carinthiam, citeriorem Saxoniam seu Westphaliam, ad Rheni ac Mosellae tractum, denique per universam provinciam Germaniae inferioris; quin et clero saeculari hinc inde eiusdem festi celebrandi benigna concessio facta est, nempe cathedrali ecclesiae Ratisbonensi necnon civitati Lauingensi, Augustanae dioecesis, ut proinde hanc gratiam ad nos quoque, qui illius sancti filii ac fratres sumus, generalius aliquando extendendam apostolica benignitate summopere confidamus.

3. Cum ordo noster, illibato hactenus unitatis suae flore singulariter conspicuus, iam inde a primis ferme cunabulis divisionem suique in varias formas ac partes dissectionem perpetuo abominatus sit, nec tamen id suffecerit ad quorumdam intempestum zelum compescendum, quin ausu admodum pernicioso subinde tunicam nostram inconsutilem nonnulli varia subtilitate dividere saltem indirecte conati sint, excogitatis videlicet novis qua vestium qua morum formis ac regulis, quae nostrae religionis fundamentalem uniformitatem dilacerare posse videantur, idcirco committimus reverendissimo magistro ordinis, ut implorato tum apostolicae sedis tum aliorum principum procerumque auxilio omnia eiuscemodi novitatum commenta, quae unitati ordinis quoquomodo officiunt, mature opprimere ac, si ubi iam pullulare caeperunt, sollicite eradicare satagat; praecipue vero studeat suo nostroque omnium nomine obtinere a sanctissimo domino nostro breve apostolicum, quo recens quoddam institutum fratrum excalceatorum sancti Dominici, nuper in Galliis sub mirabili ac pene ridicula truncati habitus forma exortum, quantocitius extinguatur, eiusque sectatores ad normam pristinae suae professionis, secundum quam sese ordini nostro iam semel obstrinxerant, redire compellantur, ac provideatur, ne quid simile deinceps a quoquam ex nostris quacumque auctoritate, motu vel zelo in publicum nostrae unitatis detrimentum possit attentari.

4. Committimus eidem reverendissimo patri nostro, ut ad obstruenda plurium adversantium ora procuret ordini de benignitate apostolica concedi declarationem in forma brevis super confraternitate sanctissimi nominis Iesu, quam ordo noster ab immemorabili tempore de assensu et multiplici approbatione plurium summorum pontificum usque ad haec

saecula tam litigiosa in suis ecclesiis excoluit et possedit, utque in eodem brevi, quoad opus fuerit, denuo declaretur, secundam cuiuslibet mensis dominicam huic nostrae confraternitati deberi ad consuetas suas processiones obeundas.

5. Committimus reverendissimo patri generali, ut procuret, quatenus omnia privilegia, favores, indulgentiae etc., quotquot hactenus tum ordini nostro tum archiconfraternitati sacratissimi Rosarii a summis pontificibus concessa fuerunt, in authenticum summarium colligantur ac seorsim typis mandentur, et exemplaria sufficienter authenticata singulis provinciis eo, quo par est, numero distribuantur.

6. Committimus reverendissimo p. magistro ordinis, ut a s. sede apostolica impetret concessionem in forma brevis ad effectum erigendi per totum ordinem novas confraternitates sub invocatione s. p. n. Dominici de Suriano, iuxta normam et modum consimilis fraternitatis hic in ecclesia nostra sanctae Mariae super Minervam iam erectae ac per indultum apostolicum fructuose institutae.

7. Committimus eidem, ut ad tollendos inanes quorumdam cavillos et scrupulos et ad promovendum uberius saluberrimum illud exercitium rosarii perpetui, quod toto iam orbe cum plausu, devotione fructuque inexplicabili recipitur, obtineat specialem sanctissimi domini nostri bullam apostolicam, qua illud singulariter approbetur, fidelibus commendetur ac peculiaribus quibusdam indulgentiis, gratiis et favoribus exornetur.

8. Committimus admodum rev. p. provinciali Theutoniae, ut diligentem et exactam disquisitionem instituat circa miracula beati Alberti Magni gratiasque per ipsius intercessionem obtentas.

9. Committimus admodum rev. p. magistro fr. Camillo Iasinski provinciae Poloniae, ut pro reparanda rituum nostrorum uniformitate clare, solide distincteque in ordinem redigat et explicate disponat, quidquid in rubricis ac ceremoniis nostri ordinis obscurum, ambiguum aut quoquomodo controversum passim solet occurrere, ut ex his demum aliquod consummatum et constans ordinis ceremoniale, opera ac lucubratione eiusdem patris, quamprimum conficiatur.

10. Committimus reverendissimo patri generali, ut a sanctissimo domino nostro impetret apostolicam confirmationem omnium nostrorum privilegiorum, exemptionum, indultorum etc., quotquot unquam a s. sede tum ordini tum archiconfraternitati sanctissimi rosarii collata fuerunt; similiter conetur obtinere confirmationem et approbationem sanctissimi super quibusdam articulis seu capitibus ad bonum regimen ac dispositionem eiusdem archiconfraternitatis spectantibus, quae quidem coram toto diffinitorio examinata, notata ac in manibus reverendissimae suae paternitatis relicta fuerunt.

11. Committimus reverendissimo patri magistro ordinis, ut ipse pro sua eximia prudentia ac dexteritate eligat certo aliquem typographum, cui committi possint vetusti codices ordinis nostri novis ac nitidis typis excudendi; praecipue vero eam diligentiam adhiberi optamus in recudendis operibus b. Alberti Magni tantopere per universum christianum orbem desideratis.

12. Committimus reverendissimo patri generali, ut exponat sanctissimo domino nostro papae, magna interdum damna nostrae religioni inferri ex retentis diutius inter nos discolis fratribus, quos nec amor virtutis nec poenae formido potest a malo coercere, quin pro innata protervia in peius quotidie ruant, et tum in religiosis suis actibus foris foetere faciant nomen nostrum coram seculo, tum domi plerumque ex prava sua conversatione quasi vinolenta lue aliorum mores inficiant et totam provinciarum aut conventuum evertant disciplinam. Ideoque humiliter petat a sua beatitudine, quatenus per apostolicum breve deinceps liceat magistris generalibus, auditis super hoc et examinatis cum timore Dei provincialium, conventuum vel provinciarum quaerimoniis aut aliis authenticis relationibus de similium fratrum conversatione et contumaci desperataque nequitia sive in capitulo generali de patrum diffinientium assensu per vota secreta, ut moris est in religione, explorato, sive dum non poterint interdum haberi statuto tempore huiusmodi capitula, de assensu graviorum patrum, quos solent magistri generales ad sua consilia adhibere, huiusmodi discolos et inquietos ac honestatis publicae eversores habitu religionis exutos a religione depellere et ad seculum amandare.

13. Committimus reverendissimo p. magistro generali, ut ita auctoritate et vigilantia observari procuret in omnibus ordinis nostri provinciis ordinationem decimam tertiam capituli Romani 1629, quae est circa absolutionem priorum a provincialibus et visitatoribus; quodque taliter citra sui infamiam absoluti nequeant reclamare aut, si reclamaverint, non audiantur; quae omnia, prout in praefata capituli Romani ordinatione statuta sunt, ipsamque ordinationem totam confirmamus et inviolabiliter servari praecipimus.

14. Committimus eidem reverendissimo, ut per totum ordinem per fratres ad id idoneos promoyere satagat apud saeculares in ecclesiis nostris institutum sacratissimi rosarii tam publicis totius christianitatis calamitatibus compescendis salutare et proficuum; necnon similiter devotionem erga beatissimum patrem nostrum Dominicum, et qui olim ad paria aut maiora mala ecclesiam devastantia electus et missus a Deo in remedium, is ipse pietate populorum exoratus praesentia a clementissimo numine impetret amoveri flagella.

Concessiones.

1. Concedimus singulis huius generalissimi capituli provincialibus ac diffinitoribus, ut quilibet ipsorum possit unum ex fratribus suae provinciae poenis gravioris culpae ante huius capituli celebrationem addictum restituere ad omnes gratias ordinis, dum tamen ille post correctionem cautior sese capacem huius favoris exhibere sategerit.

2. Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus ac singulis tum fratribus tum sororibus ordinis nostri toto orbe diffusis suaeque curae subiectis, ut semel aliquem in ordine approbatum patrem confessarium sibi deligere possint, qui eos ab omnibus peccatis ac censuris ante horum actorum publicationem quomodolibet contractis absolvere valeat, quantum ipse reverendissimus pater magister generalis posset, si eidem personaliter confiterentur.

3. Attentis gravissimis omnique probabilitatis argumento plenissimis rationibus concedimus, quantum in nobis est, ut congregatio nostra s. Crucis Indiarum Orientalium erigatur in provinciam; proinde huius erectionis executionem remittimus reverendissimo magistro ordinis, quando viderit nulla in contrarium militare notabilia impedimenta.

4. Concedimus rr. admodum patribus provincialibus, qui in hoc capitulo generalissimo praesentes fuere, ut post exactum sui provincialatus officium valeant sibi, quem magis libuerit, in sua provincia conventum ad residentiam et recessum eligere, a quo removeri non possint a provincialibus pro tempore, et si fiat, nulla sit et invalida ipsa remotio.

Pro provincia Hispaniae.

1. Acceptamus conventum nostrum s. Mariae Conceptionis del Rosario Matritensem secundum formam nostrarum constitutionum et patronatum illustrissimi d. d. Octavii Centurion, marchionis de Monasterio, et volumus eum libere potiri et gaudere omnibus privilegiis, quibus huiusmodi patroni de iure vel approbata consuetudine potiri et gaudere consueverunt, quem etiam commendamus, utpote de nostro ordine optime meritum.

2. Concedimus conventui nostro s. Vincentii Placentini, ut de eodem sancto Vincentio festum etiam cum octava sólemni valeat celebrare.

3. Concedimus conventibus provinciae, quam in Hispania de Estremadura vocant, ut possint festum sanctae Eulaliae Emeritensis sub toto duplici celebrare.

4. Concedimus etiam omnibus conventibus ad dioecesim Toletanam pertinentibus, ut possint celebrare festum sanctissimi nominis Iesu 19. ianuarii et festum sanctissimi nominis Virginis Mariae 17. septembris vel aliis diebus conformando se ecclesiae matrici sub toto duplici.

5. Confirmamus, quod et alias est ordinatum in capitulo generali Tolosae 1628, ad submovendas contentionum occasiones, ut priores conventuum de Atocha et s. Thomae Matritensis inter se convenire possint, ut quilibet ipsorum, cum alter in alterius conventu extiterit, omnes priores et magistros praecedat praeter priorem ipsius conventus. 5

6. Instituimus in magistros in theologia rev. p. fr. Ioannem Martinez (1) praesentatum, a confessionibus serenissimi Hispaniarum principis, et rev. p. fr. Petrum Rodriguez de Peramola, priorem nostri conventus s. Thomae Matritensis, et rev. p. fr. Andream Corrillo in isto generalissimo capitulo diffinitorem, cui obnixe renuenti praecepit reverendissimus 10 et totum diffinitorium, ut gradum magisterii acceptaret.

7. Instituimus praesentatos in sacra theologia ad titulum lecturae rr. pp. fr. Ioseph Perez lectorem theologiae s. Petri Martyris Toletani, fr. Blasium de Agular lectorem theologiae s. Vincentii Placentini, fr. Eugenium de Mora priorem Conchensem, fr. Ioannem de Viezma priorem 15 de Trianos, fr. Antonium de Guebara lectorem theologiae s. Vincentii Placentini, qui gloriose in isto nostro capitulo pro provincia Hispaniae conclusiones defensavit, fr. Ildefonsum Migue lectorem theologiae sanctae Crucis Segobiensis, fr. Ioannem Martinez in eodem conventu theologiae lectorem, fr. Bernardum del Caso lectorem theologiae de Trianos, 20 fr. Didacum de Valençuela. Ad titulum vero praedicationis fr. Franciscum Contonentem praedicatorem s. Petri Martyris Toletani, fr. Ioannem de Almogavar priorem de Guadalaxara, fr. Franciscum Gomez (2) praedicatorem Matritensem et fr. Ioannem de Anaya y Sandoval, socium admodum rev. p. fr. Andreae Corillo, huius capituli generalissimi diffinitoris. 25

Pro provincia Tholosana.

1. Concedimus provinciae Tholosanae, quod possit singulis quartis feriis, etiam ubi non sunt studia, celebrare officium s. Thomae doctoris angelici.

2. Concedimus facultatem rev. admodum p. provinciali pro tem- 30 pore existenti urgente necessitate, ut possit confirmare priores ante expletum quadriennium requisitum in nostris constitutionibus, sicuti prorogare illos expleto triennio, si a patribus vocalibus fuerint reelecti; tenebitur tamen prius monere reverendissimum p. generalem illique necessitatem exponere. 35

3. Concedimus facultatem rev. admodum p. provinciali fundandi de novo monasterium monialium ordinis nostri in aliqua dioecesi ad hoc magis idonea, et instituimus in priorissam praedicti monasterii so-

---

(1) De fr. Ioanne Martinez cf. SSOP. II, 665.

(2) De fr. Francisco Gomez cf. l. c. pag. 664.

rorem Helenam Dumayne monasterii s. Pardulphi, servatis tamen servandis.

4. Cassamus et annullamus omnes affiliationes et translationes fratrum de aliis provinciis factas sine consensu vel acceptatione eiusdem provinciae aut conventuum.

5. Ordinamus, sicut ordinatum fuit a reverendissimo p. Rodulfio, ut duodecim novitii educentur pro dicta provincia in conventu Tholosano et Burdegalensi ad professionem usque, nec liceat vicario congregationis s. Ludovici eorum quempiam in sua congregatione retinere.

6. Ordinamus admodum rev. p. vicario praedictae congregationis, ut recipiat sindicos generales nostrae provinciae Tholosanae in conventu Burdegalensi absque contributione; volumusque, ut curet et efficiat, quod religiosi huius nostrae provinciae charitative recipiantur in dicto et aliis conventibus congregationis neque illis impediatur ingressus chori et refectorii, eisque assignentur socii ad negotia peragenda.

7. Instituimus et confirmamus studia generalia in conventibus Aginnensi et Petracorensi, in quibus patres lectores legent pro gradu baccalaureatus et magisterii; et quia nulla est universitas, in qua possint promoti ad gradus dictae provinciae graduari, instituimus et eligimus pro universitate nostrae provinciae Tholosanae conventum et collegium Aginnense, in quo omnes rite promoti gradus recipient a rev. p. provinciali pro tempore existente vel a commissario ab ipso ad hunc effectum deputato.

8. Restituimus ad gradum baccalaureatus rev. p. fr. Arles lectorem theologiae in conventu Apamiensi.

9. Ordinamus et districte prohibemus, ut nullus in posterum ad quoslibet gradus promoveatur neque ad praedicaturas generales, quin habeat requisita iuxta nostras constitutiones et ordinationes capitulorum generalium; nihilominus tamen quia multi privarentur gratiis ordinis suis laboribus debitis, qui ob carentiam studiorum non potuerunt vacare lectionibus philosophiae et theologiae, ideo sequentes promovemus, quorum alii iam suas lecturas peregerunt, cum aliis vero super iis dispensamus, si tamen habeant aliunde debitam sufficientiam et servatis servandis, nempe ad gradum magisterii rr. pp. fr. Blasium Iosse baccalaureum et diffinitorem, fr. Bernardum Marrein baccalaureum Parisiensem et diffinitorem, fr. Ioannem Biarrotte baccalaureum Sorbonicum, fr. Raymundum Bories lectorem theologiae et Raymundum Labat etiam lectorem theologiae, baccalaureos; titulo vero praedicationis promovemus iuxta morem consuetum provinciae rr. pp. fr. Ioannem Caburlaud baccalaureum, fr. Mathurinum Rampianche, fr. Danielem Bonemaison et fr. Benedictum Laforest etiam baccalaureos.

10. Promovemus ad gradum baccalaureatus pro lectura rev. p. fr. Raymundum Berrut; titulo autem praedicationis rr. pp. fr. Hyacinthum Laporte, fr. Renatum Guilelmin, fr. Ioannem Lavergne, fr. Ambrosium Belly, fr. Guilelmum Laburquiere, fr. Hyacinthum Bauguiori, fr. Ioannem Peres et fr. Andream Laforest.

11. Instituimus insuper in praedicatores generales pp. fr. Gabrielem Chavanel, fr. Petrum Alause, fr. Ignatium Bosquet, fr. Ioannem Mourron, fr. Dominicum Rases et fr. Nicolaum Durbet.

12. Affiliamus in nostro conventu s. Emiliani rev. p. fr. Raymundum Richard; affiliamus in nostro conventu Apamiensi rev. p. fr. Bertrandum Barberii, qui dictae provinciae olim munus provincialatus exercuit.

Pro provincia Franciae.

1. Ordinamus, ut in provincia nostra Franciae officia sanctarum Emerentiae et Elisabethae viduae celebrentur sub toto duplici.

2. Permittimus, ut in maioribus conventibus novitii recipiantur et in illis secundum constitutionem educentur.

3. Item ordinamus, ut iura provinciae illaesa maneant admittendi ad gradus, quos rr. admodum pp. provinciales et diffinitores capitulorum provincialium dignos iudicaverint, nolumusque quempiam ad magisterium promoveri, qui suos omnes actus pro more facultatum fieri solitos omnino non perfecerit; quod si secus fiat, totum irritum sit et inane, nisi aliter dispensaverit reverendissimus magister ordinis.

4. Committimus rev. admodum p. magistro provinciali Franciae pro tempore existenti curam conventuum fratrum et sororum civitatis Atrebatensis, quousque aliter per capitulum generale aut per reverendissimum ordinis magistrum ordinatum fuerit.

5. Prohibemus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae et sub formali praecepto immo et sub poena excommunicationis, ne quis in posterum aliquem aut aliquos conventus dictae provinciae praesumat invadere; nolumusque, ut quovis praetextu reformationis factae aut faciendae aliquis conventus a iurisdictione reverendi admodum patris provincialis pro tempore aut ab eadem provincia separari possit.

6. Stricte prohibemus, ne quis ullo praetextu aut quavis ratione vicariatum in parochiis saecularibus praesumat obire aut vicibus et officiis vicariorum vel parochorum fungi sub poena suspensionis a divinis; nolumusque quemquam nostrorum fratrum extra conventus ordinis immorari absque reverendissimi patris generalis licentia.

7. Prohibemus insuper, ne priores conventuales huius provinciae Franciae in officio prioris triennio completo perseverent, sed sint ipso facto absoluti nec possint continuari, nisi petentibus omnibus fratribus,

nullo excepto, et propter gravissimas causas, de quibus reverendissimus magister ordinis iudicabit.

8. Approbamus et acceptamus magisterium in sacra theologia rev. admodum patris fr. Nicolai le Gardeur conventus Andegavensis per affi-
5 liationem et modo nostrae provinciae Franciae provincialis.

9. Item approbamus magisteria rr. pp. fr. Petri Durand conventus Nivernensis, fr. Dominici Talvatz conventus Aurelianensis, fr. Iacobi de Lavau conventus Pictaviensis, fr. Claudii Groscol conventus Cadomensis, fr. Benedicti Farconet conventus Gratianopolitani in facultate Parisiensi,
10 fr. Petri Homassel conventus Virdunensis, fr. Petri Chemin conventus Angolismensis, fr. Iacobi des Bleyns (1) conventus Gratianopolitani, fr. Petri Visdegrain per affiliationem conventus Andegavensis, fr. Petri Dudovijt conventus Constantiensis, fr. Nicolai Coeffier conventus Ambianensis, fr. Francisci Bourgoin conventus Senonensis, fr. Danielis Boban conven-
15 tus Virdunensis, fr. Gabrielis de la Meschiniere per affiliationem conventus Aurelianensis, fr. Dominici Grade conventus Atrebatensis et fr. Dominici Morel conventus Matisconensis per affiliationem.

10. Approbamus licentiaturas rr. pp. fr. Renati Maillard in facultate Bituricensi et fr. Antonii Bichot in facultate Rhemensi, statuimusque
20 eosdem per rev. admodum patrem provincialem Franciae ad magisterium promoveri.

11. Item decernimus rr. pp. fr. Petrum Simonneau conventus Divionensis et fr. Hyacinthum Charpignon (2) conventus Bituricensis ab eodem rev. admodum p. magistro provinciali laurea doctorali donandos.

25 12. Approbamus translationem capituli provincialis nostrae provinciae Franciae in dominicam « Deus qui fidelium mentes » anni proxime sequentis 1645; volumusque rev. admodum p. fr. le Gardeur provincialem ad illud usque tempus gaudere titulo, nomine et auctoritate provincialis. Continuamus rev. p. fr. Iacobum de Lavau in priorem con-
30 ventus nostri Andegavensis ad finem usque praefati capituli provincialis proxime celebrandi.

13. Acceptamus conventus monialium nostri ordinis Cabilonensem videlicet et Eduensem ac provinciae nostrae Franciae incorporamus reverendoque admodum patri provinciali pro tempore subdi volumus.

35 **Pro provincia utriusque Lombardiae.**

1. Ordinamus, ne quis deinceps promoveatur ad magisterii gradum aliter quam ad provinciae petitionem, factam in ipso capitulo provinciali per reverendum admodum patrem provincialem et patres diffinitores, et

---

(1) De fr. Iacobo des Bleyns (Blains) cf. SSOP. II, 689.

(2) De fr. Hyacintho Charpignon cf. l. c. pag. 724.

nisi is, qui fuit postulatus, legerit per quindecim annos continuos nimirum totum cursum philosophiae, theologiam moralem per tres annos et speculativam per octo, ac demum pro ipso gradu magisterii fuerit examinatus et approbatus in studio nostro generali Bononiensi, ut olim moris erat. Nolumus vero augeri magistrorum numerum in provincia nisi eorum intuitu, qui in praefato studio Bononiensi regentis aut baccalaurei munus impleverint.

2. Ordinamus, ut qui in posterum fuerint approbandi in regentes et baccalaureos, si alioquin idonei extiterint, iuxta suae professionis ordinem approbentur; et iam approbati non per saltum, sed habita ratione eiusdem antiquitatis in ordine ad implenda huiusmodi officia deputentur, nec vero liceat provinciali capitulo approbare deinceps nisi duos ad regentaturam, duos ad baccalaureatum et quatuor ad magisterium studii ex magis idoneis pro conventu Bononiensi, nisi forte aliquo ex approbatis in sanctae inquisitionis officio occupato, alius qui ipsius locum impleat, debeat approbari.

3. Nolumus praeteriri quidquam ex iis, quae in ordinationibus eminentissimi cardinalis Alexandrini bonae memoriae statuta fuere circa aetatem et gradus eligendorum aut confirmandorum ad prioratus in hac nostra provincia ut nec circa aetatem eorum, quos ad monialium confessiones deputari continget. Praesentique insuper statuto decernimus, nullos penitus in monialium confessarios aut debere aut posse institui, qui non per aliquot annos praedicationis munus in civitatibus exercuerint sintque idonei solandis per verbi Dei praedicationem sororum, ad quas deputantur, communitatibus.

4. Non mittantur iuvenes fratres ad studia aliarum provinciarum exceptis Parisiensi, Salmantino et Romano, neque gaudeant lectoratus titulo, nisi prius in nostro Bononiensi studio examinati fuerint et approbati. Quod idem observari mandamus circa eos, qui peractis hactenus extra provinciam studiis theologicis se nondum Bononiae praedicto examini subiecerint, pro quo subeundo sex menses eisdem a praesentium notitia assignamus sub poena privationis ipso facto incurrenda tituli lectoratus, sibi a quibuscumque studiorum moderatoribus concessi.

5. Ordinamus et districte praecipimus lectoribus actu legentibus, ut per seipsos munus lecturae impleant, nec eis liceat in hoc vices suas alteri committere, sed legant per se indispensabiliter a festo s. Crucis usque ad festum s. Mariae Magdalenae ad minus centum quadraginta lectiones. A quibus ne quocumque praetextu eos contingat avocari, prohibemus, ne de caetero eis liceat conciones habere ad populum tempore Adventus et Quadragesimae, nisi forte diebus festivis et sextis feriis et in tam parva locorum distantia, ut per eam non impediantur, quin re-

dire queant ad munus suum sequenti die commode obeundum. Quod etiam cum omni rigore circa studentes ipsos servari volumus, ne aut ipsi a studio vacent aut conventus priventur missis; inhibentes rev. admodum patri provinciali, ne circa haec praemissa cum aliquo dispenset, et prioribus conventuum, in quibus sunt studia, iniungentes, ut ad capitulum provinciale authenticas fides deferant circa praefatam lectorum in suis lectionibus assiduitatem; quae si minor reperta fuerit, volumus eos statim a suis lecturis amoveri.

6. Deputamus pro studio formali conventum s. Catharinae apud Formellum Neapoli et conventum Brixiensem; primum quidem pro solis duodecim, alterum autem pro solis octo studentibus formalibus, ita ut nequeat praedictus numerus a quocumque in alterutro studio vel minui vel augeri; nec vero concedantur umquam licentiae pro primo loco vacaturo, sed cum loca ipsa vacaverint, deputentur, qui ea impleant et qui audito ex integro cursu philosophico et peracto in theologia addiscenda integro triennio examinati fuerint et approbati a patribus moderatoribus et examinatoribus studii Bononiensis. Ad quos etiam spectabit eorumdem examen et approbatio ad lecturam, cum studiis sui formalis triennium in alterutro dictorum conventuum realiter expleverint. Sint vero primi lectores tam Neapoli quam Brixiae magistri in theologia ad promovendos auditores magis idonei, et in utroque studio ipsi studentes formales teneantur ad sequelam chori. Quae omnia indispensabiliter volumus observari.

7. Ordinamus, ut in omnibus conventibus, in quibus legitur theologia et philosophia, fiant conferentiae singulis diebus de lectione praeterita per unam horam a paschate usque ad festum s. Mariae Magdalenae post nonam, a festo s. Crucis usque ad Quadragesimam post vesperas, et tempore Quadragesimae ante lectionem vel immediate post ipsam, ut commodius videbitur. Circuli autem teneantur singulis diebus, uno quidem die a lectore theologiae, altero vero a lectoribus artium. Quae omnia ita stricte volumus observari, ut lectores, qui pluries inveniuntur in hac re defuisse, ipso facto intelligantur privati suis lecturis.

8. Praecipimus, ut constitutiones apostolicae de novitiis et eorum magistris inviolabiliter observentur, neque liceat novitios simplices in anno probationis artium studiis occupari, sed tantum spirituali profectui attendere, virtutum praxes edoceri, spiritualium librorum lectionibus occupari et in cantu ecclesiastico ordinisque ceremoniis et constitutionibus instrui, utque, cum semel professionem emiserint, ubi visum fuerit prioribus et patribus a consiliis, ad professorium transferantur, ibidem sub magistri cura usque ad sacerdotium permansuri.

9. Volumus, ut pro bono pacis fratres ex alienis provinciis ad hanc

nostram provinciam accedentes careant deinceps voce activa et passiva in actionibus canonicis, non obstante quocumque assignationis titulo et nisi simpliciter in aliquo provinciae conventu fuerint affiliati; quas tamen affiliationes ex alienis provinciis nolumus in posterum fieri, nisi cum magna cautela et servatis servandis. 5

10. Confirmamus erectionem factam et, quantum opus foret, erigimus de novo in prioratus cum voce ad capitulum provinciale conventus s. Mariae Urcearum, s. Mariae Britonorii, s. Mariae Annuntiatae Orazzani, s. Dominici Sarzanae, s. Mariae Gratiarum Wadae et Maceratae. 10

11. Approbamus magistros in theologia rite promotos a reverendissimo p. magistro generali fr. Nicolao Rodulfio a tempore capituli generalis Romae celebrati 1629 usque ad praesens capitulum.

12. Approbamus et confirmamus affiliationes infrascriptas, videlicet rev. admodum p. magistri fr. Thomae Novati de Tabia a conventu suo 15 originali Tabiensi ad conventum s. Dominici de Genua, rev. p. lectoris fr. Vincentii a Piceleone a conventu suo originali s. Catharinae de Formello de Neapoli ad conventum s. Dominici de Cremona, rev. p. lectoris fr. Iulii Antonii de Papia et rev. p. lectoris fr. Seraphini Orengii de Papia a conventu eorum originali s. Sixti de Urbe ad conventum s. Thomae 20 Papiensem, et rev. p. fr. Ludovici de Colurno a vicariatu Colurnensi ad conventum s. Ioannis Baptistae de Placentia.

13. Promovemus ad gradum magisterii, salvis iuribus provinciae, rr. pp. fr. Thomam Mariam de Como, fr. Marcum Antonium de Verona, fr. Hieronymum de Soncino, fr. Vincentium Mariam de Tabia, fr. Ioan- 25 nem Paulum de Venetiis, fr. Ioannem Ludovicum Bona de Venetiis (1), fr. Michaelem de Genua, fr. Ioannem Vincentium de Garrexio, fr. Hieronymum Seraphinum de Papia, fr. Ioannem Dominicum de Tradate, fr. Iulium Antonium de Papia, fr. Deodatum Gentilem de Genua.

14. Concedimus, ut in monasterio sancti Dominici in Urbe cele- 30 bretur festum de sancta Helena sub toto duplici, ita etiam in monasterio s. Petri Martyris Bononiae celebretur festum de beata Gertrude sub toto duplici a monialibus eiusdem monasterii; similiter ut in monasterio s. Catharinae virginis et martyris Pisauri a monialibus praefati monasterii fiat cum octava solemni festum s. Catharinae virginis et mar- 35 tyris; similiter ut in monasterio s. Catharinae virginis et martyris Ferrariae a monialibus eiusdem monasterii celebretur festum sanctae Clarae sub toto duplici; et pariter ut in monasterio s. Spiritus Ianuae a monialibus eiusdem monasterii fiat officium de stigmatibus s. Catharinae de

(1) De fr. Ioanne Ludovico Bona cf. SSOP. II, 582.

Senis atque de sancto Mauritio sub toto duplici; similiter in conventu sancti Dominici ut etiam fiat officium de s. Febronia virgine et martyre sub toto duplici.

Pro provincia Romana.

1. Concedimus provinciae Romanae, ut festum s. Hyacinthi et Catharinae de Senis bis celebretur, nimirum in die consueta ordinis et die proprio prout in calendario Romano; insuper quod in conventu s. Mariae super Minervam, ubi reconditur corpus s. Catharinae de Senis celebretur festum ipsius cum octava solemni, quae incipiet a prima festi celebratione.

2. Concedimus, quod feria quinta post dominicam sexagesimae, in qua accidit festum desponsationis sanctae Catharinae de Senis, fiat officium eiusdem sanctae de communi unius virginis non martyris praeter ea, quae sunt notata in proprio festo sub toto duplici.

3. Concedimus rev. admodum p. magistro fr. Iacobo Verò, moderno provinciali Romano, ut provideat pro hac vice tantum studio generali suae provinciae tam de magistro studentium quam de baccalaureo et regente.

4. Concedimus eidem p. provinciali, ut capitulum provinciale futurum celebretur consueto tempore videlicet dominica « Deus qui errantibus », non obstante quod biennium sui provincialatus die 30. ianuarii sequentis anni expiret; et interim ordinamus et volumus auctoritatem ipsius durare saltem sub titulo vicarii generalis provinciae usque ad dictum tempus capituli provincialis, cui cum solita auctoritate praesideat usque ad confirmationem novi provincialis. Praecipimus omnibus et singulis praedicatoribus generalibus eiusdem provinciae usque modo institutis sub poena privationis praedicatoratus, quod teneantur infra spatium duorum mensium copias suarum litterarum patentium transmittere ad rev. admodum p. provincialem, cui facultatem concedimus destinandi ipsis conventus, prout sibi videbitur expedire; et si illi qui sunt usque modo instituti, excedant numerum conventuum, declarare possit eos gaudere voce aliisque privilegiis in perpetuum, non obstante ultimo capitulo generali Romae celebrato 1629 et aliis ordinationibus capitulorum generalium.

5. Declaramus, quod si contigerit absente priore a conventu absentem etiam esse confessorem monialium, curam ipsarum sub titulo vicarii pertinere ad praesidentem conventus.

6. Approbamus magisteria cum loco et voce rr. pp. fr. Hyacinthi Pandulfi, fr. Ambrosii Violae, fr. Iacobi Veri, moderni provincialis Romani, fr. Thomae Fuschi, fr. Ioseph Maria Avila, fr. Hyacinthi Serroni (1),

(1) De fr. Hyacintho Serroni cf. l. c. pag. 711.

fr. Dominici Bonsi, fr. Cherubini Malespina, fr. Ioannis Montanti, quem dispensamus supra residuum temporis sui regentatus, fr. Dominici Galli, fr. Vincentii Cipulla, fr. Angeli Nuzza de Grottula (1), fr. Thomae Mansi, fr. Raymundi Capisuchi (2), fr. Augustini de Imola, fr. Ioannis Baptistae Marini, fr. Ioannis Cincinni et fr. Francisci Mariae Pellegrini, inquisitoris Perusini.

7. Approbamus magisteria, salvis iuribus provinciae, rr. pp. fr. Iacobi Perusii, fr. Ioannis Dominici de Antella, fr. Isidori Azolini (3), fr. Ioannis Baptistae de Sanctis, fr. Ambrosii Bandini, fr. Dominici Lauri, fr. Ioannis Baptistae Petrucii, fr. Reginaldi Luna.

8. Approbamus praedicaturas generales cum voce rr. pp. fr. Caroli Gezzii Borgesii, fr. Ioannis Baptistae de Sanctis, fr. Hyacinthi Libelli (4), fr. Ignatii Fantocii, fr. Vincentii Mariae Fontanae (5), fr. Petri Martyris Buccioti, fr. Ioannis Chrysostomi Iavelli (6), fr. Michaelis Pecorelli, fr. Angeli Urbani, fr. Thomae de Bardis, fr. Ambrosii Mariae Palmeri, fr. Dominici Vernaccia, fr. Petri Parpalioni, fr. Thomae Camotti, fr. Vigilantii Theatini, fr. Iacobi Perutii, fr. Francisci Mariae Boncompagnio, fr. Ioannis Baptistae Petrucii et fr. Hyacinthi Lupicini.

9. Promovemus ad gradum magisterii, salvis iuribus suae provinciae, rr. pp. fr. Santem Botti huius capituli diffinitorem, fr. Albertum Galli, fr. Gregorium Boncompagnio, fr. Vincentium de Bardis, fr. Iacobum Zali, fr. Ioannem Baptistam Galvanum, fr. Ioannem Baptistam Torretum, fr. Petrum Parpaglioni, fr. Leonardum Diedi, fr. Ioannem Baptistam Lunari, fr. Paulum Bianchi, fr. Ludovicum Saminiati, fr. Vincentium Mariam Fontana, fr. Hyacinthum Balada (7), fr. Ioannem Baptistam Lanci, fr. Angelum Brogium, fr. Felicem Rocchium, fr. Hyacinthum Ansaldum, fr. Petrum Paulum Marzi et fr. Michaelem Pecorellum. Item ex nunc promovemus rr. pp. fr. Hyacinthum Libellum et fr. Thomam Tomassonum (8) et fr. Nicolaum Ansideum (9) et fr. Thomam Camotti, ita tamen ut legant theologiam per duos annos.

10. Instituimus praedicatores generales cum voce rr. pp. fr. Ioannem Baptistam de Rubeis, fr. Deodatum Puccium, fr. Alexandrum Carneseccum, fr. Antonium Sanctacrucium, fr. Iacobum Zacchiam, fr. Io-

(1) De fr. Angelo Nuzza de Grottula cf. l. c. pag. 626.
(2) De fr. Raymundo Capisuchi cf. l. c. pag. 729.
(3) De fr. Isidoro Azolini cf. l. c. pag. 616.
(4) De fr. Hyacintho Libelli cf. l. c. pag. 701.
(5) De fr. Vincentio Maria Fontana cf. l. c. pag. 660.
(6) De fr. Ioanne Chrysostomo Iavelli cf. l. c. pag. 540.
(7) De fr. Hyacintho Balada cf. l. c. pag. 633.
(8) De fr. Thoma Tomassono cf. l. c. pag. 580.
(9) De fr. Nicolao Ansideo cf. l. c. pag. 65.

annem Baptistam Lunari, fr. Dominicum Laurum, fr. Pium Manardum (1), fr. Petrum Castruccium (2).

11. Instituimus praedicatorem generalem, salvis provinciae iuribus, p. fr. Franciscum Lanci.

12. Approbamus concessionem factam p. fr. Ioanni Dominico de Antella, ut gaudeat privilegiis baccalaurei huius provinciae, cum ei fuerit admissa lectio Pisana pro lectione baccalaurei eiusdem provinciae.

Pro provincia Regni.

1. Ut mutua dilectio et concordia inter fratres huius provinciae et congregationis s. Mariae Sanitatis eidem annexae conservetur viteturque discordia, quae inter eos oriebatur ob vocales in magno numero, qui ad capitula provincialia ipsius accedebant, inhaerentes decreto capituli generalis Romae celebrati anno 1629, ut in hac re aliquis aequior modus imponeretur, auditisque partibus et praesertim consentiente admodum rev. p. magistro fr. Reginaldo Balsamo, procuratore dictae congregationis, ordinamus, ut in electionibus, quae in capitulo provinciali huius provinciae fieri solent, ex ipsis patribus congregationis non habeant in posterum votum nisi tantum vicarius ipsius congregationis pro tempore, priores conventuum s. Mariae Sanitatis et s. Spiritus de Neapoli pro tempore absque sociis, sex magistri in theologia et tres praedicatores generales, inchoata serie tam in magistris quam in praedicatoribus secundum ordinem antiquitatis et post antiquiores in uno capitulo admissos admittendo successive et per ordinem alios in aliis capitulis, ita ut numerum duodenarium non excedant; reliquis vero patribus eiusdem congregationis in meritum sanctae obedientiae et sub poenis reverendissimo p. generali reservatis praecipimus, ne ullo modo ad ferenda vota in capitulis provincialibus huius provinciae et aliis actionibus ad illam pertinentibus accedere et se intromittere praesumant.

2. Committimus reverendissimo p. generali, ut opportunum adhibeat remedium, ne inter patres huius provinciae et eos, qui dicuntur s. Marci de Cavotis, aliqua divisio suboriatur, sed curet eos in omnibus iuxta praescriptum nostrarum constitutionum subiici p. provinciali pro tempore, ita tamen ut is vicissim eorum observantiam totis conatibus fovere teneatur.

3. Ordinamus, ut alternativa inter huius provinciae patres ex natione scilicet Neapolitana et extera in capitulo generali Romae 1629 insinuata et iam instituta inviolabiliter observetur iuxta breve sanctissimi d. n. Urbani papae VIII. sub datis Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris

---

(1) De fr. Pio Manardo cf. l. c. pag. 625.

(2) De fr. Petro Castruccio cf. l. c. pag. 636.

die 17. februarii 1640, ac proinde ut mutuus amor et fraterna concordia inter eosdem in dies augeatur, ordinamus, ut in conventibus Neapolitanis ad habitum clericalem non admittantur nisi servata alternativa, ut scilicet tot ex una recipiantur et tot itidem ex alia natione.

4. Concedimus, ut in omnibus conventibus huius provinciae celebretur officium de sanctissimo nostro patriarcha Dominico die 15. mensis martii, cum tali die totius eiusdem regni festive cum publicis processionibus acclamatus et acceptatus fuerit in patronum.

5. Acceptamus duo monasteria monialium nostri ordinis sub titulo sanctissimi Rosarii noviter erecta in civitate Neapolitana, unum pietate et vigilantia illustrissimi domini fr. Michaelis Torres episcopi Potentini, ex eadem provincia et conventu s. Dominici de Neapoli assumpti, alterum zelo et industria admodum rev. p. magistri fr. Alberti de Capua, ita ut eidem nostro ordini et provinciae Regni incorporentur iuxta eorum fundationes, sicuti iam unita et incorporata esse decernimus et declaramus.

6. Confirmamus ordinationem factam pro hac provincia in capitulo generali Romae anno 1608, ut fratres in publicis processionibus non attendant antiquitatem conventuum et provinciarum, sed conversi cum conversis, novitii cum novitiis, sacerdotes cum sacerdotibus, priores cum prioribus et magistri cum magistris incedant, sintque omnes in tali dispositione subiecti rev. admodum patri provinciali huius provinciae pro tempore.

7. Confirmamus ordinationes pro eadem provincia factas in capitulo generali Romae anno 1629, ut scilicet studentes formales generalis studii s. Dominici de Neapoli sint tantum viginti quinque, duodecim nempe ex provinciis exteris et alii duodecim ex eadem regni provincia, quibus unum tantum addere possit p. provincialis pro tempore. Item de examine habendo singulis annis de litteris et moribus studentium formalium per solos tres pp. moderatores eiusdem studii, ita ut inepti a studio et conventu statim eiiciantur. Item ut patres a consiliis in conventibus s. Dominici et s. Petri Martyris de Neapoli sint tantum graduati, videlicet magistri, patres provinciae, priores praeteriti eiusdem conventus, baccalaurei, praedicatores generales ac lectores usque ad numerum duodenarium, ita ut semper isti caeteris aliis praeferantur. Quod idem omnino observandum esse etiam in conventu sanctissimi Rosarii de Neapoli decernimus et declaramus.

8. Confirmamus ordinationes factas in visitatione huius provinciae a reverendissimo olim p. magistro generali fr. Nicolao Rodulfio, nempe de archivio totius provinciae instituendo in conventu s. Dominici de Neapoli. Item ne admittantur ad legendum in conventibus in civitate Nea-

politana, nisi praehabita lectura per aliquot tempus in aliquo conventu extra Neapolim. Item ut expleto triennio lecturae praesertim in conventibus Neapolitanis alius pater ad legendum instituatur, ut aliis locus detur. Item ut tempus triennii lecturae non possit extendi ultra alios sex menses, et hoc nisi maxima urgente necessitate. Item ut baccalaurei, lectores et praedicatores, qui aliquot annos philosophiam aut theologiam legendo vel annuatim praedicando consumpserint, sicut ii qui destinati sunt pro saecularibus, ad solam hebdomadariam et lectiones in choro legendas scribantur, non autem ad primam, secundam, tertiam vel ultimam missam.

9. Ordinamus, ut quando convocantur patres a consiliis sancti Dominici et s. Petri Martyris de Neapoli pro communibus negotiis provinciae huius pertractandis, vocari etiam debeant pp. magistri in theologia et prior pro tempore conventus sanctissimi Rosarii de Neapoli.

10. Ordinamus iuxta petitionem eiusdem provinciae factam in ultimo eius capitulo provinciali celebrato anno 1641, ut vicarii locorum non possint durare nisi tantum per biennium sicut et priores conventuum.

11. Ordinamus, ut lectores et studentes formales generales studii s. Dominici de Neapoli examinentur tantum per quinque examinatores iuxta decretum brevis apostolici sanctissimi Pii papae V., ut testatur epistola reverendissimi quondam p. magistri generalis fr. Vincentii Iustiniani, qui fuit eminentissimus S. R. E. cardinalis, cuius originale in matricula eiusdem studii asservatur.

12. Ordinamus, ne quis post expletum cursum philosophiae statim assignari valeat in studentem formalem in generali studio s. Dominici de Neapoli, nisi prius in eodem conventu vel in conventu s. Petri Martyris de Neapoli scholasticae theologiae ad minus per biennium operam dederit.

13. Ordinamus, ut, qui in studentes formales in studiis generalibus aliarum provinciarum assignantur, debeant prius per moderatores generalis studii s. Dominici de Neapoli rigorose examinari, sine quorum attestatione de sufficientia eorum assignatio penitus nulla sit ac invalida.

14. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. baccalaureos fr. Vincentium de Thauro, fr. Thomam Granvalle, fr. Martinum Leopardum, fr. Dominicum Cerasium, fr. Gregorium de Vio, fr. Augustinum Russomanum, fr. Andream de Castromari, fr. Thomam de Grottula, qui gloriose praedicavit in hoc capitulo generalissimo, fr. Seraphinum Checchinum, fr. Ioannem Baptistam de Afragola, fr. Thomam de Caieta, fr. Vincentium de Ianuario; et pp. lectores fr. Ioannem de Altamura, fr. Sebastianum de Valvano, fr. Hyacinthum de Caprilia, fr. Octavianum

Maresca et p. baccalaureum fr. Thomam Ruffum, qui summa cum laude publicas conclusiones in hoc capitulo generalissimo defendit, cum onere tamen quod per biennium sacram theologiam legat ut baccalaureus ordinarius, sicut iam est institutus pro tali officio in nostro generali studio sancti Dominici de Neapoli. 5

15. Instituimus baccalaureos sine loco pp. lectores fr. Blasium Mazzellam, fr. Gregorium de s. Marco, fr. Donatum de Atripalda, fr. Ioseph Golinum, fr. Marcum Lancellam, fr. Dominicum de Nuceria, fr. Benedictum de Vetrio, fr. Thomam de Thomasio, fr. Ioseph de Ianuario, fr. Ioannem Baptistam de Neapoli, fr. Thomam de Abellino, fr. Ignatium de 10 Pedemonte, fr. Thomam Oliverium, fr. Ioannem Baptistam de Castellone, fr. Thomam de Aquino, fr. Alphonsum Rosa, fr. Michaelem Fontanam, fr. Vincentium Flore, fr. Raymundum de Caserta, fr. Hyacinthum Tholosanum, fr. Seraphinum de Abirola, fr. Franciscum Passarellum et fr. Ignatium de Balneolo. 15

16. Instituimus praedicatores generales pp. fr. Stephanum de Neapoli lectorem pro conventu s. Thomae Aquinatis de Neapoli, fr. Thomam de Pedemonte pro conventu Optatensi, fr. Hieronymum de Balneolo pro conventu Balneolensi, fr. Angelum Ammiratum lectorem pro conventu Olibanensi, fr. Gregorium de Atripalda pro conventu Conchensi, 20 fr. Bartholomeum Maranciam pro conventu Aversano, fr. Michaelem Galtieri lectorem pro conventu Capuano, fr. Iordanum de Neapoli pro conventu Sanseveriensi, fr. Egidium de Neapoli lectorem pro conventu Campaniensi, fr. Theodorum de Piperno (1) lectorem pro conventu Surentino, fr. Thomam Cano lectorem pro conventu Angriensi et fr. Andream de 25 Atripalda pro conventu Atripaldensi.

Pro provincia Theutoniae.

1. Ordinamus, quod praedicatores actu concionantes nullam praetendere possint exemptionem a choro praeterquam iuxta priscum huius provinciae morem, nempe ut ii, qui ante prandium concionantur, pridie 30 solum liberi sint a matutino et prima; qui vero post prandium, nonnisi postridie remanere possint a matutino et prima; neutiquam tamen hac in parte restringere intendimus facultatem ac discretionem admodum rev. p. provincialis pro tempore, quin aliquibus in eodem praedicationis munere excellentioribus ampliorem aliquam a choro exemptionem possit 35 liberaliter indulgere.

2. Ordinamus ac distrincte in virtute Spiritus sancti subque sanctae obedientiae formali praecepto mandamus omnibus patribus ac fratribus, cuiuscumque gradus, dignitatis aut conditionis extiterint, qui Viennam ad

---

(1) De fr. Theodoro de Piperno cf. SSOP. II, 569.

negotia in curia augustissimi imperatoris pertractanda accesserint, ut ea priori conventus nostri ibidem vel alteri, qui eo absente praefuerit, integre fideliterque exponant nec quidquam citra eius consilium ad praedictam aulam deferant.

5 3. Incorporamus conventui nostro Viennensi conventum Retzensem inferioris Austriae cum omnibus suis pertinentiis atque oneribus, declarantes illum conventui Viennensi praedicto in posterum tanquam vicariatum annexum esse debere, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

10 4. Declaramus, quod cum vicariatus Marienheidanus conventui nostro Coloniensi apostolica auctoritate nuper incorporatus sit, idcirco patres alias vocales in eo degentes Coloniam toties quoties ad quemcumque electionis actum advocandi sunt, non obstante distantia nobis insinuata, quae licet nonnihil incommoda sit, non omnino tamen iter unius diei 15 saltem aestivi excedere iudicatur.

5. Declaramus ac decernimus expellendum esse ab ordine nostro Christophorum Neher pseudoconversum, ut qui anno probationis ob mores suos depravatos semel iam habitu exutus, alibi eundem sibi ipsi privata sua auctoritate rursum assumens subdole irrepsit ac professionem 20 ipso iure nullam emisit.

6. Consentimus omnique industria ac diligentia procurari cupimus, ut ex tribus monasteriis monialium ordinis nostri, iam olim furente haeresi desertis atque in inferiori Palatinatu sitis videlicet Liebenau, Hocheim et s. Lamberti, si aliquando recuperabuntur, unum de arbitrio admodum 25 rev. p. prioris provincialis seligendum incorporetur Moguntino conventui fratrum cum omnibus suis bonis mobilibus et immobilibus, ut ex his commode utrumque studium tam theologiae quam philosophiae in dicto Moguntino conventu valeat sustentari.

7. Acceptamus noviter inchoatam residentiam fratrum nostrorum in 30 civitate Monasteriensi Westphaliae, eiusdemque tutelam, promotionem et incrementum admodum rev. p. provinciali moderno eiusque futuris successoribus, quantum possumus, enixe ac serio commendamus.

8. Concedimus ad communem provinciae petitionem, ut proximum eius capitulum provinciale electionis, quod alias in autumno praesentis 35 anni celebrandum imminebat, differatur in annum proxime secuturum usque ad dominicam « Deus qui fidelium mentes », quatenus sic demum redeatur ad consuetum commodumque tempus, quo olim in hac provincia eiusmodi capitula solebant ac debebant celebrari. Interim vero iuxta eandem provinciae petitionem, cui lubentes annuimus, pergat ad- 40 modum rev. p. provincialis modernus in suo laudatissimo regimine ac praesit provinciae tanquam provincialis usque ad terminum praedictum

prorogatus, donec videlicet alius provincialis in provincia die statuto fuerit electus.

9. Approbamus ac omnino executioni mandari volumus quaecumque in nupero capitulo provinciali Aijstadiano contra profugos et scandalosos ac praesertim contra p. fr. Ioannem Eschium, p. fr. Thomam Huefnagel et fr. Vibertum Rosembach in poenam transfugii aliorumque delictorum statuta fuerunt, nec possit quisquam reverendissimo ordinis magistro inferior super iisdem poenis dispensare aut quidquam earum condonare.

10. Promovemus ad gradum magisterii rev. p. fr. Albertum Rotempuecher praesentatum, priorem Bulsanensem.

11. Item hortamur rr. pp. praesentatos fr. Iacobum Vianden baccalaureum ordinarium ac fr. Rodulphum Roclen magistrum studentium in generali nostro studio Coloniensi, ut in inclita facultate theologica universitatis Coloniensis gradum doctoratus, quamprimum potuerint, assumant, quem ubi re ipsa assecuti fuerint, ex nunc pro tunc instituimus eosdem sacrae theologiae magistros in ordine nostro cum omnibus gratiis etc., ita tamen ut ante assecutionem praedictae laureae doctoralis nihil ipsis haec nostra promotio ac institutio suffragetur.

12. Promovemus ad gradum praesentaturae sive baccalaureatus in sacra theologia rr. pp. fr. Ludovicum Bewel lectorem, fr. Ioannem Iacobum Gabellium procuratorem provinciae, fr. Christianum Izstein priorem Bambergensem, fr. Dominicum Hohenhauser magistrum studii in conventu Bulsanensi, fr. Reinerum Pistorium baccalaureum ordinarium generalis studii nostri Viennensis. Quibus addimus rr. pp. fr. Ioannem Fransens (1), magistrum studii ibidem, adhortantes ipsum uti et rev. p. baccalaureum Pistorium praenominatum, quatenus reliquos altiores gradus in celebri Viennensi universitate pro decore ordinis assequi conentur.

13. Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Gregorium Eggle, fr. Antonium Walsleb, fr. Reginaldum Bader, fr. Ioannem Longwich, fr. Ioannem Bauswein, fr. Arnoldum Gillium, fr. Nicolaum Munsterum, fr. Andream Hoffmann, fr. Georgium Feurer, fr. Vincentium Sengler, fr. Michaelem Gumpertz.

14. Concedimus quoque p. fr. Reinero Duster lectori, p. fr. Antonino Cloes lectori, p. fr. Wilhelmo Puil, p. fr. Vincentio Winzler, p. fr. Gasparo a Collen et p. fr. Constantino Eicken, ut paulatim gradus in facultate theologica inclitae universitatis Coloniensis petere ac suscipere possint, salvis per omnia iuribus ordinis.

15. Denique committimus admodum rev. p. provinciali, ut tres pa-

---

(1) De fr. Ioanne Fransens cf. BRUNNER l. c. pag. 6, 35.

tres suae provinciae graves ac idoneos deputet, qui generalem instituant revisionem et examen omnium litterarum patentium concessarum magistris, praesentatis ac praedicatoribus generalibus illius provinciae, et sicubi deprehenderint aut resciverint, ullum obreptionis subreptionisve vitium, propter falsa narrata conditiones minime impletas aut impetrationem per favores saecularium etc., fideliter eidem p. provinciali denuntient, ut huiusmodi patentes seu promotiones irritae ac nullae per ipsum declarentur.

Pro provincia Poloniae.

1. Ad petitionem provinciae ordinamus, ut praeter quatuor principales moderatores generales studii nostri Cracoviensis, videlicet regentem, priorem, baccalaureum et magistrum studentium in omni ad quoscumque gradus examine, magistri etiam in theologia qui adsunt, ad scholam invitentur, examinent et votum decisivum tam quoad approbationem in moribus quam studiis habeant, non autem lectores.

2. Ad petitionem eiusdem provinciae confirmamus concordiam ab admodum rev. p. magistro fr. Damiano a Fonseca, commissario apostolico, inter conventum Cracoviensem ex una et filios aliorum conventuum ex altera parte factam eamque inviolabiliter observari mandamus tam quoad alternativam officialium quam etiam quoad graduandos. Et quoniam conventus Cracoviensis numerum graduatorum a praedicta concordia praefixum excessit tam in gradu magisterii quam baccalaureatus, mandamus, ne in posterum iure petitionis gaudeat, nisi pro loco actu vacante et quousque ad praefixum numerum sors filiorum eius redacta non fuerit, salvis tamen iis, qui in praesenti capitulo et per reverendissimum sunt acceptati et promoti.

3. Concedimus eidem provinciae, ut deinceps provinciales illius durent per triennium, facto tamen capitulo intermedio et scrutinio provincialis.

4. Quoniam ex hac nostra provincia Poloniae nonnulli fratrum in provincia Bohemiae in promovenda religione et fide catholica cum vitae discrimine multos sustulerunt labores, qui etiam ab admodum rev. p. provinciali Bohemiae suorum laborum testimonium habent, dignum est, ut post reditum in suam provinciam digno et promerito gaudeant praemio. Ideo declaramus rev. p. fr. Franciscum Chrobacki, qui pro illa provincia Bohemiae fuit institutus et promotus in baccalaureum sacrae theologiae et praedicatorem generalem, in provincia sua debere recipi pro generali praedicatore cum voce, quem, in quantum opus est, etiam nunc instituimus et declaramus. Similiter rev. p. fr. Dominicum Kocki, modernum priorem Hunnobrodensem, praedicatorem generalem, quem etiam post reditum in provinciam eadem praedicatura generali cum voce gau-

dere volumus. Acceptamus itidem lectoratum rev. p. fr. Servatii Plonicii, qui in eadem provincia Bohemiae per multos annos laboravit et, ut in hac nostra provincia titulo baccalaureatus gaudere possit, concedimus.

5. Damus in regentem generalis studii nostri Cracoviensis, postquam modernus finiverit, admodum rev. p. fr. Augustinum Liptinski magistrum conventus Praemisliensis, in baccalaureum rev. p. fr. Ludovicum Agnellium sacrae theologiae baccalaureum, in magistrum studentium rev. p. fr. Ioannem Vaxman, sine praeiudicio antiquiorum et pro tempore sibi a patre provinciali assignato.

6. Quandoquidem provincia petiit declarari de interstitiis officii prioratus, declaramus, in hoc servandas esse constitutiones, ut scilicet nullus possit eligi in priorem conventus, ubi antea fuit prior, nisi post quadriennium.

7. Promovemus ad magisterium pro rata conventus Cracoviensis rr. pp. fr. Arnolphum Presinium, fr. Matthaeum Borovicium, fr. Dominicum Krasuski, concionatorem regium, sacrae theologiae baccalaureos.

8. Pro rata aliorum conventuum provinciae rr. pp. fr. Lucam Plesoviensem, provincialem huius nostrae provinciae, fr. Bernardum Skepski, fr. Martinum Ostrovicium, modernum studii nostri Cracoviensis baccalaureum, fr. Paulum Ruszel de conventu Sublinensi, fr. Thaddaeum Sklevicz de conventu Posnaniensi, fr. Fabianum Myslinski de conventu Vilnensi, si et in quantum cum provincia Poloniae stare voluerit.

9. Ad gradum baccalaureatus de conventu Cracoviensi rr. pp. fr. Carolum Kuropatua, fr. Ambrosium Borovicium, fr. Franciscum Celesta, fr. Marianum Columbinum, alias in capitulo Petricoviensi petitos, fr. Augustinum Cieciszovski, sacrae theologiae lectores.

10. Ex aliis provinciae conventibus rr. pp. lectores fr. Hyacinthum Wlofinovski, fr. Ignatium Legeza, fr. Valentinum Kijnski, alias in capitulo Petricoviensi petitos, fr. Stanislaum Monscinski, fr. Albertum Bartoohovski, fr. Valerianum Sviderski, fr. Stephanum Przybylo, fr. Gabrielem Franco de conventu Luceoriensi.

11. Acceptamus magisteria admodum rr. pp. fr. Gregorii Otonovii prioris Cracoviensis, fr. Hyacinthi Myakovski cum gratia sibi a provincia concessa et a reverendissimo patre vicario generali approbata, fr. Hieronymi Makovski et fr. Constantini Morski.

12. Acceptamus baccalaureatum rev. p. fr. Fabiani Bielavski, rev. p. fr. Modesti Pierzale, postquam examen in conventu Cracoviensi subierit.

13. Confirmamus titulum baccalaureatus rev. p. fr. Stanislao Burzinio sacrae theologiae lectori a provincia et commissario apostolico sibi concessum.

14. Quandoquidem iam a provincia natio Lithuanica abscessit et in suam erecta est congregationem, ne praedicta provincia successu temporis in alias vadat scissuras ac minutias, unitatem ipsius sedulo ac strictissime confirmandam esse duximus, prout praesentibus confirmamus, prohibentes omnibus et singulis dictae provinciae patribus ac fratribus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae, necnon sub formali praecepto ac poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda aliisque poenis in concordia per praesens capitulum confirmata descriptis, ne ullus quovis colore et praetextu divisionem huius provinciae attentet aliamque congregationem vel conventum unius nationis ab altera separationem moliatur et procuret, sed in vinculo charitatis ac mutuae dilectionis permanentes, Deo qui charitas est, devote servire studeant.

Pro provincia Graeciae.

1. Concedimus huic provinciae, ut in posterum priores provinciales sint triennales, priores vero conventuales biennales.

2. Concedimus, ut pater socius provincialis eiusdem provinciae, modernus prior Modonensis, sicut gaudet titulo et loco, gaudeat quoque voce, et hoc ob maximam carentiam vocalium.

3. Concedimus admodum rev. p. provinciali pro tempore ad amplificandam et propagandam religionem fidemque catholicam in his regionibus diversorum rituum, ut possit acceptare quaecumque loca, quamvis alere non possint duodecim fratres, dum supplicetur sanctissimus pro brevi.

4. Concedimus, ut in ecclesia s. Nicolai de Cydonia fiat officium de eodem sancto cum octava solemni, cum sit patronus eiusdem ecclesiae.

5. Concedimus, ut in ecclesia s. Petri de Candia fiat officium ss. apostolorum Petri et Pauli cum octava solemni, cum sint patroni eiusdem ecclesiae.

6. Concedimus, ut praedicatores generales tam approbati quam approbandi gaudeant voce, etiamsi non inserviant conventibus, pro quibus fuerunt vel erunt instituti.

7. Ordinamus, ut nulli patri aut fratri unquam concedatur licentia transferendi suas affiliationes ab hac ad alias provincias, et hoc ob paucitatem fratrum; si vero aliquis hanc rem attentaverit et obtinuerit, sit privatus voce activa et passiva.

8. Promovemus ad gradum magisterii pro provinciae utriusque Lombardiae, salvis eiusdem provinciae iuribus, rev. p. fr. Ioannem Paulum Scarpam de Venetiis, huius capituli diffinitorem.

9. Promovemus ad gradum baccalaureatus rr. pp. fr. Boninum Grigis de Candia et fr. Ioannem Mariam Rabacchi de Candia.

10. Instituimus praedicatores generales cum voce rr. pp. fr. Raymundum Quirinum de Candia, praesentis capituli diffinitorem, pro conventu Candiensi, fr. Thomam Molinum de Cydonia pro conventu Cydoniensi, fr. Bernardinum Cornelium de Candia pro conventu s. Georgii de Pediada, fr. Marcum Salomonium pro conventu s. Mariae Magdalenae de Retthimo, et fr. Vincentium Mudacium de Cydonia pro conventu s. Heliae in insula Zacynthina.

Pro provincia Aragoniae.

1. Ordinamus, ut in proximo futuro capitulo provinciali possit eligi in priorem provincialem unus ex fratribus ex regno Valentino vel ex insulis Maioricarum et pro alio quadriennio ex regno Aragoniae et sic deinceps durante bello; idque non obstante iure alternativae, quo in eadem provincia gaudent fratres principatus Cataloniae, super quo dispensamus auctoritate apostolica pro tempore tantum, quo bella durabunt. Eademque auctoritate assignamus praefatum capitulum in conventu nostro praedicatorum Valentino, et quod possit celebrari a solis vocalibus regni Aragoniae et regni Valentini et insularum Maioricae et Ebusii, non vocatis nec expectatis aliis ex principatu Cataloniae, inter quos non intelligimus comprehendi vocales conventuum sancti Francisci Dertusae et praedicatorum Tarraconae et collegii sanctorum Dominici et Georgii Dertusae, et si qui alii magistri et praedicatores generales ex eodem principatu inventi fuerint in dictis regnis Aragoniae, Valentiae et praefatarum insularum.

2. Ut evitentur expensae, ordinamus et strictissime observari mandamus id, quod in multis generalibus capitulis ordinatum est et apostolica auctoritate sancitum, ut priores, qui de facto non alunt duodecim fratres in suo conventu, careant voce activa in electione prioris provincialis, similiterque eadem voce careant praedicatores generales non residentes in conventibus, pro quibus fuerunt instituti, quacumque dispensatione et quavis alia causa, etiam ratione officii supprioratus, magisterii novitiorum et alterius non obstante; nec eligantur socii pro prioribus euntibus ad capitulum provinciale in iis conventibus, in quibus non est de facto duodenarius numerus fratrum.

3. Ordinamus, ut magistri, qui in posterum creabuntur, non gaudeant voce activa in electione prioris provincialis, quoadusque fuerint a provincia acceptati.

4. Ordinamus pro insulis Maioricarum, ut deinceps rev. admodum p. provincialis pro tempore per seipsum personaliter in principio sui quadriennii teneatur visitare conventus praefatarum insularum vel saltem una vice in toto suo quadriennio, nec mittere possit vel mittat visitatorem seu vicarium provincialem fratrem extraneum, et qui non sit filius

alicuius ex praefatis conventibus; sed quando graviora fuerint negotia, teneatur per se ipsum personaliter et realiter illos visitare; in aliis autem negotiis et causis, quae non fuerint tanti momenti, mittat commissionem alicui ex reverendis pp. magistris vel aliis gravioribus dictorum conventuum, prout rev. admodum paternitati suae videbitur expedire, praefigendo illis terminum certum; quo finito ipso facto expiret eorum commissio et iurisdictio, nec possit ultra bimestre prolongari.

5. Erigimus in conventum domum s. Petri Martyris civitatis de Borja, domum s. Raymundi de Teruel et domum s. Pauli et Thomae Aquinatis civitatis Segobricensis.

6. Acceptamus conventum nostrum loci de Burbaguena, et concedimus domino doctori Antonio Navarro de Urdina et eius uxori Petronillae de Araijs, qui pro eius fundatione dederunt plusquam septingenta scuta aurea annui census, ut gaudeant gratiis et privilegiis fundatorum.

7. Concedimus monialibus conventus nostri s. Agnetis Caesaraugustae et s. Catharinae Senensis civitatis Valentiae, ut die trigesima aprilis possint celebrare festum s. Dismae, alias boni latronis, et de eo sicut de uno martyre officium recitare sub toto duplici.

8. Concedimus, ut in conventu nostro de Gotor possit reeligi in priorem pro alio triennio fr. Petrus Nicolaz Gomez praesentatus, et etiam ut in nostro conventu b. Mariae Virginis de Rosario de Almenara possit reeligi in priorem fr. Ludovicus Bertrandus Planelles, et in conventu s. Vincentii Ferrerii de Manacor possit reeligi in priorem fr. Antonius Cladera praesentatus, et in conventu nostro monialium s. Fidei Caesaraugustae possit reeligi in priorissam soror Scholastica Xavar.

9. Acceptamus affiliationem fr. Gabrielis Grau praesentati a conventu nostro s. Matthaei ad conventum nostrum Corporis Christi de Luchente, non obstantibus quibuscumque querelis, quae iam terminatae fuerunt in capitulo provinciali Valentiae 1631 in conventu praedicatorum celebrato, circa quod perpetuum imponimus silentium, fr. Antonii Roig et fr. Guillelmi Llull a conventu nostro s. Vincentii Ferrerii de Manacor ad conventum nostrum s. Dominici civitatis Maioricarum.

10. Concedimus fr. Hyacintho Bergos laico, ut possit affiliari a conventu nostro s. Luciae de Alcanniz ad conventum nostrum praedicatorum Caesaraugustae, accedente tantum consensu duarum partium filiorum praefati conventus Caesaraugustani, non reclamante suo originali conventu.

11. Promovemus ad magisterii gradum pro regno Aragoniae rr. pp. praesentatos fr. Paulum Pedro priorem conventus nostri praedicatorum Caesaraugustae et praesentis capituli diffinitorem, fr. Bernardum Romeo,

fr. Raymundum Marcavan, fr. Augustinum Balaguer rectorem collegii Dertusensis, fr. Reginaldum Sanxo et fr. Petrum Spinel.

12. Pro regno Valentino rr. pp. praesentatos fr. Matthaeum Bava, qui gloriose in hoc nostro capitulo pro nostra provincia Aragoniae conclusiones defendit, fr. Bartholomaeum Buysor, fr. Vincentium Saborit, fr. Gregorium Sepulchre priorem conventus nostri s. Mariae de Pilar, fr. Petrum Martyrem Guerri et fr. Ludovicum Alberola.

13. Pro insulis Maioricarum rr. pp. praesentatos fr. Sebastianum Segui priorem conventus nostri s. Dominici Maioricarum, fr. Antonium Rubi et fr. Dominicum Bertran.

14. Item promovemus ad praesentaturae gradum pro regno Aragoniae pp. lectores ff. Raymundum Tremino, Bernardum Moyo, Petrum Nicolaz Gomes priorem conventus nostri de Gotor, Hieronymum Xavierre, Ioannem Gregorium Omella, Franciscum Aviego, Ioannem Franciscum Espannol; et titulo praedicationis pp. ff. Blasium Martinez cum retentione praedicaturae generalis, non reclamante tamen provincia de talibus retentionibus.

15. Pro regno Valentino pp. lectores ff. Iosephum Palomares, Apollinarium Ortin, Vincentium Benet, Thomam Martì, Petrum Iacobum Sans priorem conventus nostri s. Honufrii.

16. Pro conventibus Cataloniae regi Hispaniarum subiectis rr. pp. lectores ff. Hyacinthum Valent et titulo praedicationis Ioannem Baptistam Oltra priorem conventus nostri Setabensis cum retentione praedicaturae generalis, non reclamante provincia de eius retentione.

17. Pro insula Maioricarum et Ebusii pp. lectores ff. Thomam Pons, Bartholomaeum Segui, et titulo praedicationis Bernardinum Scandell priorem conventus nostri s. Vincentii Ebusii et Antonium Cladera priorem conventus nostri s. Vincentii de Manacor.

18. Instituimus praedicatores generales rr. pp. ff. Thomam Martinez pro conventu de Alfaxarin, Petrum Calbete pro conventu de Caspe, Hyacinthum Solan priorem conventus nostri de Alcanniz pro eodem conventu, Hyacinthum Novales pro conventu de Iaca, Thomam Tables (1) pro conventu de Borja, Thomam Aguaijo priorem conventus nostri de Teruel pro eodem conventu, Ioannem Dominicum Navarro pro conventu de Graus, Hieronymum Beluer pro conventu de Algemesi, Franciscum Tello pro conventu de Alicante, Michaelem Gonzales pro conventu s. Mariae de Rosario de Pollenca, Nicolaum Figueres (2) pro conventu Segobricensi; et pro primo loco vacante pro conventu praedicatorum Caesaraugustae

(1) De fr. Thoma Tables cf. SSOP. II, 542.
(2) De fr. Nicolao Figueres cf. l. c. pag. 563.

Petrum Iulis, et pro primo loco vacante pro conventu Hoscae Laurentium Armella, et pro primo loco vacante pro conventu praedicatorum Valentiae Thomam Banon.

19. Acceptamus omnes gradus magisterii et praesentaturae concessos ab eminentissimo domino protectore ordinis nostri et ab eminentissimis comprotectoribus et a reverendissimo p. fr. Nicolao Rodulfio, olim generali magistro ordinis, et a reverendissimo p. magistro fr. Dominico Gravina, deputato ad regimen ordinis, et a reverendissimo p. magistro fr. Vincentio Candido, vicario generali ordinis, et tandem ab hoc generalissimo capitulo, quos omnes et singulos acceptamus cum loco, voce et omnibus gratiis et privilegiis, quibus in praefata provincia et toto ordine gaudent similes graduati, si tamen constet authentice de litteris patentibus eorumdem, et fuerint provinciae ostensae et praesentatae et non aliter.

20. Damus in regentem conventus nostri praedicatorum Caesaraugustae rev. admodum p. fr. Laurentium Cayrosa magistrum, expleto officio socii rev. admodum p. provincialis, in lectorem theologiae primarium fr. Raymundum Tremino praesentatum, in lectorem secundarium fr. Georgium Verdu, in magistrum studentium fr. Ioannem Pastor et in lectorem artium fr. Vincentium Navarro.

21. In collegio nostro s. Vincentii Ferrerii Caesaraugustae damus in regentem rev. admodum p. fr. Ioannem Ildefonsum Baptistam magistrum et rectorem eiusdem collegii, cui in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto mandamus, ut quamprimum typis mandet commentaria, quae edidit in totam primam secundae angelici praeceptoris nostri d. Thomae Aquinatis. In lectorem theologiae primarium fr. Bernardum Moyo praesentatum, in lectorem secundarium fr. Franciscum Aviego praesentatum.

22. In conventu nostro praedicatorum Valentiae damus in regentem rev. admodum p. fr. Hieronymum Cucalon magistrum, in lectorem theologiae primarium fr. Apollinarium Ortin praesentatum, in lectorem secundarium fr. Marcellum Marona, in lectorem textus s. Thomae fr. Ludovicum Irat, in magistrum studentium fr. Franciscum Gavalda (1), in lectorem artium fr. Hermenegildum Serda.

23. In conventu s. Dominici Maioricarum damus in regentem rev. admodum p. fr. Benedictum Ferrer magistrum, in lectorem theologiae primarium fr. Melchiorem Català praesentatum, in lectorem secundarium fr. Bartholomaeum Segui praesentatum, in lectorem textus s. Thomae fr. Ioannem Campins. In aliis autem studiis provinciae providebit de lectoribus rev. admodum p. provincialis.

---

(1) De fr. Francisco Gavalda cf. l. c. pag. 536.

Pro principatu Cataloniae.

1. Ordinamus, quod in conventibus, in quibus viget studium generale aut ubi resident episcopi, non eligantur in priores nisi viri graves, sicut fuit ordinatum Romae anno 1571.

2. Concedimus conventui sanctae Catharinae martyris Barcinonensis, quod, cum in illo tanquam in felici deposito servetur corpus s. patris Raymundi de Pennafort, possit recitare officium de ipso in singulis feriis secundis non impeditis ad modum quo in quarta feria de angelico doctore s. Thoma Aquinate, et quod die 22. ianuarii possit recitare officium Desponsationis beatae Mariae Virginis secundum consuetudinem aliquarum ecclesiarum, et transferre festum sancti Vincentii Martyris ad primam diem non impeditam, sicut etiam 17. septembris festum sanctissimi Nominis Mariae, utendo in utrisque festivitatibus officio Nativitatis beatae Virginis.

3. Concedimus omnibus conventibus dicti principatus, ut possint recitare officium de sancto Magino, heremita et martyre, sub toto duplici die 19. augusti.

4. Concedimus monasterio monialium Montis Sion Barcinonensi, ut possit transferre festum s. Catharinae Senensis ad diem 3. maii, ut facit breviarium Romanum, eo quod dominica 2. maii celebratur in dicto monasterio festivitas sanctissimi Rosarii.

5. Concedimus conventui praedicatorum Perpiniani, ut possit celebrare festum Decollationis sancti Ioannis Baptistae sub toto duplici cum octava solemni, eo quod in tali conventu reservatur brachium sancti Ioannis Baptistae.

6. Concedimus monasterio monialium s. Catharinae Senensis Perpiniani, ut possit celebrare festum s. Catharinae Senensis patronae cum octava solemni, et quod de ipsa possit celebrare dominica sequenti post eius diem, si in dominica non inciderit.

7. Transferimus a conventu Tarraconensi, cum sit destructus, ad conventum Barcinonensem rev. p. fr. Iacobum Fort, et a conventu Dertusensi propter eandem rationem ad eundem conventum Barcinonensem rev. p. fr. Hieronymum Sola praesentatum, et a dicto conventu Tarraconensi ad conventum Vicensem rev. p. fr. Petrum Martyrem Palleya et rev. p. fr. Hyacinthum Puigiech a conventu Podiceritanensi ad conventum Vicensem.

8. Acceptamus praesentaturam titulo praedicationis cum retentione praedicaturae generalis a reverendissimo p. magistro fr. Dominico Gravina bonae memoriae concessam rev. admodum fr. Magino de Olivella, et praedicaturam generalem rev. p. praesentati fr. Hieronymi Sola.

9. Promovemus ad gradum magisterii rev. p. fr. Dominicum Lliberos

praesentatum pro loco vacante rev. patris magistri fr. Francisci Palau defuncti, rev. p. fr. Iacobum Thio praesentatum pro loco vacante rev. p. fr. Thomae Roger defuncti, rev. p. fr. Iosephum Arnet pro loco vacante rev. p. fr. Hyacinthi Saiz (1) magistri defuncti, et rev. p. fr. Michaelem Croses in locum rev. p. fr. Antonini Llobora.

10. Promovemus ad praesentaturam rr. pp. fr. Vincentium Merla pro loco vacante fr. Thomae Olivo defuncti, fr. Antoninum Cot pro loco vacante fr. Thomae Noguera defuncti, fr. Raphaelem Bertran pro loco vacante fr. Bernardi Deu defuncti, fr. Vincentium Ferrer pro loco vacante fr. Dalmatii Ferrer defuncti, fr. Paulum Vidal pro loco vacante fr. Raymundi Ribes defuncti, fr. Paulum Pomes pro loco vacante fr. Thomae Vilar (2) ad magisterium assumpti, fr. Raphaelem Duran pro loco vacante fr. Vincentii Margarit ad episcopatum assumpti, fr. Pium Pla pro loco vacante fr. Iacobi Thio ad magisterium assumpti, fr. Dominicum Vilalta pro loco vacante fr. Iosephi Arnet ad magisterium assumpti, et fr. Ignatium Torrent pro loco vacante fr. Dominici Lliberos ad magisterium assumpti.

11. Promovemus ad praesentaturam pro pulpito rr. pp. praedicatores generales fr. Ioannem Sempons et fr. Iacobum Fort.

12. Promovemus ad praedicaturas generales rr. pp. fr. Iosephum Ferrer pro conventu s. Catharinae Martyris per obitum rev. patris praesentati fr. Thomae Planes; pro conventu Illerdensi fr. Ioannem Baptistam Companijs per obitum rev. p. fr. Sebastiani Rorg; pro conventu Sedis Urgellensis fr. Mauritium Oller per obitum rev. p. fr. Petri Martyris Balaguer; pro conventu Balagarii fr. Hyacinthum Andreu per obitum rev. p. fr. Petri Martyris Bonioch; pro conventu de Peralada fr. Ludovicum Alosi per obitum rev. p. fr. Antonii Soler; pro conventu s. Magini fr. Antonium Rocell per obitum rev. p. fr. Laurentii Morera (3) et pro conventu de Ciudadilla p. fr. Petrum Balle per obitum rev. p. fr. Francisci Cantallops.

13. Instituimus in priorem conventus Coquiliberi rev. p. fr. Dominicum Borruli, cum dictus prioratus ab uno anno vacet.

Pro provincia Bohemiae.

1. Mandamus omnibus rr. admodum pp. provincialibus seu vicariis congregationum, ut filiis provinciae Bohemiae quacumque de causa in suis provinciis seu congregationibus commorantibus, studiorum causa dumtaxat excepta, spatio unius mensis a notificatione actorum capituli generalissimi ad suam provinciam redire praecipiant.

---

(1) De fr. Hyacintho Saiz cf. SSOP. II, 453.
(2) De fr. Thoma Vilar cf. l. c. pag. 555.
(3) De fr. Laurentio Morera cf. l. c. pag. 476.

2. Prohibemus ad hanc Bohemiae provinciam mitti vel in ea recipi fugitivos aut alibi poenitentiatos.

3. Prohibemus, ut nulla in hac provincia recipiatur ad habitum monialium sine dote aut certa haereditate, quam stabiliendam volumus.

4. Prohibemus, ne ullus frater particularis parochum agat praeter priores conventuum, qui de licentia rev. admodum patris provincialis parochias recipere possunt, dummodo eas administrare commode valeant et sine damno animarum pernoctare in conventu fructusque ex illis provenientes in usum conventus convertant.

5. Prohibemus in posterum recipi ad habitum clericalem homines servilis conditionis praesertim eos, qui sub mancipatu conventuum ordinis nostri fuerunt.

6. Mandamus etiam admodum rev. p. provinciali, ut decretum a sacra Caesarea maiestate obtineat, ne qualescumque domini apud se nostros religiosos detineant sub quocumque praetextu sine licentia superiorum ordinis. Committimus translationem historiae sanctorum ordinis nostri in linguam Bohemicam p. fr. Raphaeli Laminetz (1).

7. Confirmamus remissionem ad provincias ipsorum ob urgentissimas causas p. fr. Servatii Slonicii, p. fr. Ambrosii Santini, p. fr. Vincentii Gasteiger, p. fr. Sventoslai Laskavski et p. fr. Stephani Domaskovski, prohibentes, ne unquam ad provinciam Bohemiae redire audeant.

8. Expellimus ex provincia Bohemiae p. fr. Iacobum Salomonium, eo quod post diversorum tribunalium sententias in malo induratus per continuum triennium nullam dederit spem emendationis, inhibemusque, ne aliquando ad hanc provinciam redire praesumat.

9. Inhabilitamus ad omnia officia et gradus ordinis p. fr. Augustinum Steinfur et fr. Benedictum Alanum atque voce activa et passiva eos privamus per viginti annos propter sigillum rev. admodum p. provincialis, quod falsificare praesumpserunt.

10. Promovemus ad magisterii gradum rr. pp. fr. Dominicum Georgium titulo praedicationis, fr. Thomam Consoli et fr. Basilium Pica (2), cui mandamus, ut in eadem provincia per biennium legat.

11. Recipimus rev. admodum p. provincialem Bohemiae, fr. Dominicum Laurum, in praedicatorem generalem cum voce pro provincia sua nativa Romana.

12. Promovemus ad praedicaturam generalem rr. pp. fr. Dominicum Georgium, Petrum Rossellium pro conventu Olomucensi, Antonium Mis-

---

(1) De fr. Raphaele Laminetz cf. SSOP. II, 622.

(2) De fr. Basilio Pica cf. l. c. pag. 608.

siron pro conventu Iglaviensi, Martinum Valaski pro conventu Pisecensi, Vincentium Ferrerium pro conventu Brunensi, Antoninum Zaluska pro conventu s. Aegidii Pragae, hac tamen conditione ut ibidem per biennium commoretur.

13. Confirmamus affiliationem patris fr. Martini Valaski pro conventu Pisecensi et concedimus, ut sit administrator perpetuus seu procurator bonorum, quae acquisivit vel in posterum acquiret, ea tamen conditione ut rationem reddere rev. admodum p. provinciali vel aliis pro tempore superioribus annue teneatur.

14. Affiliamus conventui s. Aegidii Pragae p. fr. Antoninum Zaluskam ex provincia Poloniae, item p. fr. Iosephum Marianum provinciae Russiae pro conventu s. Michaelis Brunae.

15. Liberam concedimus et restituimus provinciae Bohemiae tam priorum provincialium quam priorum conventualium electionem pro temporibus futuris, servatis servandis iuxta praescriptum nostrarum constitutionum et non aliter.

Pro provincia Provinciae.

1. Concedimus huic provinciae, ut, quia insignitur titulo angelorum ac sigillo, celebrare possit festum s. Michaelis cum octava solemni, et quod in conventu Tarrasconis festum s. Marthae etiam cum octava solemni celebretur eodem die, quo ab ecclesia matrice, in qua sanctissimae eius reliquiae asservantur.

2. Cassamus omnes assignationes hactenus factas in hac provincia cum clausula, quod sic assignati non possint removeri ab alio quam a reverendissimo patre generali, easque reducimus ad terminos nostrarum constitutionum.

3. Confirmamus et ratas habemus omnes affiliationum translationes hucusque factas in hac provincia sive ex conventibus congregationis s. Ludovici sive ex conventibus eiusdem provinciae aut aliarum et silentium reclamantibus in contrarium imponimus, supplentes quemcumque defectum, si quis contigerit, pro pace eiusdem provinciae.

4. Approbamus et inviolabiliter observari volumus ordinationes contentas in actis capituli provincialis Arelatensis calendis maii 1637 auctoritate reverendissimi p. generalis correctis et confirmatis circa pacificam possessionem tam magistrorum et baccalaureorum quam praedicatorum generalium antea institutorum et de non promovendis ab eo tempore sive ad baccalaureatum sive ad magisterium aliquibus, nisi actu vacaverint loca, numeri scilicet duodenarii magistrorum et totidem baccalaureorum praefixi et determinati huic provinciae per praecedens capitulum generale Romae 1629 celebratum, ac nisi peractis rigorose lecturis in studio generali caeterisque requisitis ex tenore nostrarum constitutionum,

deque non promovendis de novo praedicatoribus generalibus supra numerum conventuum eiusdem provinciae et nisi obtineant conditiones secundum ordinationem dicti capituli generalis Romae necnon in omnibus supradictis, salvis semper provinciae iuribus.

5. Acceptamus et approbamus magisteria rr. pp. fr. Dionysii a sancto Laurentio, doctoris Parisiensis et huius capituli diffinitoris, fr. Iacobi Tornerij, fr. Hieronymi Alberti, fr. Hyacinthi Taon, fr. Honorati Fulconis, fr. Claudii Cortes, fr. Ioannis de Rives, fr. Francisci Turriani, fr. Nicolai Dicard, doctoris Parisiensis, fr. Petri Ambruch et fr. Hyacinthi Martelli, praesentis capituli diffinitoris; nec non acceptamus baccalaureatus rr. pp. fr. Bartholomaei Perrier, fr. Ioannis Gerard, fr. Antonii Passardi, fr. Hyacinthi Rebori, fr. Honorati Arnaud, fr. Ioannis de Candole, fr. Antonii Cravesan, fr. Michaelis de Iudicibus, fr. Vincentii Bonet, fr. Dominici Roquet, fr. Augustini Campoussin, fr. Antonii Raffi baccalaurei Parisiensis, fr. Petri Begou et fr. Francisci de Antonel, iuxta tenorem suarum litterarum patentium.

6. Promovemus ad magisterium rev. p. baccalaureum fr. Augustinum Campoussin ex tunc, utpote habentem omnia requisita ex nostris constitutionibus pro loco vacante per obitum rev. p. magistri fr. Antonii Masculi, necnon rr. pp. baccalaureos fr. Dominicum Roquet et fr. Vincentium Bonet pro locis vacantibus per obitum rr. pp. mag. fr. Hyacinthi Monier et fr. Stephani Gerard, peractis lecturis et salvis iuribus prov.

7. Promovemus ad gradus baccalaureatus rr. pp. fr. Stephanum de Thoro pro loco vacante per assumptionem ad magisterium rev. p. fr. Dominici Roquet, quem tamen ex nunc sui baccalaureatus iuribus et loco donamus, et fr. Ioannem Baptistam de Iulianis, quem supernumerarium facimus, ita ut ex nunc gaudeat, quibuscumque non obstantibus.

8. Acceptamus vicariatum fratrum et monasterium monialium fundata in civitate Fori Iuliensis ab illustrissimo et reverendissimo domino d. Bartholomaeo Camelino, eiusdem urbis episcopo et ordinis nostri singulari benefactore, sub immediata cura et auctoritate rev. adm. p. provincialis pro tempore.

9. Ordinamus, quod instrumentum publicum initum inter sorores Annam et Margaritham de Gouvernet atque Ioannam de Roux ex una parte et inter monasterium nostrum Vivariense ex altera circa dotes et fructus earumdem sub die 5. iunii 1638 penitus executioni mandetur.

10. Ordinamus, quod rev. p. fr. Hyacinthus Ioubert, cum simul potiatur gradibus baccalaureatus et praedicaturae generalis, contentus sit suo gradu baccalaureatus dumtaxat, promoventes ad praedicaturam generalem ipsius pro conventu Barciloniae ex nunc rev. p. fr. Dominicum de Thoro, servatis servandis.

11. Declaramus vicariatum Briansonii et conventus Diensem et Valentinum, quamvis iurisdictioni vicarii generalis congregationis s. Ludovici commendati existant, non tamen esse separatos a nostra provincia Provinciae.

5 12. Decernimus conventum Niciensem teneri persolvere contributiones hucusque debitas et caeteras expensas rr. admodum pp. provincialibus sicut caeteri conventus provinciae, quousque reverendissimus p. noster generalis aliter ordinaverit. Interim decernimus, ne praetextu unionis vel separationis dicti conventus Niciensis a provincia fiat aliquod 10 gravamen rev. patri baccalaureo fr. Ioanni de Iudicibus pro suo magisterio et regentia in dicta provincia, casu quo non separetur.

Pro provincia Dalmatiae.

1. Ordinamus, ut fratres huius provinciae filii ad alias provincias fugientes poenis a nostris legibus et ordinationibus eiusdem provinciae 15 stabilitis puniantur et ab admodum rr. pp. provincialibus illarum provinciarum, ad quas confugiunt, ad hanc provinciam statim remittantur.

2. Ordinamus, ut provincialis huius provinciae fratres, qui reperiuntur ex alienis provinciis, statim ad suas provincias remittat, et interim nulla voce gaudere possint.

20 3. Committimus omnibus rr. admodum pp. provincialibus, ut fratres huius provinciae in termino unius mensis remittant ad suam provinciam, illis, qui studiorum causa existunt, dumtaxat exceptis, et qui redire renuerint, ad arbitrium reverendissimi patris generalis puniantur.

4. Ordinamus, quod in capitulo electionis provincialis semper eli- 25 gatur diffinitor et socius pro capitulo generali et hoc ad evitandas expensas provinciae.

5. Concedimus huic provinciae, ut possit in ea celebrari officium b. Augustini Cassoti de Tragurio, episcopi Lucerini, sub toto duplici statuta die, qua celebratur eius festum in cathedrali ecclesia Tragurii.

30 6. Concedimus huic provinciae, ut provinciales sint triennales iuxta antiquam consuetudinem provinciae, et priores similiter deinceps sint biennales iuxta constitutionem Iulii II.

7. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. ff. Theophilum de Tragurio, Franciscum Martinovich de Brachia, Ambrosium Uragniceum de 35 Civitate Veteri, Ioseph Maria Bonaldi de Iadra, salvis tamen suae provinciae iuribus. Item ad eundem gradum promovemus rr. pp. ff. Vincentium Maria Nicolich de Brachia, diffinitorem praesentis nostri capituli generalissimi, Cornelium de Sibenico lectorem et Antoninum de Pago.

40 8. Instituimus in baccalaureos rr. pp. fr. Dominicum Soppe de Iadra lectorem et fr. Ioannem Siriscevich de Spalato.

9. Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Dominicum Hranotheum de Brachia pro conventu s. Nicolai de Corzula et fr. Nicolaum de Sibenico pro conventu Sibenicensi.

10. Confirmamus in praedicatores generales rr. pp. fr. Hieronymum Antiquarium de Pharo et fr. Evangelistam Florium, institutos a reverendissimo patre generali praeterito.

11. Assignamus pro rata huius nostrae provinciae p. fr. Hyacinthum de Catharo in studio generali Pataviensi et p. fr. Thomam de Civitate Veteri in studio s. Dominici de Neapoli.

Pro provincia Trinacriae.

1. Denuntiamus omnes ordinationes factas ab admodum rev. p. magistro fr. Vincentio Bartolo tum tempore sui vicariatus tum etiam eas, quas edidit in ultima dieta celebrata Messanae mense maii 1624, et praecipue eas, quae pro institutione collegii praedicatorum sub titulo s. Vincentii in conventu s. Zitae de Panormo sancitae sunt, fuisse a reverendissimo p. magistro fr. Nicolao Rodulfio, tunc generali, auctoritate apostolica confirmatas, easque sub eisdem poenis in casu contraventionis recipimus in praesenti capitulo.

2. Ordinamus, ut priores provinciales et conventuales sint biennales, uti erant ante celebrationem capituli generalis Romae 1629, absque tamen praeiudicio praesentis provincialis p. magistri fr. Vincentii Bartoli, quem etiam fratres in supradicta ultima dieta Messanensi confirmaverunt, et etiam absque praeiudicio praesentium priorum.

3. Ad tollendas lites, quae suboriri possent, confirmamus omnes litteras patentes paternitatis provinciae rr. pp. ff. Hyacinthi de Ianua, Iosephi Cinquemani, Lucii Bonaiuti et Marci Martiani, et quatenus opus sit, denuo instituimus una cum p. fr. Antonino Donzello et p. fr. Vincentio Celi praedicatoribus generalibus, dummodo tamen de caetero nullus alius sub titulo paternitatis instituatur.

4. Ne ex multitudine studiorum generalium multitudo graduatorum augeatur, ordinamus et stricte mandamus, ne in posterum sint nisi duo studia generalia s. Dominici de Panormo videlicet et s. Dominici de Messana. Collegium vero s. Hieronymi de Messana tanquam unus ex aliis conventibus provinciae recognoscatur, retento tamen solo titulo regentis et baccalaurei pro ipsis lectoribus, dum in eodem conventu legerint et non ultra.

5. Concedimus admodum rev. p. provinciali, ut restituere possit ad gratias ordinis p. fr. Antonium Leonardum lectorem et p. fr. Ioseph Campanella, servatis tamen alias servandis.

6. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. ff. Hieronymum de Ucria, Bonaventuram Zuccaro, Petrum Baracca, Vincentium Orlando,

Paulum Candura, Franciscum Bartolinum, nostri diffinitorii secretarium, Marium Fardella, Hyacinthum Romanum, Petrum Martyrem Lupo, Albertum Moreum de Melita, Dominicum la Rosa, Paulum Guzzardo, Franciscum Ansalone, Vincentium Genuesi, Antonium Mazzoni, Placidum Cannavo, Vincentium Perivagnes et Vincentium Ribas, dummodo tamen isti duo ultimi per duos annos theologiam in aliquo conventu legant, et interim gaudeant voce et loco.

7. Promovemus ad gradum baccalaureatus et ad titulum tantum rr. pp. ff. Stephanum Marinum, Petrum Dionysium, Hyacinthum Mancuso, Augustinum Iordanum, Paulum Franchina, Fulgentium Agulia, Thomam Ancona, Ioseph Allegria, Ludovicum de Mirto, Carolum la Valle, Aloysium Milanese, Vincentium Calcaneum, Franciscum Arces, Raymundum de Gregorio, Antoninum Graeco, Franciscum Serra, Vincentium Purpura, Ioseph Frixoni, Ioseph de Mirto, Vincentium Muta, Aegidium de Militello (1) et Thomam Chiavelli.

8. Instituimus in praedicatores generales absque voce et secundum antiquitatem professionis pp. ff. Matthaeum lo Monaco, Raymundum Bonicello, Thomam Amato, Ambrosium de Catana, Blasium de Anna, Petrum Iordanum, Ioannem Baptistam Corvaia, Ioseph Alesi, Vincentium Castellucci, Aloysium Bartolotto, Dominicum Urso, Dominicum Ferrugia, Petrum Pugliese, Ioannem Lombardo, Thomam Rocca, Vincentium Speciale, Cosmam de Melita, Hyacinthum Stabile, Dominicum de Stephano, Ioannem Baptistam Franco, Felicem Puderico, Petrum de Laurentio, Bernardum Cupri et Ioannem Baptistam Michalef, cum hac tamen conditione ut nullus gaudere possit voce, nisi legitima exercitia fecerit in collegio praedicatorum s. Vincentii conventus nostri s. Zitae de Panormo; interim vero assignamus fr. Placido Branca conventum s. Dominici Siracusarum et fr. Andreae Cincironi conventum Clusae et fr. Dominico Garello conventum s. Zitae, praedicatorem cum voce eundem declarantes.

9. Damus post expletum tempus regentiae rev. admodum p. fr. Vincentii Maffiae in regentem nostri studii generalis s. Dominici de Panormo, rev. p. fr. Ferdinandum Vulpe, quem in magistrum instituimus, et pro secundo loco p. fr. Hyacinthum Canizzaro magistrum; in studio vero generali s. Dominici de Messana post rev. admodum p. fr. Thomam Romanum magistrum damus in regentem pro primo loco p. fr. Thomam Cavallo, qui gloriose theses sustinuit in hoc generalissimo nostro capitulo, et ipsum in magistrum promovemus; pro secundo vero loco p. fr. Augustinum Mancuso magistrum; in baccalaureos ordinarios pro stu-

(1) De fr. Aegidio (Tutino) de Militello cf. SSOP. II, 657.

dio generali s. Dominici de Panormo post expletum tempus p. fr. Ioannis Mariae Bertini (1) damus pro primo loco p. fr. Paulum Arizzi, pro secundo vero loco p. fr. Ioseph la Bella. In studio vero generali s. Dominici de Messana post expletum tempus p. fr. Marii Fardella pro primo loco p. fr. Thomam Longi et p. fr. Vincentium Gazzara pro secundo loco, et interim titulo baccalaurei gaudeant sine loco.

10. Damus in magistros studentium studii generalis s. Dominici de Panormo pro primo loco p. fr. Dominicum Vargas, pro secundo loco p. fr. Vincentium Carushomo; in studio vero generali s. Dominici de Messana pro primo loco p. fr. Paulum Patavinum et pro secundo loco p. fr. Dominicum Minardo.

11. Pro iustitiae aequalitate servanda circa celebrationem capitulorum et electionem provincialium ac diffinitorum ordinamus alternativam vallium Neti, Nemorum et Mazzariae, quam ordinamus fieri sub infrascriptis legibus, videlicet quod sequens capitulum provinciale celebretur in valle Neti, cuius erunt duo diffinitores, quod sit deinceps de iure vallis, ubi capitulum celebrari contingerit; provincialis vero et alter diffinitor sit vallis Nemorum, quartus tandem Mazzariae, et sic successive iuxta supradictum ordinem vallium alternatio fiat. Quoad illos vero, qui ad capitulum generale mittuntur, primus diffinitor vel socius provincialis, si capitulum provincialium fuerit, sit illius vallis, ubi celebratur capitulum, secundus autem diffinitor sive elector sit alterius vallis, nec umquam ex eadem sumantur valle provincialis et socius eiusdem sive diffinitores, ut sic unaquaeque vallis suo proprio gaudeat voto. Quod si ii, ad quos iuxta hanc legem ire spectabit, impediti fuerint, tunc iuxta professionis antiquitatem ex valle, cuius deficit, ad diffinitores praecedentis capituli habeatur recursus; quod si adhuc desiderantur, tunc ad aliud praecedens capitulum modo quo supra retrogrediatur, et tandem si nullus adhuc superest, observentur circa id constitutiones et ordinationes capitulorum generalium.

12. Demum vero, ne fraus ex novissimis affiliationibus accidat, nullus, qui ex una ad aliam vallem transfertur, possit nisi post quatuor annos completos ad supradicta munia eligi; si vero aliter circa omnia et singula praemissa fieri contigerit, totum sit irritum nullum et inane.

13. Concedimus, ut pro alternativa vallium possit peti breve.

14. Concedimus, ut locus s. Catharinae Senensis Catanae et locus Recalbuti erigantur in conventus, dummodo duodecim fratres alere possint, et pro hac prima vice damus in priorem s. Catharinae rev. admo-

(1) De fr. Ioanne Maria Bertino cf. SSOP. II, 628.

dum p. fr. Franciscum Yepes magistrum et Recalbuti p. fr. Reginaldum de Platia.

15. Ultimo concedimus toti provinciae festum s. Vincentii Ferrerii, eiusdem provinciae patroni, celebrari cum octava solemni, et conventui Tauromenii pariter concedimus, ut de sancto Pancratio episcopo et martyre, dictae civitatis patrono, cum octava solemni festum celebret.

Pro provincia Portugalliae.

1. Acceptamus conventum s. Mauri extra muros civitatis Ulysipponensis, ab illustrissimo d. episcopo inquisitore generali Portugalliae fundatum et dotatum, ac translationem conventus de Serra de Almeirim ad ipsum.

2. Erigimus in conventum domum dominae nostrae das Alcacavas et concedimus rev. admodum p. provinciali, ut pro hac prima vice de priore provideat.

3. Ordinationem, ut nullus ex vi cessionis suae vocis censeatur electus, sed, quamvis publice voci suae renuntiet, oporteat habere duo vota ultra medietatem, extendimus ad moniales.

4. Ordinamus, ut in conventu seu collegio nostro Conimbricensi semper ad minus duo lectores resideant baccalaurei universitatis, qui, cum opus fuerit, vices cathedraticorum nostri ordinis teneantur subire, et rev. admodum p. provincialis pro tempore provideat, ut ipsis expensae pro gradu baccalaureatus obtinendo de communi aerario redituum ipsarum cathedrarum solvantur.

5. Concedimus, ut fratres et sorores de poenitentia nuncupati possint exterius indui vestibus secularibus, dummodo aliquem habeant interiorem habitum ipsis a rev. admodum p. provinciali designandum.

6. Concedimus, ut in tota provincia celebretur festum s. Antonii Ulysipponensis sub toto duplici, et festum s. Ioannis Baptistae cum octavis solemnibus.

7. Concedimus conventui s. Dominici et monasterio Paradisi civitatis Eborensis, ut possint celebrare festum s. Mauri abbatis sub toto duplici.

8. Concedimus, ut octava dies s. Ioannis Baptistae et Evangelistae sub toto duplici in monasterio s. Ioannis de Setuval et Salutationis de Montemor celebretur, et octava dies Epiphaniae sub toto duplici in monasteriis monialium Santarensi et Salvatoris.

9. Concedimus, ut in monasterio Salvatoris festum Decollationis s. Ioannis, in monasterio vero Santarensi festum s. Blasii et s. Theresiae, et in monasterio Ulisipponensi Corporis Christi festum s. Francisci Xaverii die secunda decembris et officium d. Thomae in die translationis eiusdem, et in monasterio s. Ioannis de Setuval octava dies Corporis

Christi sub toto duplici celebrentur, similiter et in conventu monialium Montemor.

10. Concedimus, ut in monasterio Annuntiatae Ulisipponensis celebretur festum Annuntiationis cum octava solemni, servatis legibus assignatis pro octava s. Thomae, quando in quadragesima celebratur.

11. Concedimus et restituimus provinciae duo loca praesentatorum titulo praedicationis, non obstante renuntiatione facta.

12. Promovemus ad magisterium cum loco et voce pro loco actu vacante rr. pp. fr. Ferdinandum de Meneses praesentatum, huius capituli diffinitorem, et fr. Antonium Machado praesentatum cum loco etiam et voce supra numerum, quousque locus vacet.

13. Promovemus item ad magisterium pro locis vacaturis, salvis provinciae iuribus, rr. pp. ff. praesentatos Ferdinandum Sueyro, Ferdinandum de Incarnatione, Thomam de Cordes, Emanuelem Ferreyra, Petrum de Magalhaens (1), Thomam Aranha (2), Augustinum de Cordes, Gundisalvum de Gama, huius capituli diffinitorem, Antonium de Lima praedicatorem regium, et Dionysium de Alencastro priorem Ulisipponensem, quem super numerum damus et, ipso semel atque iterum renuente, instituimus et facimus.

14. Promovemus ad praesentaturam rr. pp. lectores ff. Bartholomaeum Ferreya, Ioannem de Meneses, Dominicum de s. Thoma (3), Dominicum de Queyros, Antonium Vel, Alvarum Leitao et Guilelmum Dovadre.

15. Promovemus ad praesentaturam titulo praedicationis rr. pp. ff. Gundisalvum de Gama, Raymundum Ferreyra et Christophorum Pereyra, retentis praedicaturis generalibus.

16. Instituimus in praedicatores generales pp. ff. Antonium de Olivares, Didacum de Matre Dei, Ioannem Pestana, Martinum de Afonsequa, Ioannem Teixeira seniorem, Ioannem Teixeira iuniorem, Emanuelem de Rosario, Franciscum de Nivibus, Dominicum Pereyra, Antonium Taqua, Ludovicum de Rosario et Stephanum de Luce, qui omnes a rev. admodum p. provinciali per conventus distribuantur, et si qui supersint, sint supranumerarii, quousque habeant conventum, ita ut omnes gaudeant voce.

17. Approbamus praedicaturas generales pp. fr. Hyacinthi de Pavia et fr. Emanuelis Feo et, si opus est, de novo instituimus pro conventibus, pro quibus sunt instituti.

---

(1) De fr. Petro de Magalhaens cf. SSOP. II, 644.
(2) De fr. Thoma Aranha cf. l. c. pag. 541.
(3) De fr. Dominico de s. Thoma cf. l. c. pag. 654.

Pro provincia Bethicae.

1. Cum numerus recipiendorum ad habitum in conventibus provinciae statutus non sufficiat ad instituendos tres cursus artium in singulis studiis generalibus, et quam pluries tot multiplicentur lectores artium, quot huius facultatis discipuli, ordinamus, quod exceptis collegiis s. Thomae civitatis Hispalensis et s. Mariae de Rose del Almagro et conventibus s. Pauli Cordubensis, s. Pauli Hispalensis, s. Catharinae civitatis Gienensis, s. Dominici Xiricensis et s. Crucis Regalis Granatensis in nullo alio conventu sint simul tres cursus artium, sed unicus tantum. Quod ut sine gravamine eorum, qui iam ad lecturam artium promoti sunt, executioni mandetur. Nolumus deinceps fieri institutionem lectorum artium, donec iam instituti et promoti suas lecturas peregerint pro ordine suae institutionis.

2. Quia numerus lectorum, ius ad gradus habentium, in tot studiis generalibus nostrae provinciae multum excessit graduandorum numerum, auctoritate apostolica determinatum, unde plures occasionem sumunt extorquendi gradus supernumerales, et inde magna in praedicta provincia suboriuntur incommoda, nolumus, quod deinceps valeant ad gradus assequendos alii cursus aut lecturae praeterquam lectorum proprietariorum theologiae scilicet primarii et secundarii lectoris, cursus vero regentis et magistri studentium solum volumus deservire ad hoc, ut regens et magister studii praeferantur ad gradus obtinendos iis, qui totidem peractis lecturis dicta officia non exercuerint; et magisterium studentium ita sit gradus ad lectionem theologiae, quod nequeat aliquis lector theologiae institui, nisi adminus per integrum annum dicto officio functus fuerit.

3. Confirmamus facultatem de habenda congregatione intermedia loco capituli intermedii eo modo et forma, qua a reverendissimo magistro ordinis fr. Nicolao Rodulfio, auctoritate apostolica ipsi ad hoc specialiter commissa, decretum est et intimatum proxime praeterito capitulo provinciali Cordubae celebrato, curetque admodum rev. p. provincialis dictae provinciae pro tempore, ut nulla ex causa praetermittat praedictam congregationem fieri; quod quidem illi stricte praecipimus sub formali praecepto et sub poena suspensionis ab officio per sex menses ipso facto incurrenda.

4. Ordinamus, quod in quolibet capitulo provinciali sive in congregatione intermedia assignetur determinate locus ad celebrationem proximi capituli provincialis, quodque non liceat alicui mutare aut transferre alio capitulum praeterquam in casibus, de quibus disponunt constitutiones nostrae, non obstante in contrarium quocumque privilegio, ordinatione vel concessione sive a generalibus capitulis sive a praedecessoribus nostris facta, quam vel quas ex nunc pro tunc revocamus et irritamus ac pro nullis haberi volumus.

5. Et quia non fuit facta assignatio sive indictio determinata conventus pro capitulo provinciali eiusdem provinciae proxime sequenti celebrando a capitulo provinciali sive congregatione proxime praeterita, concedimus facultatem rev. admodum p. provinciali provinciae Bethicae, ut cum duodecim patribus provinciae ex magistris et prioribus possit facere praedictam assignationem sive indictionem conventus aut loci pro habendo capitulo.

6. Volumus et ordinamus, ut rev. admodum p. magister fr. Alvarus de Coçar Barba post expletum quadriennium sui provincialatus in mense octobri proximo gerat officium vicarii generalis eiusdem provinciae, ut ipsum ex nunc pro tunc instituimus, damus et creamus cum omnibus gratiis et facultatibus, quibus alii vicarii generales provinciae gaudere et potiri solent, donec in capitulo provinciae post pascha celebrando de novo provinciali fuerit provisum.

7. Ordinamus, quod in conclusionibus habendis in capitulo provinciali conventus s. Catharinae Martyris Gienensis servet ordinem sibi debitum inter studia generalia provinciae, primum videlicet post studia generalia s. Pauli Cordubensis et s. Pauli Hispalensis.

8. Concedimus facultatem conventui s. Catharinae Martyris Gienensis, ut possit celebrare festum s. Catharinae Martyris cum octava solemni. Quod idem concedimus conventui s. Pauli et Dominici Astigiensis de festo conversionis s. Pauli Apostoli et monasteriis sororum; monialibus vero s. Annae de Murcia et s. Annae de Luceria concedimus, ut possint celebrare festum s. Annae cum octava solemni.

9. Concedimus facultatem conventui s. Crucis Regalis Granatensis celebrandi festum Nativitatis beatissimae Virginis Mariae cum octava solemnissima ob insignem devotionem populi ad imaginem s. Mariae de Esperança nuncupatam et gloria miraculorum insignem.

10. Conventui monialium Spiritus s. Astigiensi concedimus, ut octavam Nativitatis s. Ioannis Baptistae possit solemnem celebrare; quod idem concedimus conventui monialium s. Florentinae Astigiensi de octava Visitationis.

11. Promovemus et promotos acceptamus ad gradum magisterii rr. pp. ff. Franciscum de Coçar praesentatum, priorem conventus s. Dominici de Malaga et huius capituli diffinitorem, pro loco vacante rev. p. fr. Chrystophori de sancta Maria magistri numeralis defuncti; Antonium de Sarabia praesentatum et priorem conventus s. Crucis Regalis Granatensis loco p. fr. Ludovici de Molina magistri numeralis defuncti; Ildefonsum Carcosa praesentatum et priorem conventus s. Dominici de Almeria loco p. fr. Augustini de Adono magistri numeralis defuncti; Hyacinthum Maldonado praesentatum loco p. fr. Thomae de Espinosa magistri

numeralis defuncti; Laurentium de Bordas praesentatum loco p. fr. Didaci de Bordas magistri numeralis defuncti; Ioannem Nunnez praesentatum loco p. fr. Ioannis de Ribas magistri numeralis defuncti; Petrum de Ballesteros praesentatum loco p. fr. Matthaei de Miranda magistri numeralis defuncti; Andream de Luna praesentatum et priorem conventus sancti Dominici de Ossuna loco p. fr. Francisci Valherse magistri numeralis defuncti; Antonium de Baena praesentatum loco p. fr. Ildefonsi de Escobar magistri numeralis defuncti.

12. Ad gradum baccalaureatus pro lectura et cathedra rr. pp. ff. Ildefonsum Yanez regentem conventus s. Catharinae Martyris Gienensis loco p. fr. Dionysii de Morales magistri, fr. Bartholomaeum Granados regentem conventus s. Pauli et Dominici Astigiensis loco p. fr. Antonii de Paton magistri, Hieronymum Bocos lectorem theologiae conventus s. Dominici Malacitani loco p. fr. Ildefonsi Carcosa nunc ad gradum magisterii promoti, Hyacinthum de Melgareso lectorem theologiae conventus s. Dominici de Guzman de s. Lucar loco p. fr. Ioannis Nunnez nunc ad gradum magisterii promoti, Franciscum de Conturos lectorem primarium conventus s. Catharinae Martyris Gienensis loco p. fr. Francisci de Narca defuncti, Ferdinandum de Barnomebo regentem conventus s. Crucis Regalis Granatensis loco p. fr. Ioannis de Navarete magistri, Antonium Pietel lectorem theologiae conventus s. Catharinae Martyris Gienensis loco p. fr. Stephani Carquel magistri, Dominicum de los Reyes magistrum studentium conventus s. Catharinae Martyris loco p. fr. Francisci de Coçar nunc ad gradum magisterii promoti, Andream de Villalobos lectorem theologiae conventus s. Crucis Regalis Granatensis loco p. fr. Antonii de Sarabia nunc ad gradum magisterii promoti, Bernardum de Sotomayor magistrum studentium conventus s. Dominici Xiricensis loco p. fr. Petri de Ballesteros nunc ad gradum magisterii promoti, Ioannem de Lea regentem conventus s. Pauli Cordubensis loco p. fr. Gaspari de Corduba praesentati defuncti, Ioannem Rayo lectorem primarium conventus s. Dominici Malacitani loco p. fr. Hyacinthi de Maldonado nunc ad gradum magisterii promoti, Franciscum de Iesus regentem conventus s. Dominici de Ossuna loco p. fr. Ioannis Ponce magistri, Melchiorem Urbano lectorem theologiae conventus s. Dominici de Ossuna loco p. fr. Andreae de Luna nunc ad gradum magisterii promoti, Didacum de Atocha regentem conventus s. Dominici Murciensis loco p. fr. Marci de Salaçar magistri, Melchiorem de Alcaçar regentem conventus s. Pauli Hispalensis loco p. fr. Laurentii de Bordas nunc ad magisterium promoti, Ioannem Bannello lectorem primarium conventus s. Crucis Regalis Granatensis, Ioannem de Baena lectorem theologiae conventus s. Pauli Hispalensis, Christophorum Serrano lectorem theolo-

giae conventus s. Pauli et Dominici Astigiensis, Hyacinthum Bermudez lectorem theologiae conventus s. Dominici de la Laguna, Sylvestrum de Valenovela lectorem theologiae conventus s. Dominici Xiricensis, pro locis usque modo non occupatis, extensionis numeri praesentatorum usque ad numerum quadragenarium, quae a reverendissimo p. n. generali magistro fr. Nicolao Rodulfio auctoritate apostolica in capitulo generali Romae 1629 celebrato facta est.

13. Promovemus ad gradum baccalaureatus titulo praedicationis rr. pp. ff. Michaelem de Vega loco p. fr. Petri de Aguilar praesentati defuncti, Gundisalvum Ortiz Cordubensem loco p. fr. Andreae de Almoguera praesentati defuncti, Gasparum de Trias priorem conventus Conceptionis de Antequera, Gundisalvum Ortiz Parada, Ferdinandum de Megueda, Ioannem de Santiago, Ildefonsum Minio, Franciscum Gonzales priorem conventus s. Isidori de Cartagena, Dominicum Manuel, Antonium Ruys, Martinum de la Cuerda, Ioannem de Ayora, pro locis usque modo non occupatis, extensionis praedictae etiam in praedicaturis pro eximiis praedicatoribus usque ad numerum duodenarium.

14. Promovemus ad praedicaturam generalem rr. pp. ff. Ioannem Farfan pro conventu s. Dominici de Porta Caeli, Bartholomaeum de Bedia priorem conventus s. Barbarae de Baca pro conventu s. Mariae de Rosario de Almagro, Christophorum de la Chica pro conventu s. Catharinae Martyris Gienensis, Hyacinthum Bernal pro conventu s. Ioannis Evangelistae de Quesada, Ioannem Vasquez pro conventu s. Dominici de Villanueva de los Infantes, Dominicum de Sandobal pro conventu s. Dominici Murciensis, Lucam Fernandez de Ayala priorem conventus s. Dominici de Oran pro conventu s. Dominici Xiricensis, Thomam de Horozco pro conventu s. Annae de Carmona, Ioannem Baptistam Taneo pro conventu s. Dominici de Huescar, Ludovicum Gutierez pro conventu s. Dominici del Campo, Ioannem Iuste pro conventu s. Crucis Regalis Granatensis, Simonem de Almoguera pro conventu, pro quo erat p. fr. Andreas de la Barera defunctus.

15. Quos omnes magistros scilicet praesentatos et praedicatores generales cum loco et voce auctoritate apostolica respective secundum morem provinciae promovemus et promotos acceptamus.

16. Promovemus demum ad gradum magisterii pro primo loco vacaturo in sua provincia rev. p. fr. baccalaureum Christophorum a Hidalgo conventus s. Pauli Hispalensis, quamvis non fuerit a capitulo suae provinciae postulatus, super quo cum illo dispensamus.

Pro provincia Germaniae inferioris.

1. Volumus in primis, ut in dicta provincia strictissime observetur ordinatio facta in ultimo capitulo Romano anno 1629, ubi praecipitur

in virtute Spiritus sancti et sub formali praecepto, ut petitiones provinciae quoad gradus praecipue fiant solum in ipso capitulo provinciali a patribus provinciae in diffinitorio simul congregatis, et aliter aut privatim factae, sint omnino irritae et nullius valoris.

2. Ad stabiliendam regularem observantiam in conventu Gandensi confirmamus ordinationes factas a reverendissimo patre Nicolao Rodulfio, tunc generali ordinis magistro, conformes constitutionibus ordinis cum omnibus praeceptis formalibus positis, quae omnia exacte observari volumus et mandamus.

3. Item praedictum conventum Gandensem deputamus pro novitiatu nationis Flandricae ibidem quamprimum erigendo, ut filii conventuum istius praefatae nationis in eo educentur conformiter ad leges et constitutiones nostras in stricta regulari observantia.

4. Item ordinamus pro eadem provincia, ut magistri novitiorum deinceps, quamdiu exercent praedictum officium, gaudeant paternitate a consilio, non obstante quod non attingant annum quadragesimum aetatis, quod alias constitutiones requirunt, volentes pro modo tunc supplere defectum, et una pro tempore, quo dicto officio actualiter deserviunt, eosdem ab omni hebdomadaria exemptos decernimus.

5. Concedimus eidem provinciae, ut in civitate Leodiensi sibi procurare possint domum vel conventum pro dictae provinciae fratribus, ubi regularis observantia iuxta praescriptum constitutionum nostrarum exacte servetur, adhortantes admodum rev. p. provincialem, ut quantocius omni cura et sollicitudine ad erectionem praedicti conventus elaboret.

6. Acceptamus monasteria sanctimonialium sanctae Catharinae Senensis Antverpiense, sanctae Catharinae Senensis Gandense et sanctissimi Rosarii Tornacense cum licentia reverendissimi generalis erecta.

7. Promovemus ad gradum magisterii p. fr. Petrum Dierkens (1); ad gradum licentiaturae rev. p. fr. Ludovicum Beltrandum Loth (2) et rev. p. fr. Antoninum le Febure; ad gradum vero baccalaureatus rev. p. fr. Franciscum de Schryvere.

8. Instituimus in praedicatorem generalem rev. p. fr. Michaelem Coninch pro suo nativo conventu Silveducensi et rev. p. fr. Philippum Petit (3) sacrae theologiae baccalaureum, ut gaudeat praedicatura generali cum voce et aliis privilegiis, licet ei particularis conventus non designetur, cum ex speciali gratia supernumerarius fiat pro hac vice tantum cum retentione sui gradus.

---

(1) De fr. Petro Dierkens cf. SSOP. II, 659.
(2) De fr. Ludovico Beltrando Loth cf. l. c. pag. 571.
(3) De fr. Philippo Petit cf. l. c. pag. 602.

9. Declaramus concessum ad petitionem admodum rev. p. provincialis Franciae, ut p. fr. Dominicus Guerard (1) filius conventus Atrebaten. possit assumere gradum magisterii pro provincia Franciae, ita tamen ut numquam gaudeat loco aut voce in provincia sua originali Germaniae inferioris, nisi ab eadem in capitulo provinciali acceptetur.

10. Acceptamus praedicaturas generales rev. p. fr. Petri de Smit pro conventu Brugensi, et rev. p. fr. Andreae Wauters pro conventu Bergensi s. Winosi eiusdem conventus prioris, qui in capitulo provinciali intermedio Bruxellae celebrato 1643 a diffinitorio eiusdem instituti fuerunt.

Pro provincia s. Thomae de Apulia.

1. Ordinamus, ut conventus s. Dominici de Foggia et sancti Petri Martyris de Tarento sint strictioris observantiae, in quibus adamussim observentur nostrae constitutiones iuxta capitulorum generalium ordinationes et declarationes, praecipientes admodum rev. p. provinciali pro tempore, ut rigide puniat priores horum conventuum, quos in regulari disciplina promovenda invenerit negligentes et remissiores; in quibus conventibus nullus frater assignetur neque detineatur invitus nisi aliquis in poenam.

2. Concedimus, ut erigantur in prioratus domus s. Mariae de Rosario terrae Aviliani in natione Basilicatae et domus s. Mariae de Rosario terrae Casalis Novi in natione Hydruntina, dummodo possint alere duodecim fratres; provisionem vero priorum in dictis domibus committimus admodum rev. p. provinciali.

3. Concedimus, ut provincia s. Thomae in terris Grottaliarum et Casarani nationis Hydruntinae fundare possit novas domos aut conventus, servatis servandis, sicut pariter concedimus, ut in civitate Neapolis domum seu conventum eodem modo quo supra fundare possit, cum illo maxime indigeant fratres, qui ad negotia suorum conventuum in curia Neapolitana tractanda illuc accedere et commorari sunt compulsi.

4. Committimus admodum rev. p. provinciali, ut de graviorum patrum consilio eiusdem provinciae contributiones seu collectas, quae solvi solent a conventibus et domibus tam pro visitatione et contributionibus generalibus quam pro aliis emergentibus provinciae eiusdem necessitatibus taxet et stabiliat, habita ratione redituum et proventuum uniuscuiusque domus et conventus, ut aequaliter ab omnibus ferantur onera nullusque gravetur.

5. Concedimus monialibus monasteriorum s. Mariae Novae et s. Mariae Visitationis a Creti (?) de Litio, ut officium titulorum ecclesiarum

(1) De fr. Dominico Guerard cf. SSOP. II, 638.

illarum videlicet Nativitatis beatae Mariae Virginis et Visitationis respective celebrare possint cum octavis solemnibus ob Dei et beatae Virginis gloriam et ad illarum monialium devotionem augendam.

6. Concedimus, ut per totam provinciam s. Thomae possit celebrari officium s. Alexii et s. Leonardi confessorum sub toto duplici.

7. Approbamus affiliationes rr. pp. fr. Petri Martyris Iannonii de Betunto sacrae theologiae baccalaurei pro conventu s. Ioannis de Aymo de Litio, fr. Dominici de Troia pro conventu s. Ioannis de Rutiliano et fr. Hieronymi de Pistitiis pro conventu s. Mariae de Raccomandatis de Neritono, easque ratas et firmas perpetuo haberi volumus, dicimus et declaramus, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

8. Acceptamus et approbamus omnes gradus magistrorum et baccalaureorum tam in capitulo Romae celebrato anno 1629 quam a reverendissimo p. magistro fr. Nicolao Rodulfio extra capitulum promotorum.

9. Ordinamus praedicatores generales ob multitudinem conventuum extendi usque ad numerum octonarium.

10. Promovemus ad magisterium admodum rr. pp. ff. Ioannem Marcum Taurum baccalaureum et primum diffinitorem huius capituli generalissimi, Mauritium de Troia lectorem et secundum diffinitorem, Petrum Martyrem Iannonium baccalaureum, Ioannem Baptistam de Vico baccalaureum, Andream de Ferrandina baccalaureum ordinarium, Antoninum de Vigiliis lectorem, Hyacinthum Vulpium baccalaureum, Ioannem Vincentium Perronum baccalaureum, Iacobum de Luceria lectorem, Bonaventuram Mannarinum baccalaureum.

11. Ad baccalaureatum rr. pp. lectores ff. Dominicum de Triggiano, Hyacinthum Nanni de Neritono, Ludovicum de Neritono, Ioannem Baptistam de Grottola, Hyacinthum de Casali Novo, Dominicum Cito, Hieronymum de Tarento, Horatium de Tarento, Iacobum de Altamura, Thomam de Nucibus, Ioannem de Matera, Vincentium de sancto Petro in Galatena, Thomam de Tarento, quibus assignamus loca iuxta antiquitatem et professionem eorumdem, salvis iuribus suae provinciae; quod etiam dicimus de admodum rr. pp. magistris.

12. Instituimus in praedicatores generales rr. pp. lectores ff. Paulum de Martina pro conventu Martinae, Stephanum Trano pro conventu Trani, Seraphinum de Brundusio pro conventu Baruli, Iosephum de Brundusio pro conventu s. Mariae Magdalenae de Brundusio, Ioannem Baptistam de Tarento pro conventu Tarenti, Thomam de Rutiliano pro conventu Rutiliani, Ludovicum de Ferrandina pro conventu Neritoni, Marcum Solofra pro conventu Gravinae, Iordanum de Litio pro conventu Litiensi.

13. Damus in regentem nostri studii generalis Andriensis admodum rev. p. fr. Ioannem Marcum Taurum, in baccalaureos ordinarios fr. Hieronymum de Tarento pro primo loco et fr. Ioannem Palumbo pro secundo loco, in magistros studentium rr. pp. baccalaureos fr. Ioannem Baptistam de Grottola pro primo loco, fr. Iacobum de Altamura pro secundo loco et fr. Ludovicum de Neritono pro tertio loco.

14. Ordinamus, ut studentes formales, qui sunt in collegio Litiensi, a nullo possint examinari nisi a moderatoribus studii generalis Andriensis, non obstante quacumque ordinatione in contrarium.

15. Concedimus eidem provinciae, ut in posterum omnes priores sint biennales iuxta antiquum morem et consuetudinem dictae provinciae; idem etiam dicimus de provincialibus.

16. Acceptamus auctoritate apostolica ad hoc specialiter habita in filium s. Mariae de Raccomandatis de Neritono admodum rev. p. fr. Ioannem Marcum de Castellano, stante petitione filiorum dicti conventus de Neritono pro maiori parte.

Pro provincia utriusque Calabriae.

1. Ordinamus et sub poena absolutionis ab officium admodum rev. p. provinciali pro tempore mandamus, ne tertiarios ad habitum conversorum recipiat nisi post sex annos a receptione tunicae.

2. Erigimus in prioratum locum sanctae Mariae Salutis civitatis Neapolis, sumptibus dictae provinciae erectum et fundatum, cui damus in priorem pro hac vice tantum admodum rev. p. fr. Hieronymum de Suriano magistrum cum omnibus privilegiis iuxta nostras constitutiones.

3. Ordinamus, ut pro eodem conventu sanctae Mariae Salutis nullo modo fiant affiliationes fratrum sub poena absolutionis ab officio provinciali et privationis utriusque vocis aliis fratribus, et si fiant, nullae sint et invalidae.

4. Ordinamus, ut in studio generali Consentino studentes formales eiusdem provinciae non augeantur ultra numerum denarium, et si secus fiat, totum sit irritum et inane.

5. Declaramus, ut in posterum lectores actuales theologiae conventus Suriani nullo modo pro gradu et forma magisterii gaudeant, removentes ab eodem omnia praeterita privilegia.

6. Transferimus studium generale a conventu Neocastri ad conventum Rhegii, usque dum reedificatus fuerit dictus conventus Neocastri, committentes admodum rev. p. provinciali provisionem regentis pro hac vice tantum.

7. Ordinamus, ut in dicta provincia non possit augeri magistrorum numerus ultra numerum trigesimum.

8. Approbamus magisteria rr. pp. ff. Francisci de Castroveteri, Hya-

cinthi de Montealto, Dominici de Filogasio, Andreae de Flumine et Thomae de Terranova extra capitulum promotorum.

9. Promovemus ad gradum magisterii ff. Dominicum a sancto Georgio, Michaelem Lombardi de Polistina, Ludovicum ab Altomonte, Silvestrum Teutonicum de Tabernis, Antoninum Lembo (1), Thomam de Seminara, Dominicum de Terranova, Hyacinthum a Simeri, Andream a Bivongio, Hyacinthum a Cosentia, Dominicum a Bivongio, Laurentium a Vadolato, Ludovicum Rinaldi a Saracena, Ludovicum Todesco a Montealto et Clementem Blasium.

10. Promovemus in baccalaureos ff. Dominicum de Polia, Marcum Antonium a Cosentia, Vincentium a Zumpano, Seraphinum de Filogasio, Thomam Laurum a Consentia, Dominicum de Amigdalaria, Thomam Tolamum, Petrum a s. Procopio, Vincentium Rodino, Petrum a Catanzario, Hieronymum Giustiniano, Thomam de Rossano, Silvestrum de Montealto, Raymundum ab Agropterea, Ioannem Baptistam a sancto Procopio.

11. Assignamus in regentem in nostro studio generali Consentino rev. p. fr. Vincentium Salinero a Savona, in baccalaureos ordinarios fr. Seraphinum a Tabernis et fr. Chrysostomum ab Altomonte baccalaureos.

12. In studio generali Rhegii assignamus in baccalaureos ordinarios fr. Petrum Martyrem ab Agropterea et fr. Vincentium Barbero a Balnearea.

13. Assignamus in magistros studentium rr. pp. ff. Augustinum de Suriano (2), Chrysostomum de Cosentia, Antonium de Castromonardo, Gregorium a Radicena, Vincentium Scalfaro, Raymundum ab Amigdalaria et Andream a s. Georgio.

14. Instituimus in praedicatores generales p. fr. Zachariam a Castroveteri pro conventu Salutis Neapolis, fr. Hyacinthum a Filogasio pro conventu Filogasii, fr. Ioannem Dominicum a Montealto pro conventu Montisalti.

Pro provincia sanctae Crucis Indiarum.

1. Denuntiamus, quod confirmatio facta a reverendissimo p. magistro vicario generali apostolico electionis provincialis istius provinciae factae in persona rev. admodum p. fr. Georgii de Cambero et institutio illius in praesentatum in loco a provincia designato fuit in hoc capitulo generalissimo recepta et acceptata.

2. Item denuntiamus, acta capituli provincialis huius provinciae celebrati anno domini 1642 fuisse visa et examinata et quantum ad omnia

---

(1) De fr. Antonino Lembo cf. SSOP. II, 608.

(2) De fr. Augustino de Suriano cf. l. c. pag. 632.

in illis contenta tam quoad institutiones quam quoad ordinationes confirmata.

3. Confirmamus omnes praedicatores generales in eodem capitulo institutos pro conventibus, dummodo habeant omnia requisita et servatis servandis.

4. Promovemus ad gradum magisterii ad petitionem diffinitorum capituli provincialis rev. p. praesentatum fr. Georgium de Cambero, priorem provincialem actualem provinciae, titulo lectionis cum omnibus gratiis in loco actu vacante rev. p. fr. Ildephonsi Calderon magistri defuncti.

5. Item promovemus ad gradum praesentaturae titulo lectionis cum omnibus gratiis et ad petitionem provinciae reverendos pp. fr. Michaelem de Mendoza in loco actu vacante rev. p. fr. Antonii de Roxas defuncti, et rev. p. fr. Didacum Romero, servatis servandis. Item promovemus ad gradum magisterii cum omnibus gratiis ad petitionem provinciae titulo praedicationis rev. p. fr. Franciscum Velasquez, quondam provincialem, in loco actu vacante rev. p. fr. Antonii Henriquez defuncti.

6. Item ad gradum praesentaturae titulo praedicationis promovemus rr. pp. fr. Iosephum de Zaà, priorem conventus s. Hyacinthi de Caracas, et rev. p. fr. Ferdinandum de Placentia et rev. p. fr. Ludovicum de sancto Michaele cum retentione suae praedicaturae, et rev. p. fr. Hyacinthum Martinez cum eadem retentione suae praedicaturae.

7. Confirmamus erectionem factam in capitulo provinciali domus nostrae sancti Antonii de Cumana in prioratum et conventum cum omnibus privilegiis et gratiis, dummodo numerum fratrum a constitutionibus taxatum possit alere, et damus in primum priorem praefati conventus rev. p. fr. Franciscum Clavyo et in praedicatorem generalem illius instituimus rev. p. fr. Ioannem de sancto Hyacintho, dummodo habeat requisita secundum constitutiones et acta.

8. Confirmamus et approbamus erectionem factam in domum novitiorum conventus sancti Thomae Aquinatis de Puerto Rico, ut in eo possint educari novitii, recipi ad habitum et solemnem emittere professionem.

Pro provincia Hiberniae.

1. Confirmamus ordinationes et concessiones pro hac provincia in capitulo Romano 1629 factas.

2. Ad stabiliendam perpetuis futuris temporibus eam, qua Dei benignitate in praesentiarum provincia haec fruitur unitate ac charitate, ordinamus, quod omnes conventus eius subsint provinciali illius pro tempore, ac in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto inhibemus, ne de caetero frater aliquis, cuiuscumque gradus

aut conditionis existat, divisionem eius aut exemptionem alicuius conventus a regimine provincialis aut erectionem congregationis ullo modo procurare audeat etiam praetextu cuiusvis divisionis aut exemptionis antea factae, quam, si quae talis fuerit, praesenti decreto omnino abolemus.

3. Cum ob diuturnam usque in haec tempora haereticorum persecutionem ac bellorum tumultum plures conventus priore ac fratribus a longo tempore destituti fuerint et ob inde prioris institutio ad reverendissimum magistrum ordinis sit devoluta, concedimus facultatem admodum rev. p. provinciali, ut in quolibet tali conventu pro prima vice tantum priores instituere possit, et ab eo institutos confirmamus, donec compleant tempus sui triennii. Ut autem de numero competenti iis ac aliis conventibus, quantum fieri possit, provideatur, concedimus, ut provincialis pro tempore revocare valeat omnes fratres Hibernos ubivis existentes ac, ut in hanc provinciam redeant, per praecepta et censuras, si necesse fuerit, compellere.

4. Ad evitandos magnos sumptus et ob magnam congregandi fratres ex omnibus regni partibus difficultatem concedimus, ut possint in capitulo provinciali electionis provincialis provide electionem facere tam diffinitorum quam socii provincialis pro proximo futuro capitulo generali vel generalissimo, si quod ante sequens capitulum provinciale celebrandum contigerit, et alios nominare, qui casu mortis sic electorum ad diffiniendum vel eligendum in praedicto capitulo respective admittantur.

5. Concedimus huic provinciae ob magnam distantiam eius ab Urbe et difficilem ad reverendissimum magistrum ordinis accessum, ut provincialis noviter electus regat provinciam et gaudeat titulo provincialis, donec scrutinium electionis eius, quamprimum fieri possit, mittatur ad generalem, penes quem electionem cassandi vel confirmandi libera sit facultas, prout in Domino videbitur expedire.

6. Cum nihil authentice innotescat de conventuum huius provinciae antiquitate ac limitibus seu districtibus eorumdem, volumus et decernimus, ut in posterum priores inter se locum habeant iuxta antiquitatem suorum conventuum ex veteri quodam manuscripto opera d. Iacobi Waraei equitis aurati collectam, prout in congregatione intermedia Corcensi ordinatum fuit anno 1640, ordinationem in hac parte confirmamus et innovamus; pro limitibus autem conventuum omnium respective assignandis deputamus iudices in Lagenia rr. pp. fr. Dominicum Nugentium (1) magistrum et fr. Thomam Brangan praesentatum; pro Momonia fr. Albertum O Brien magistrum, fr. Petrum Estrange magistrum et fr. Tad-

(1) De fratribus hic et infra nominatis cf. *Hibernia Dominicana* l. c. pag. 115 sq.

daeum Moriarty; pro Conacia fr. Danielem de Cruce magistrum et fr. Humbertum Delphinum; ac demum pro Ultonia fr. Ioannem Genory et fr. Dominicum O Connor, ita ut, quidquid ipsi respective cum admodum rev. p. provinciali pro tempore statuerint, firmum ac stabile perpetuis futuris temporibus maneat; quod si quae sit difficultas pro limitibus provinciarum, decidetur per eos ex praenominatis, qui ex neutra provinciarum dissidentium extiterint. Si quem autem ex his nominatis ante causae terminationem mori contigerit, provincialis de consensu fratrum a consiliis dictae provinciae alium loco illius valeat nominare.

7. Ut huic provinciae de litterarum studiis sit provisum, erigimus in ea quinque universitates seu studia generalia pro quinque regni partibus, conventum videlicet Dubliniensem, Limericensem, Casheliae, de Athenrij et Culrahanensem, ita ut in iis actus scholastici et exercitia fieri possint pro gradu ac forma; si autem temporum iniuria aliquando in aliquo ex istis respective studium nequeat haberi, possit provincialis pro tempore alium conventum deputare, donec in eo commode exercitia fieri possint, cum iisdem privilegiis.

8. Applicamus eleemosynas omnes, quae fiunt ad devotissimam imaginem b. Virginis Mariae de Yoghel in usum ipsius conventus Yoghellensis, nec de iis in futurum aliter disponere valeat provincialis.

9. Acceptamus nomine eius provinciae collegium seu conventum fratrum et monasterium monialium pro natione Hibernica Ulissipone fundatum sub cura et regimine rev. admodum patris provincialis Hiberniae pro tempore, et concedimus, ut in eodem collegio fiant actus et exercitia pro gradu et forma.

10. Acceptamus item conventum a reverendissimo episcopo Laonensi oblatum, servatis servandis, ac monasterium seu domum vulgo murus s. Petri civitatis ac dioecesis Limericensis, quam concedimus, quantum in nobis est, Catharinae Dogan et aliis nunc et in fururum cum ea degentibus, ac demum licentiam damus recipiendi ac fundandi alia monasteria cum debitis requisitis, quando provinciali de consilio graviorum patrum expedire videbitur.

11. Concedimus huic provinciae, ut in ea fiat officium de s. Brigida virgine ac regni patrona die prima februarii et de sancto Laurentio archiepiscopo Dubliniensi et confessore die 14. novembris sub toto duplici.

12. Cum in hac provincia pia inoleverit consuetudo, ut fideles utriusque sexus habitum regularem diversorum ordinum pro sua respective devotione ferant et in eo mori desiderent, concedimus iis omnibus, qui nostrum habitum seu scapulare portaverint, ut participes sint beneficiorum nostri ordinis ac bonorum operum, quae per universum ordinem fiunt.

13. Acceptamus magisteria rr. pp. ff. Petri Martini, Petri Estrange, Iosephi Langson et Marci de Rupeforti; et praesentaturas rr. pp. ff. Thomae Lincei, Thaddaei Ceallaghan, Petri de Angulo, Vincentii Wallaei, Terentii O Brien et Gregorii O Feral cum loco, voce caeterisque respective privilegiis, quibus in nostro ordine et in hac provincia consimiles magistri et praesentati a provincia postulati gaudere solent.

14. Extendimus numerum graduandorum in hac provincia, ita ut numerus magistrorum sit octonarius et praesentatorum denarius cum gratiis ac privilegiis; pro quo numero promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Albertum O Brien, provincialem huius provinciae, et fr. Dominicum de Rosario, rectorem collegii nostri Ulissiponensis dictae provinciae, ad praesentaturam autem rr. pp. fr. Mauritium de s. Petro Martyre et fr. Oliverum Darceum; nec in posterum promovendi ultra hunc numerum gaudeant privilegiis, donec fuerint a provinciali et diffinitoribus ac patribus provinciae in capitulo provinciali postulati vel acceptati.

15. Promovemus ad gradum magisterii, salvis iuribus suae prov., rr. pp. fr. Ioannem Baptistam Hacquetum (1) et fr. Thomam de Burgo; ad baccalaureatum autem rr. pp. fr. Patritium Kearny, fr. Riccardum Wall.

16. Approbamus acta et ordinationes capitulorum provincialium Portumnensis et Kilkenniensis et institutiones omnes praedicatorum generalium ibidem factas, exceptis institutionibus p. fr. Iacobi Wolfaei et fr. Iacobi Goldaei, quas ob rationabiles causas annullamus et loco unius instituimus p. fr. Patritium Hacquetum.

Pro provincia Mexicana.

1. Denuntiamus, confirmationem a reverendissimo p. magistro vicario generali apostolico electionis provincialis in rev. admodum p. fr. Ioannem de Cordova factam in hoc capitulo generalissimo esse acceptatam.

2. Denuntiamus, acta capituli provincialis fuisse visa et examinata et quantum ad postulationem graduum in eis contentam admissa fuisse, prout in actis huius capituli generalissimi apparet.

3. Denuntiamus, alternativam inter duos principaliores conventus videlicet Mexicanum et Angelopolitanum litteris apostolicis esse firmatam et roboratam ea forma, qua in duobus capitulis praecedentibus fuit postulata, scilicet quod unum quadriennium pertineat ad filios conventus Angelopolitani et alia duo quadriennia successive ad filios conventus Mexicani, servata in eiuscemodi electionibus alternativa provinciae inter natos in Indiis et in Hispania; et declaramus praedictam alternativam intelligi in omnibus officiis a provincialatu usque ad minimam exemptio-

(1) De fr. Ioanne Baptista Hacqueto cf. SSOP. II, 579.

nem atque in electionibus diffinitorum capituli generalis, ita quod in omnibus detur semper tertia pars filiis conventus Angelipolitani, ut latius in ipsis litteris apostolicis habetur; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

4. Concedimus huic provinciae, quod numerus magistrorum et praesentatorum extendatur usque ad duodenarium ad sui petitionem.

5. Promovemus ad gradum magisterii pro locis actu vacantibus ad petitionem provinciae rr. pp. fr. Salvatorem de Salazar loco rev. p. fr. Thomae de Suo defuncti, fr. Hyacinthum de Carvallo loco rev. p. fr. Matthiae de Calvo, fr. Didacum Gonzales loco rev. p. fr. Francisci de Gratia defuncti, fr. Marcum Muños loco rev. p. fr. Andreae Ximenez defuncti, cum habeant omnia et singula requisita, et servatis alternativis nationis et conventus ob extensionem numeri.

6. Promovemus ad gradum magisterii extra numerum cum omnibus gratiis rev. p. fr. Augustinum Godines titulo lectionis et ad petitionem provinciae, ad titulum vero praedicationis rev. p. fr. Ioannem de s. Iacobo, huius capituli diffinitorem, et rev. p. fr. Ludovicum de Orsuna, supplentes in duobus ultimis petitionem provinciae pro ista vice tantum.

7. Promovemus ad praesentaturae gradum pro locis actu vacantibus et ad petitionem provinciae rr. pp. fr. Franciscum Gomes loco rev. p. fr. Salvatoris de Salazar, fr. Ildefonsum Dias loco rev. p. fr. Hyacinthi de Carvallo, fr. Laurentium Maldonado loco rev. p. fr. Didaci Gonzales, fr. Bartholomaeum Bernal loco rev. p. fr. Hieronymi de Rueda, fr. Andream de Valdes loco rev. p. fr. Marci Muños, fr. Gregorium Curiel loco rev. p. fr. Ioannis de Madrano, fr. Andream Montes loco rev. p. fr. Michaelis de Leon. Qui quidem omnes, ultimo excepto, promoti sunt ad petitionem provinciae, servata utraque alternativa nationis et conventus.

8. Promovemus ad praesentaturae gradum titulo lectionis et extra numerum rr. pp. fr. Ioannem de Leon, fr. Hyacinthum de Guevara et fr. Laurentium de Figueroa, dummodo habeant omnia et singula requisita et non aliter.

9. Instituimus in praedicatores generales ad petitionem provinciae et pro conventibus rr. pp. fr. Ludovicum de Merida ob mortem rev. p. fr. Francisci de Gerrera pro natione Mexicana, fr. Stephanum Sanches pro conventu de Guadalaxara ob mortem rev. p. fr. Didaci Sanches, fr. Ioseph de Torres loco rev. p. fr. Laurentii de Quiñones etiam pro natione et servatis servandis. Pro natione Misteca et pro conventu de Teposcolula instituimus in praedicatorem generalem rev. p. fr. Ioannem de Paredes ob mortem rev. p. fr. Ioannis de Loranca.

10. Instituimus in praedicatores generales pro locis vacaturis secundum suas antiquitates et ad petitionem provinciae rr. pp. fr. Antonium

de Adorno, cathedraticum linguae Mexicanae, et fr. Antonium de Castillo similiter cathedraticum eiusdem linguae, servatis servandis.

11. Instituimus in praedicatores generales extranumerales cum omnibus gratiis rr. pp. fr. Christophorum de Roxas Narvaes, fr. Dominicum de Carvallo, fr. Barnabam de Villasana et fr. Ludovicum Hortis ad petitionem provinciae et servatis servandis.

12. Declaramus litteras patentes praedicaturarum generalium rr. pp. fr. Ildefonsi Franco et fr. Iosephi Ayrolo esse extranumerales.

13. Ad praesentaturae gradum titulo praedicationis pro loco vacanti rev. p. fr. Ioannis de Loranca promovemus praefatum p. fr. Ioseph de Ayrolo cum retentione praedicaturae generalis cumque omnibus gratiis, dummodo habeat omnia et singula requisita.

14. Declaramus litteras patentes infrascriptorum pp. praedicatorum generalium esse extranumerales cum omnibus gratiis, nimirum fr. Didaci Medrano, fr. Michaelis de los Reyes, fr. Ferdinandi Gutierres, fr. Didaci Garcia, fr. Ioannis Davila, fr. Christophori de sancto Hyacintho, fr. Petri de Oiangurem, fr. Ioannis Arriola, fr. Ioannis Ponce, fr. Gregorii de Palomares, fr. Nicolai Coronae, servatis alternativis nationis et conventus, dispensantes super excessu numeri pro hac vice tantum.

15. Instituimus in praedicatorem generalem ad petitionem provinciae cum omnibus gratiis rev. p. fr. Andream Pjtcaso, dummodo habeat omnia requisita et non aliter.

16. Promovemus etiam ad praedicaturam generalem extranumeraliter rev. p. fr. Michaelem de s. Hyacintho pro loco vacanti ob amotionem rev. p. fr. Ludovici de Ordugna, supplentes defectum petitionis provinciae, cum ea conditione quod habeat omnia et singula requisita iuxta praescriptum constitutionum et capitulorum generalium.

17. Demum promovemus ad magisterii gradum rr. pp. fr. Antonium de Amaia et fr. Christophorum de Porasangre, qui quidem multis annis tum legendo tum praedicando, ut ex postulatione suae provinciae constat, religioni sanctae inservierunt.

Pro provincia Peruana.

1. Ordinamus, ne quis fratrum huius provinciae in priorem, doctrinarium sive praedicatorem generalem assumi possit, qui sua studia complete non absolverit.

2. Ordinamus, ut nullus possit promoveri ad magistrum studentium, qui prius cursum artium non perlegerit, neque in lectorem theologiae, qui per duos annos officio magistri studentium non functus fuerit.

3. Monemus rev. p. priorem conventus nostri sanctissimi Rosarii de Lima, ut curet, quatenus omnes fratres theologiae studentes saltem primi nostri cathedratici in universitate lectionem frequentent; ad lectiones au-

tem caeterorum cathedraticorum, si quae fuerint, media eorumdem studentium pars accedere teneatur.

4. Commendamus fervide rev. admodum p. provinciali huius provinciae, quod attento beneplacito regis catholici circa fundationem collegii s. Thomae Aquinatis in civitate Limana curet quamcitius, ut executioni mandetur.

5. Cum circa nostros in universitate Limensi publicos cathedraticos dubitatum fuerit in dicta nostra provincia, num ad prioratum conventuum nostrorum intra eandem urbem assumi possint, decernimus ac declaramus, eosdem patres cathedraticos utique eligi posse in priores dictorum conventuum, non obstante moderatione suarum cathedrarum.

6. Concedimus, ut in hac provincia ob specialem venerationem et honorem sancti Ioannis Baptistae sui patroni et sanctae Catharinae Senensis, cuius confraternitas est fundata in aliquibus conventibus huius nostrae provinciae, possit celebrari festum illorum sub ritu octavarum solemnium.

7. Promovemus ad gradum magisterii titulo praedicationis rev. admodum p. praesentatum fr. Hieronymum de Vera, huius nostri capituli generalissimi diffinitorem, pro prima vacante; interim gaudeat loco et voce et omnibus aliis gratiis magistrorum in ordine.

8. Item promovemus ad gradum magisterii titulo lectionis cum eadem qualitate rr. pp. praesentatos fr. Ludovicum de Avis, fr. Ioannem de Barbera Lescano, fr. Antonium Mino, fr. Antonium de Morales et fr. Antonium Luque.

9. Item promovemus ad gradus praesentaturae titulo lectionis rr. pp. fr. Ioannem de Aguirre, fr. Martinum Melendes, fr. Franciscum Gonzales, fr. Ioannem de los Rios, fr. Augustinum de Valverde, fr. Ildefonsum Grospo, fr. Petrum de Quevedo et fr. Ioannem de Quevedo cum eadem qualitate.

10. Promovemus ad praesentaturae gradus titulo praedicationis rr. pp. fr. Hyacinthum de Mendoza, fr. Augustinum Marques, fr. Ferdinandum de Esquiven, fr. Ioannem Piquave, fr. Didacum de Ubitarte, fr. Didacum de Collasos, fr. Sancium Desarate, cui etiam praedicaturam generalem concedimus extra numeralem cum voce et loco suae praesentaturae concessae a reverendissimo Rodulfio, fr. Didacum de Mendoza, fr. Augustinum de Ribadeneyra, fr. Dominicum de Cabrera, fr. Ioannem de Vargas y Machuca (1), cum retentione suarum praedicaturarum generalium et cum eadem qualitate ut supra.

---

(1) De fr. Ioanne de Vargas y Machuca cf. SSOP. II, 587.

11. Instituimus in praedicatores generales rr. pp. ff. Antonium de Cabrera, Franciscum Moriano, Petrum de Corduba, Ludovicum de Aguila et Michaelem de Anteaçana pro primo loco vacaturo, interim tamen gaudeat voce.

12. Acceptamus magisteria rr. admodum pp. ff. Gasparis de Saldagna, Francisci de Carasco et Roderici de Cardonas, qui gaudebunt loco et voce, etsi in suis litteris patentibus non fuerit concessum, usque dum sit locus vacans.

13. Item acceptamus omnes gradus et praedicaturas generales, qui in ultimo capitulo et postea a praedecessoribus nostris fuerint concessi.

14. Cum prudentissime in hac provincia quaedam tenuiora loca auctoritate reverendissimi p. nostri fr. Nicolai Rodulfii privata fuerint titulo et dignitate conventuum, eoque facto simul extinctae sint praedicaturae generales pro rata talium quondam conventuum ab eodem collatae, concedimus hac vice dumtaxat, attentis meritis et qualitatibus illorum patrum, quibus illae praedicaturae olim concessae fuerant, ut iidem in vita sua nihilominus gaudeant titulo praedicatorum generalium tamquam supernumerarii, sic tamen ut post mortem eorum provincia ius nullum acquirat petendi alias totidem praedicaturas velut pro locis vacantibus, cum horum patrum loca cum ipsis expirent.

15. Supradicta omnia pro hac provincia disposita intelligimus ac intelligi volumus, dummodo non contrarientur aliis ordinationibus ac dispositionibus ultimo circa hanc provinciam factis per reverendissimum p. fr. Nicolaum Rodulfium, quibus omnino has concessiones ac dispositiones cupimus per omnia conformari, nisi in quantum placuerit reverendissimo aliter dispensare, quod eius prudentiae omnino remittimus.

Pro provincia de Chiapa.

1. Denuntiamus, emanasse breve apostolicum sub die 7. aprilis 1643 circa alternativam provincialatus inter patres Hispanos et Criolos; quod quidem iuxta suum tenorem executioni demandari praecipimus, non obstantibus in contrarium quibuscunque.

2. Item denuntiamus, electionem rev. admodum p. fr. Francisci Moran fuisse confirmatam a reverendissimo p. magistro Vincentio Candido, vicario generali apostolico, ante hoc capitulum.

3. Approbamus acta capituli provincialis in hac provincia celebrati sub die 8. novembris 1642, excepto articulo concessionis dispensationum iis lectoribus, qui suas lecturas peregissent, cum iam talibus liceat ad gradus promoveri.

4. Concedimus, ut in omni feria quarta non impedita fiat officium de sancto Vincentio Ferrerio, in omnibus conventibus, dempto Guatemalensi, ubi ratione studii generalis fieri debet de S. Thoma.

5. Item ut in die et infra octavam sanctissimi rosarii fiat memoria de b. p. n. Dominico post Salve completorii.

6. Concedimus huic provinciae, ut in posterum queat habere gradus tam baccalaureatus quam magisterii, ad quos et antehac destituti possint restitui, nec non et alii promoveri, servatis servandis. Quodque provincia utens iure suo antiquo proponere possit reverendissimo magistro ordinis ad lecturam sententiarum, et ipse regens in capitulo provinciali designatus atque a reverendissimo patre generali approbatus et confirmatus, legat pro forma et gradu magisterii.

7. Concedimus omnibus rr. admodum pp. provincialibus, ut post completum sui provincialatus officium sibi conventum, in quo resideant, eligere possint.

8. Ordinamus et volumus prorogari officium rev. admodum p. provincialis usque ad diem, quo fiet electio, in mense ianuarii 1647.

9. Restituimus ad gradum magisterii titulo praedicationis ac, quantum opus foret, de novo promovemus r. p. fr. Petrum de Montenegro. Itemque instituimus in magistrum cum loco et voce fr. Antonium de Guebara.

10. Ad gradum baccalaureatus titulo lecturae instituimus et promovemus rr. pp. fr. Ludovicum Saez praesentatum, fr. Petrum Ramirez, fr. Rodericum de Urosa et fr. Antonium Melendez.

11. Titulo vero praedicationis rev. p. fr. Chrysostomum de Lorençana, quem nolumus cogi posse ad acceptandum aliquod officium, nec inconsulto reverendissimo amoveri a conventu s. Dominici de Guatemala aut oppido de Xototenanco, ne simul impediatur fructus animarum, quem ex eius in his locis praedicationibus sperare licet.

12. Item sub eodem praedicationis titulo promovemus ad baccalaureatum rr. pp. fr. Bartholomaeum de Castellanos, fr. Franciscum de Leon, fr. Petrum de Lira, dummodo non retineant praedicaturas generales.

13. Instituimus in praedicatores generales, praevio rigoroso examine et servatis servandis, rr. pp. fr. Ioannem del Campo, fr. Bartholomaeum Rodriguez, fr. Hyacinthum de s. Ildephonso et fr. Antonium de s. Thoma.

Pro provincia s. Antonini de Novo Regno.

1. Denuntiamus, admodum rev. p. praesentatum fr. Franciscum Farfan fuisse confirmatum cum omni consensu diffinitorii huius capituli generalissimi in priorem provincialem nostrae provinciae sancti Antonini de Novo Regno.

2. Ordinamus et mandamus ad tollendam omnem confusionem et iurgia, quae inter fratres oriri solent, quod in graduandis ad quemcunque titulum observetur ad unguem, stricte et rigorose constitutio, non ob-

stantibus quibuscunque ordinationibus a quocunque visitatore sive praeterito sive futuro emanatis vel emanandis.

3. Item ordinamus et mandamus, quod festum s. Antonini in tota provincia, quia est patronus, recitetur cum octava sollemni, et idem praecipimus de festo sancti Ludovici Bertrandi ob singularem devotionem provinciae erga ipsum, qui fuit olim multum tempus in eadem simpliciter assignatus functusque in ipsa aliquibus religionis officiis.

4. Item stricte praecipimus, quod fratres dictae nostrae provinciae non abutantur constitutionibus nostris, nec aliquid circa illas innovare valeant, praecipue circa constitutionem, quae habetur de morte vel amotione provincialis, circa quam declaramus, quod, quando priorem provincialem mori vel amoveri contigerit, prior illius loci, in quo capitulum fuerit celebrandum, gaudeat potestate vicarii generalis solum iuxta praescriptum et ius commune nostrarum constitutionum, non obstantibus quibuscumque ordinationibus factis a quocumque visitatore provinciae.

5. Item praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae nec non sub poena privationis vocis activae et passivae, quod, quando capitulum provinciale a diffinitorio vel a rev. admodum p. provinciali de consilio patrum iuxta ritum nostrarum constitutionum fuerit indictum in aliquem conventum, nullus frater quovis praetextu aut quaesito colore audeat impetrare auxilium a praeside illius curiae vel ab aliqua alia persona extra religionem ad hoc, ut ad alium conventum transferatur.

6. Statuimus pro pace et quiete istius nostrae provinciae, ne fratres aliarum provinciarum ad ipsam venientes assignentur in illa, nisi suffragante consensu rev. p. provincialis alterius provinciae; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

7. Confirmamus omnes ordinationes factas tam a capitulis provincialibus quam a visitatoribus circa conventum s. Ioseph de Cartagena, in quibus erigitur et instituitur in studium generale, quodque omnes lectores in ipso legentes legant in posterum pro forma et gradu magisterii.

8. Denuntiamus, collegium nostrum s. Thomae in hac nostra provincia esse optime erectum illudque gaudere omnibus gratiis et favoribus, quibus solent gaudere et potiri caetera collegia nostrae religionis; et si opus est, quia in summum decus et honorem religionis consurgit, denuo illud instituimus, damus, facimus, datum, institutum et factum decernimus et declaramus.

9. Erigimus in conventus cum omnibus gratiis et privilegiis, quibus solent potiri et gaudere omnes conventus dictae nostrae provinciae, hospitia nostra s. Mariae Magdalenae de Mompox et s. Dominici de Populonovo; quocirca instituimus praedicatores generales eorundem: pro con-

ventu s. Mariae Magdalenae de Mompox rev. p. fr. Ildephonsum de la Bandera, pro conventu vero s. Dominici de Populonovo rev. p. fr. Petrum Laguna.

10. Concedimus huic nostrae provinciae ad petitionem eiusdem unum magisterium ad titulum praedicationis pro eximiis verbi Dei concionatoribus, ad quod promovemus rev. p. praesentatum fr. Hyacinthum de Figueroa, huius capituli generalissimi diffinitorem, ad petitionem provinciae.

11. Extendimus in hac nostra provincia numerum tam magistrorum quam praesentatorum ad titulum lectionis usque ad denarium, quem deinceps praefigimus tali titulo.

12. Promovemus ad gradum magisterii intra numerum provinciae rr. pp. fr. Franciscum Farfan, huius nostrae provinciae priorem provincialem, pro loco actu vacante; fr. Ioannem de Godoi, huius capituli generalissimi diffinitorem, et fr. Franciscum Zuares ad petitionem provinciae.

13. Promovemus ad praesentaturas rr. pp. fr. Marcum de Roxas, fr. Thomam Navarro, fr. Ioannem de Pereira, fr. Hieronymum de Leon, fr. Ioannem de Altibia et fr. Antonium de la Bandera, qui omnes censentur esse intra numerum provinciae.

14. Promovemus ad praesentaturam pro primis locis vacaturis rr. pp. fr. Petrum de Achuri et fr. Antonium de Leon.

15. Promovemus ad praesentaturam titulo praedicationis intra numerum provinciae rev. p. fr. Bartholomaeum Garcia.

16. Acceptamus institutiones praedicaturarum generalium rr. pp. fr. Petri de Mora, fr. Augustini de Mendoza, fr. Francisci de Mendoza, fr. Ioannis de Villareal, fr. Hyacinthi Garces, fr. Ioannis de Eriguela, fr. Ioannis de Portollano, fr. Stephani Sanctos, et fr. Francisci de Zurita.

17. Confirmamus acta capituli provincialis celebrati die 6. iunii anni 1643, dempta acceptatione prioratuum in conventibus Indorum institutorum et praedicaturarum generalium ad titulum dictorum conventuum obtentarum, quos et quas nullius roboris et momenti esse declaramus. Insuper declaramus, praedicta acta a nobis confirmata habere vim ordinationum capituli generalis.

Pro provincia Occitana.

1. Causam restitutionis conventus Tolosani et aliorum a provincia separatorum vel a patribus provinciae expetitae reunionis eorumdem cum aliis, ut ex omnibus in tota Occitania unica possit provincia strictioris observantiae consurgere, reverendissimo patri generali committimus cum omni auctoritate et potestate agendi in Gallia, quidquid agendum sibi videbitur expedire sive in praemissis sive in aliis quibuscumque inten-

tatis litibus et praetensis iuribus inter provinciam et congregationem, provincialem et vicarium, conventusque et fratres provinciae et congregationis.

2. Ordinamus, ut conventus Tolosae teneatur recipere et nutrire syndicum seu procuratorem generalem huius provinciae ad procurandas causas provinciae et conventuum ipsius in parlamento Tolosano, sicut moris est in conventu Burdigalensi pro provincia Tolosana, ne cogantur miseri conventus provinciae aut lites nullas movere adversus iniustos usurpatores aut incoeptas ob extremam paupertatem deserere; mandantes similiter tam dicti conventus Tolosani priori quam aliis quibuscumque in congregatione superioribus, ut fratres provinciae Occitanae ad se divertentes cum omni charitatis affectu et exhibitione recipiant, non aliter quam ipsos suae congregationis alumnos.

3. Ordinamus, ne absque licentia rev. admodum p. provincialis pro tempore liceat priori et priorissae seu praesidentibus monasterii Pruliani fratres dictae provinciae recipere vel in monasterii ministerio retinere et occupare, nisi aliter reverendissimus p. generalis interdum ordinaverit.

4. Ordinamus, ut deinceps nullae fiant prorogationes prioratuum nisi de consensu rev. admodum p. provincialis et maioris partis vocalium conventus, pro quo petitur prorogatio, capitulariter a suppriore vel vicario convocandorum et per vota secreta.

5. Ordinamus, ut qui ex congregatione s. Ludovici fuere provinciales omnes processus, si quos tempore sui provincialatus adversus fratres provinciae fecerint, teneantur restituere et remittere ad reverendissimum p. generalem intra duos menses a notitia praesentis ordinationis capituli.

6. Ordinamus, ne aliquis possit e congregatione s. Ludovici transitum facere ad provinciam aut a patre provinciâli quocumque praetextu in eam aut recipi aut admitti, nisi prius consulto toties quoties reverendissimo patre magistro generali et expectata super hoc eius responsione et consensu et non aliter, idque sub poenis in capitulis generalibus Bononiae 1615 et Mediolani 1622 constitutis, ut nimirum excidant tales irrevocabiliter a iuribus suarum affiliationum atque ad eos conventus et provincias pertineant, in quibus per assignationem recepti fuerint. Quas ordinationes praesenti dicto renovamus. Quod si p. provincialis aliquo eorum indigeat pro regulari vita in suis conventibus aut fovenda aut inducenda, censueritque reverendissimus ex concessa petitione fructum aliquem sperari posse, non in ea concedenda se difficilem exhibebit.

7. Ordinamus, ut fratribus, qui ex congregatione in provinciam translati sunt, et pensiones aut reditus annui a suis olim conventibus originalibus tribuantur, quos ipsi in sua professione aut eorum consanguinei suis usibus et necessitatibus nominatim et specialiter reliquerunt, ita tamen

ut, si super hoc lis aliqua oriri queat, non apud alium quam magistrum ordinis dirimatur, praesenti alioquin decreto ad nihilum valituro.

8. Confirmamus rev. p. fr. Paulum Nicot, canonice postulatum a vocalibus, in priorem conventus Figiacensis; item rev. p. fr. Bernardum Cantalupa pro conventu Genoliaci.

9. Acceptamus in vicariatum conventus Narbonensis locum s. Amantii, in quo est sacellum subterraneum antiquissimum beatissimae Virgini dicatum et idcirco dictum nostrae dominae de Cavernis, ubi requiescunt corpora sanctorum martyrum Amantii, Alexandri, Lucae et Aldosi. Concedentes rev. admodum p. provinciali facultatem seu potestatem contrahendi cum d. de Tregoin fundatore vel aliis cum quibus necesse fuerit; hortantes rev. p. priorem seu pro tempore praesidentem conventus Narbonensis, ut iam incoeptam in eo loco populi devotionem pro viribus foveat et augeat.

10. Concedimus huic provinciae et conventibus in ea ad observantiam deputatis, ut in ieiuniis ordinis a festo s. crucis usque ad pascha liceat fratribus in collatione fructus vel aliquid simile cum pane manducare, ut possint facilius ieiuniorum et vigiliarum labores tolerare.

Acceptamus magisteria rev. admodum p. fr. Ludovici Mesplede, huius provinciae prioris provincialis et capituli generalissimi diffinitoris, et rev. admodum p. fr. Ioannis Court, prioris Rivensis.

Pro provincia s. Dominici Venetiarum.

1. Ordinamus, ut studii moderatores legant toto tempore quadragesimae praescripto a nostris constitutionibus sub poena absolutionis ab officio, et studentibus remotionis a studio, ne vacando tali tempore praedicationi impediantur lectiones; idem quoque de prioribus dicimus, cum eo tempore maxime necessaria sit eorum residentia, sub eadem poena ipso facto incurrenda.

2. Lectores legant a die s. Crucis 14. septembris usque ad diem s. Mariae Magdalenae quotidie, et completo cursu artium exponant publico certamini ea, quae legerunt, per unum ex suis discipulis ei assistendo, nullusque lector petatur in magistrum studentium, nisi cursum artium perfecerit iuxta nostrarum constitutionum tenorem ac theses theologicas in comitiis provincialibus publice defenderit, neque aliquis lector petatur in baccalaureum ordinarium ad legendum pro gradu et forma magisterii, nisi functus fuerit officio magistri studentium, et hoc sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda, cuius absolutio sit magistro ordinis reservata.

3. Ordinamus et omnibus ac singulis fratribus mandamus sub praecepto formali et sub poena privationis vocis activae et passivae in perpetuum, ne ullus sibi procuret mansionarias sive capellanias extra nostras

ecclesias, et iam procuratas statim renuntiet, in contrarium non obstante quacumque consuetudine, quam ut abusivam abrogamus. In nostris vero ecclesiis mansionariae sive capellaniae omnes incorporentur bonis communibus monasterii iuxta decreta felicis recordationis Clementis VIII, quod ut executioni demandetur, praecipimus provincialibus ac conventuum prioribus sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda.

4. Ordinamus et inviolabiliter observandum decernimus, ut de conventuum reditibus necessaria fratribus ad victum et vestitum suppeditentur iuxta summorum pontificum decreta, ne fratres pro his sibi procurandis per civitatem vagentur non sine maximo scandalo et religionis detrimento; quod si superior aliquis in hoc fuerit negligens, in poenam ab officio suo statim amoveatur.

5. Ut autem abominabiles recursus ad personas extra ordinem constitutas pro gratiis in nostra religione consequendis tollantur, ex quibus rixae, contentiones inter fratres oriuntur, praecipimus omnibus et singulis fratribus sub poena perpetuae inhabilitatis ad quoscumque honores et dignitates in religione consequendas, ut abstineant a tali ausu, nec possint a peccatis absolvi nisi publico actu per manum notarii cedant gratiis, quas tali modo sibi a nostris legibus prohibito fuerint consequuti.

6. Patres a consiliis in quolibet conventu non sint plures quam 13, incluso priore, et si qui sunt alii praeter eos, qui de iure sunt patres, ultra numerum quomodolibet instituti, ex nunc pro tunc intelliguntur paternitate obtenta privati, nec prior sub poena absolutionis ab officio in consiliis eos admittere debet. Ad validitatem autem consiliorum sufficient ad minus octo patres, qui tamen sint patres de iure; declarantes invalida et irrita esse omnia, quaecumque contra hoc praescriptum fuerint intentata.

7. Concedimus conventui nostro Patavino, ut possit celebrare octavam s. Augustini solemnem, cum sit titulus eius ecclesiae.

8. Concedimus nostro studio generali Patavino omnia privilegia concessa studio Bononiensi, confirmantes omnia alia privilegia, quae a nostris praedecessoribus praedicto studio concessa fuerunt.

9. Concedimus licentiam fr. Iacobo et fr. Pacifico conversis, ut unus a conventu Salvarenae, alius a conventu Castribaldi ad alium conventum suas affiliationes transferre possint, servatis servandis.

10. Declaramus affiliationem p. fr. Ioannis Baptistae Marchesii a conventu Uticensi ad conventum s. Viti esse nullam, ac ad suum conventum primum Uticensem pertinere.

11. Promovemus ad magisterii gradum rr. pp. fr. Leonorum Rizzardi de Tarvisio, regentem studii nostri generalis Patavini, fr. Dominicum Navarinum de Padua, qui fuit baccalaureus ordinarius, fr. Hyacinthum

Mariam Gottini de Tarvisio, qui legit pro gradu et forma magisterii, fr. Ioannem Andream Prati de Venetiis (1), qui cursum artium iuxta nostrarum constitutionum tenorem perfecit, theses theologicas in comitiis provincialibus defendit et functus est officio magistri studentium, quem etiam damus in baccalaureum ordinarium post praedictum de Gottini, fr. Laurentium Christomolum de Venetiis, regentem actualem conventus ss. Ioannis et Pauli, qui omnes inter se loca suae professionis tenere debebunt.

12. Promovemus ad baccalaureatum secundum antiquam provinciae consuetudinem, non obstantibus quibuscumque in contrarium rr. pp. fr. Felicem Bertoni de Venetiis, fr. Bernardum Bannelli de Tarvisio, fr. Nicolaum Christomolum de Patavio, qui omnes functi sunt officio magisterii studentium; fr. Hieronymum Herculani de Patavio, qui artium cursum complevit, theses theologicas strenue defendit, quem etiam damus in magistrum studentium pro primo anno; fr. Petrum Martyrem Degna de Venetiis, qui similiter cursum artium complevit, theses theologicas defendit, quem etiam damus in studentium magistrum pro secundo anno, fr. Innocentium Pencini de Venetiis (2), lectorem et in universitate Patavina metaphysices publicum professorem.

13. Instituimus in praedicatorem generalem rev. p. fr. Ioannem Carolum Pero de Tarvisio lectorem.

14. Diffinitores in capitulo provinciali in hac provincia s. Dominici Venetiarum eligantur per nationes secundum antiquam provinciae consuetudinem, non obstantibus quibuscumque in contrarium.

15. Capitulum provinciale fiat non in mense februarii, in quo electio provincialis facta est, sed in dominica « Deus qui errantibus » secundum ordinis nostri consuetudinem.

16. Acceptamus magisteria rr. pp. fr. Antonii Basilii, Hieronymi Fabri, Vanti Morosi, Gabrielis Dominioni, Iacobi Cerchiari et Thomae Marcheti de Utino.

17. Acceptamus praedicaturas generales rr. pp. fr. Benedicti Leonii, Vincentii Maffei, Bartholomaei della Bella, Ludovici Marzarii, Georgii Righetti, Stephani Bellaveri, approbando eius labores, quibus pro provincia et strictiori observantia desudavit, silentium omnibus imponendo contra praedictum patrem, et Zachariae Pitticoni de Venetiis.

18. Confirmamus omnia privilegia patribus de Civitate strictioris observantiae a reverendissimo generali Sicco concessa pro tuenda et conservanda in Foro Iulii.

---

(1) De fr. Ioanne Andrea Prati cf. SSOP. II, 579.

(2) De fr. Innocentio Pencini cf. l. c. pag. 726.

19. Non recipiantur studentes formales, nisi sint sacerdotes, secundum huius studii inveteratam consuetudinem, nec lectores, qui ad dictam provinciam ex alio generali studio veniunt, admittantur ad legendum, nisi approbati fuerint per publicum examen in praedicto studio Patavino a patribus moderatoribus.

20. Novitii simplices educentur in conventibus, ubi magis viget regularis observantia, nec permittantur in conventu studii generalis sub poena superioribus pro tempore absolutionis ab officio.

21. Approbamus affiliationem rev. p. fr. Ioannis Francisci Landi a conventu Iustinopolitano ad conventum nostrum Patavinum, servatis servandis.

22. Augemus magistrorum numerum usque ad 18. et baccalaureorum usque ad 8.

Pro provincia Armeniae Maioris dicta Nesciovanensi et Nexivanensi.

1. Denuntiamus, emanasse breve sanctissimi domini nostri Urbani papae VIII. ad regem Persarum, Armeniae Maioris possessorem, directum et per p. fr. Thomam Vitalem de Monte Regali (1) delatum et porrectum, ex quo et antiquitas huius provinciae colligitur, et sollicitudo pontificis in hoc, ut in ea vigeat regularis observantia, sequentis tenoris.

2. Urbanus papa VIII.

Illustris ac potentissime rex, salutem et lumen divinae gratiae.

Non unius Europae finibus concluditur pontificia sollicitudo, sed ad omnes etiam remotissimas regiones sedulo se profert, praecipuum Romani pontificatus gloriam in eo studio constituens, quo aeternae quarumcumque gentium saluti consultum sit. Proinde cum trecentis ab hinc annis in Nexivanensi provincia nonnulli ex ordine s. Dominici ritus latini versati fuerint, ad illos identidem summi pontifices mittere consueverunt ex eorum fratrum familia Italos sacerdotes, scientiam salutis edoctos, a quibus de singulis, quae ad christianam religionem pertinent, tum etiam quae ad regularis disciplinae conservationem sunt necessaria, erudirentur. Nos qui erga amplissimum istud regnum charitate aut iuvandi desiderio nulli ex decessoribus nostris concedere profitemur, ne pastorali muneri aliqua ex parte defuisse videamur, pium ipsorum institutum prosequentes, mittimus dilectum filium Thomam Vitalem de Monte Regali, virum pietate, prudentia caeterisque virtutibus instructum, ut collegii Armenorum in Alingia rectorem atque magistrum agat. Non terrent illum longissimi itineris discrimina, quin istuc se conferat ad veritatem evangelicam promulgandam et nomen Domini portandum coram gentibus, eique hoc unum votum

(1) Videtur esse idem ac Thomas Vitalis, de quo SSOP. II, 542.

est et negotium immortali animorum bono consulere et semina spargere caelestis verbi, quibus Deo incrementa dante, aliquando verae felicitatis fructus colligantur. Non dubie speramus fore, ut ei celsitudinis tuae patrocinium suffragetur. Exploratum enim re ipsa habemus, quibusnam benevoli animi documentis alios exceperis, quos ad late patentis tuae ditionis loca non semel allegavimus. Quare dubitandum non est, ne pari regalis clementiae significationem in posterum quoque tui similem te praebeas. Illum tamen tibi serio commendamus atque a celsitudine tua maiorem in modum petimus, ut ei patrocinii tui vi communito libere ubique et absque aliquo impedimento muneris sui functionibus operam dare permittatur. Non minori diligentia christianos omnes tibi commendamus, qui in isto regno commorantur; eos enim licet tam longa locorum distantia remotos apostolicae charitatis brachiis peramanter complectimur. Quod si, quemadmodum de animi tui celsitudine nobis pollicemur, praestiteris, illos nulla aetas arguet beneficiorum immemores, sed celsitudinem tuam quam summis laudibus prosequuntur, continenter extollent; in primis autem piis supplicationibus et sacrificiis tibi incolumitatem et perenne bonum a divina clementia enixe precabuntur. Nos interim veram celsitudini tuae faustitatem exoptantes plurimum cupimus tibi illucescere solem iustitiae orientem ex alto, Deumque illum oramus, qui dat salutem regibus, ut te non solum terrena felicitate diutissime perfrui velit, sed ad eam etiam semitam clementer advocet, unde sedes paratur in aeternae beatitudinis principatus. Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 13. octobris anno 1637, pontificatus nostri anno quintodecimo.

A tergo: Illustri ac potentissimo regi Persarum.

3. Cum itaque iam per tot annorum curricula in illis remotissimis regionibus religio nostra viguerit et vigeat adhuc, enitendum est, ut in dies maiora etiam faciat incrementa. Et quia in dicta provincia adolescentes habitum religionis suscepturi prius per aliquot annos in nostris conventibus aluntur, instruuntur et diurnis ac nocturnis precibus una cum aliis fratribus adesse solent, statuimus, primo ut magis apti et idonei eligantur et in conventu Ciauk litteris et moribus imbuantur, et tempore debito in conventu Abianerq ad habitum religionis admittantur et post annum probationis aptiores ad Urbem transmittantur, ut philosophicum ac theologicum cursum absolvere possint.

4. Ordinamus, ut studiis absolutis ad propriam provinciam reverti debeant in eaque manere, laborare, lectioni, praedicationi et confessionibus insistere, neque possint vel in Italia vel extra in alienis provinciis deputari, assignari, affiliari; unde omnes affiliationes dictorum fratrum Armenorum factas vel faciendas alienis provinciis irritamus et irritas esse declaramus.

5. Ne fratres absolutis studiis occasionem sumant divagandi ad quaerendum viaticum pro reditu, annuum censum scutorum 65 super Turrim Vergatam fundatum, ad dictam provinciam spectantem, in usum tantum dictorum fratrum Armenorum hic Romae studentium convertimus; unde pecunia illius census annuatim collecta, ad hunc tantum usum perpetuis temporibus servabitur.

6. Ut facilius et citius per fratres nostros possit catholica religio in partibus infidelium propagari, idiomatum cognitio requiritur; quare ea omnia confirmamus, quae circa studia linguarum in multis capitulis generalibus ordinata fuerunt, et rogamus reverendissimum p. generalem, ut quantum fieri poterit, dicta studia promoveat.

7. Potest catholica religio per fratres nostros facilius apud Persas quam apud Turcas propagari, quia apud Persas potest aliquis de rebus fidei tractare, quod nullo modo permittitur a Turcis; et cum in Spahaum, ubi residet rex, sint alii tres ordines mendicantium, congruum est, ut ibi ordo noster praedicatorum non desit. Demortuus rex Persarum libros de nostra religione tractantes habebat, et inter alios opus illud Ludovici Granatensis, in quo peccatores a malo revocantur et ad bonum diriguntur.

8. Forte aliquando Deus opera fratrum nostrorum et aliorum religiosorum ac fulgentissimis radiis doctrinae d. Thomae discutiet tenebras infidelitatis a corde regis et suorum nobilium. Quare vicarius Indiarum Orientalium in hanc curam toto pectore incumbat, ut fundet conventum in Spahaum et operarios mittat ad laborandum cum spe fructus consequendi.

9. Promovemus ad magisterium rev. p. lectorem fr. Thomam Vitalem de Monte Regali pro provincia utriusque Lombardiae.

Pro provincia s. Catharinae de Quito.

1. Denuntiamus, confirmatam esse electionem provincialis factam in rev. admodum p. fr. Ludovicum de Aranda promotumque esse ad praesentaturae gradum loco p. Ioannis de Arcaya.

2. Confirmamus omnia, quae concessa et ordinata sunt a capitulis generalibus et a reverendissimis magistris ordinis, fr. Seraphino Sicco et fr. Nicolao Rodulfio, pro bono regimine dictae provinciae, exceptis his, super quae postulata fuerit specialis relaxatio seu mutatio pro maiori provinciae commodo in hoc capitulo generalissimo vel a reverendissimo p. magistro generali. Similiterque confirmamus et acceptamus litteras patentes pro gradibus emanatas a capitulo generali praeterito usque modo secundum tenorem illarum ac meritorum in ipsis litteris patentibus contentorum et non aliter.

3. Concedimus dictae provinciae, ut habeat pro die assignata et

statuta ad celebrationem capituli provincialis, electionis seu congregationis diem tertiam octobris cum eisdem vigoribus et declarationibus, quibus erat statuta dies vigesima septembris tam quoad praelatos et vicarios generales pro morte vel amotione provincialium, quod etiam debet intelligi de commissariis et vicariis generalibus usque ad dictam diem et celebrationem assignatis, quam quoad annum.

4. Ordinamus, quod, quando aliqui recipiuntur ad habitum clericalem, servatis servandis, quae in constitutionibus et ordinationibus provinciae sunt disposita, prior conventus et magister novitiorum sub poena suspensionis ab eorum officiis debeant describere in libro eorum, qui recipiuntur ad habitum et professionem, non solum nomen, diem et annum receptionis, sed etiam aetatem receptorum per instrumentum authenticum; et si secus fiat, recepti ad habitum et professionem debeant indispensabiliter in domo novitiorum manere per octo annos et usque ad dictum tempus non promoveantur ad sacrum presbyteratus ordinem.

5. Confirmamus et concedimus numerum magistrorum, praesentatorum et praedicatorum tam titulo lectoratus quam titulo praedicationis dictae provinciae a capitulis generalibus concessum; et similiter confirmamus praedicaturas generales ad titulum linguarum supra numerum conventuum concessas.

6. Confirmamus magisteria ad titulum lectoratus rr. pp. fr. Didaci Nunnez et fr. Bartholomaei Nunnez pro duobus locis vacantibus.

7. Ad praesentaturae gradum titulo lectoratus promovemus rr. pp. fr. Franciscum Moscoso et fr. Bartholomaeum de Noriega pro duobus locis vacantibus.

8. Item promovemus ad praesentaturae gradum titulo praedicationis rr. pp. fr. Antonium de Ortega praedicatorem generalem, fr. Ioannem de Erausia praedicatorem generalem, fr. Ioseph de Agurto praedicatorem generalem, fr. Henricum Paez, fr. Ioannem Ximenez, fr. Ioannem Resalvo praedicatores generales pro locis vacantibus seu vacaturis cum retentione praedicaturarum generalium; ad eumdem praesentaturae gradum promovemus fr. Laurentium de Pineda praedicatorem generalem cum retentione suae praedicaturae.

9. Instituimus in praedicatores generales de numero conventuum pro locis vacantibus vel vacaturis, ut exprimitur in eorum patentibus, rr. pp. fr. Ioannem de s. Agnete, fr. Didacum Rodriguez et fr. Didacum Vacca.

10. Ad titulum linguae et provinciarum instituimus rr. pp. fr. Ildefonsum Morzillo pro provincia de Pasto, fr. Franciscum Teron pro provincia de Quitos, fr. Petrum Gomez pro provincia de Quenca et Losa, fr. Ioannem de Villapando pro provincia de Quito pro locis actu vacan-

tibus seu vacaturis, et sicut concedi solet dictae provinciae exprimeturque in patentibus litteris.

Pro provincia sanctissimi Rosarii Philippinarum.

1. Ordinamus, ut domus s. Hyacinthi de Mexico in India Occidentali, quae pro hospitio fratrum, qui ex una prolixa navigatione in aliam prolixiorem ad provinciam ss. Rosarii transmittuntur, a principio suae fundationis semper fuit destinata, ut regimini rev. p. provincialis eiusdem provinciae subiecta, deinceps permaneat in suo statu, et quod numquam possit alienari; quod sub praecepto formali et excommunicationis latae sententiae poena ab omnibus nostri ordinis fratribus tam capitibus quam membris inviolabiliter observari praecipimus.

2. Item sub eisdem praecepto et poena ordinamus ac praecipimus, ut res quomodolibet ad praefatam domum seu hospitium s. Hyacinthi pertinentes in alios usus non convertantur quam in utilitatem provinciae ss. Rosarii.

3. Ordinamus in virtute Spisitus sancti et s. obedientiae nec non sub formali praecepto ac poena privationis vocis activae et passivae, ut religiosi, qui ad provinciam ss. Rosarii ex Europa fuerint assignati, non possint recipi in aliis provinciis, maxime Indiarum, sine expressa licentia vicarii ductoris, sicut fuit ordinatum in aliis capitulis generalibus.

4. Ordinamus et stricte mandamus in virtute Spiritus sancti, s. obedientiae, sub formali praecepto, ut religiosi, qui maximis expensis catholici regis ad illam provinciam fuerint conducti, non possint ab illa recedere nisi prius transactis decem annis in illo Christi ministerio consumptis, sicut fuit ordinatum in capitulo generali Bononiae celebrato 1615, excepta infirmitatis causa, de qua patres a consiliis simul cum rev. p. provinciali debeant iudicare.

5. Concedimus vicariis ductoribus religiosorum in illam provinciam conducendorum, ut quando eis bene visum fuerit, pro bono communi possint revocare assignationes illorum, qui discoli et inutiles ad illud munus apostolicum inveniantur.

6. Concedimus, ut officium ss. Nominis b. Virginis die 17. septembris sub toto duplici celebretur.

Admonemus rev. p. provincialem illius provinciae, sicut fuit factum in aliis capitulis generalibus, ut omnino invigilet tam circa missiones ad amplissimum Chinarum regnum et Iapponiorum aliaque regna inter infideles faciendas quam circa strictiorem praefatae provinciae vitae regularis observantiam.

7. Declaramus, quod procurator generalis eiusdem provinciae, qui pro tempore residet in curia regis catholici, habeat vocem in capitulis generalibus tam in diffinitionibus quam in electione magistri ordinis, quam

in aliis capitulis generalibus immediate antecedentibus habuisset, usque dum a provincia mittatur novus diffinitor, quia ex illa provincia ab Europa remotissima per quinque millia et amplius leucarum distante raro ad capitulum generale diffinitores mitti possunt.

8. Declaramus, quod cum in illa provincia maxima vigeat paupertas, ita ut in particulari libros ad usum religiosi minime habeant, a sanctissimo d. n. concessum fuit pro praefata provincia, ut de licentia rev. p. provincialis possint religiosi extrahere ad tempus bene visum libros ex bibliothecis et quaterniones, scriptis prius nominibus extrahentium et librorum, ut ad bibliothecam restitui queant.

9. Confirmamus decretum seu sententiam in capitulo Parisiensi latam 1611 et in capitulo generali Bononiae 1615 confirmatam, qua praecipitur sub formali praecepto et sub poenis gravioris culpae, excommunicationis latae sententiae privationisque omnium graduum et officiorum ipso facto incurrendis tam rev. p. provinciali vel praesidenti provinciae nostrae Portugaliae quam rev. p. vicario seu praesidenti congregationis nostrae Indiae Orientalis ac singulis eorum pro tempore, ut quamprimum effectivam, realem ac liberam conventus nostri de Machao in regno Chinae possessionem tradant provinciae ss. Rosarii Philippinarum, quae eiusdem conventus possessionem quamprimum recipiat, non obstantibus in contrarium quibuscumque, quia auditis ex utraque parte provinciis hoc iustum decretum in favorem provinciae ss. Rosarii pronuntiavimus.

10. Instituimus in patrem provinciae r. p. fr. Ioannem Baptistam de Morales, diffinitorem huius nostri capituli, cum loco et voce et omnibus gratiis et privilegiis, quae huiusmodi patribus provinciae in nostro ordine conceduntur.

11. Instituimus in praedicatores generales cum voce rr. pp. ministros hospitalis nostri s. Gabrielis, dummodo transactis prius decem annis sive continuis sive interpolatis in ipso ministerio laboraverint, ad titulum illius linguae.

12. Instituimus in patres provinciae eos, qui per duodecim annos in nostra universitate s. Thomae Aquinatis Manilensis artes ac theologiam legerint, cum voce et loco, cum declaratione eos esse patres provinciae minus antiquos.

In provincia s. Hippolyti Martyris de Oaxaca.

1. Denuntiamus, quod confirmatio facta a reverendissimo p. magistro vicario generali apostolico electionis provincialis huius provinciae in personam rev. admodum magistri fr. Francisci Davila fuit in hoc capitulo acceptata.

2. Item denuntiamus, acta capituli provincialis huius provinciae celebrati anno 1642 fuisse visa et examinata et quantum ad omnia in illis

contenta tam quoad institutiones quam quoad ordinationes confirmata, praeter praeceptum de lineis non utendis ad carnes, et apposita fuit poena, prout in ordinationibus generalibus continetur.

3. Promovemus ad gradum magisterii pro locis vacaturis rr. pp. fr. Ioannem de Cabrera pro primo loco, fr. Matthaeum Ramos pro secundo, fr. Franciscum de Murga pro tertio, fr. Nicolaum de Cabrera pro quarto, fr. Franciscum de Burguoa pro quinto, hoc enim ordine, forma et serie fuerunt postulati a provincia; pro sexto autem loco promovemus rev. p. fr. Christophorum de Aguero, ea tamen conditione quod nullus istorum patrum gaudeat titulo, voce et loco usquequo pro quolibet illorum vacaverit locus intra numerum senarium magistrorum provinciae.

4. Promovemus ad gradum praesentaturae titulo lectionis cum omnibus requisitis et servatis servandis pro locis actu vacantibus ad petitionem provinciae rr. pp. fr. Nicolaum de Cabrera, fr. Franciscum de Burguoa, fr. Christophorum de Aguero cum retentione suae praedicaturae generalis, usque dum pro eo vacet locus ad gradum magisterii; pro primo autem loco vacaturo ad eundem praesentaturae gradum promovemus rev. p. fr. Ioseph de Robles magistrum studii.

5. Instituimus in praedicatores generales pro natione Lapoteia ad titulum linguae cum omnibus gratiis secundum usum et consuetudinem istius provinciae et ad petitionem illius rr. pp. fr. Marcum de Leon, fr. Gabrielem de Sella, fr. Matthaeum de Sepulveda, fr. Ioannem de Rua, ea tamen conditione quod habeant omnia requisita et quod linguam Indicam optime calleant; eisdem servatis conditionibus instituimus in praedicatorem generalem pro eadem lingua rev. p. fr. Christophorum de Misangos; pro duobus autem primis locis vacaturis huius nationis instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Gabrielem de la Mota et fr. Athanasium de Burguete, servatis servandis.

6. Ad petitionem autem rev. admodum p. provincialis et procuratoris instituimus praedicatores generales in locis actu vacantibus rr. pp. fr. Franciscum de Azevedo pro conventu s. Petri apostoli de Setla loco rev. p. fr. Clementis de Aguiniga defuncti, et fr. Hyacinthum del Castillo pro conventu s. Mariae Assumptionis de Naxiaca loco rev. p. fr. Francisci de la Mezquita defuncti, dummodo habeant omnia requisita et non aliter.

7. Instituimus in lectorem artium conventus s. Dominici de Oaxaca rev. p. fr. Hyacinthum Calderon, qui ad hoc munus iam fuit in hoc nostro conventu s. Mariae super Minervam approbatus et idoneus inventus usque ad lecturam theologiae, ita tamen ut, quando ad provinciam accedet, primum cursum artium statim legat.

8. Circa ordinationem, quam habet haec provincia, nimirum quod

qui fuerint vicarii unius domus vel plurium per spatium quatuor annorum, vacent ab huiusmodi officio per duos annos vel saltem per unum, et quod alias non possint eligi in vicarios vel priores, declaramus, quod tantum debet intelligi prohibitio de officio vicariatus, non vero prioratus; possunt enim eligi in priores, licet non vacent per praedictum tempus; omnes autem alias ordinationes reverendissimi generalis magistri fr. Nicolai Rodulfii pro bono istius provinciae confirmamus.

9. Concedimus huic provinciae, quod in congregatione intermedia possint fieri postulationes tam pro gradibus quam pro praedicaturis, dummodo fiant tantum pro locis actu vacantibus.

10. Ad evitandas omnes dubitationes de duratione officii provincialis declaramus pro hac provincia, quod pro aliis provinciis declaratum est, nimirum quod quadriennium intelligatur de annis ecclesiasticis.

Pro provincia s. Petri Martyris.

1. Declaramus ad tollendas omnes lites, iuxta antiquam consuetudinem provinciae illos habere primum locum inter graduatos, qui prius perfecerunt munia studii iuxta breve sanctissimi domini nostri Urbani papae VIII. sub die etc. anni 1628 pro praefata provincia emanatum.

2. Ordinamus, quod provincialis vel vicarius generalis, qui suum officium expleverint, tanquam vicarii provinciales usque ad confirmationem novi provincialis provinciam regant iuxta antiquam provinciae consuetudinem.

3. Ordinamus, promovendos ad gradus examinari debere in studio generali s. Eustorgii.

4. Ordinamus, quod in posterum nullus admittatur ad officium magisterii studentium, qui in capitulo generali vel provinciali saltem semel conclusiones publicas non defenderit.

5. Concedimus posse supplicari sanctissimo, ut legatum factum a domino Ioanne Maria Oddo de Albinga ad instituendum monasterium sanctimonialium nostri ordinis sub titulo d. Thomae Aquinatis a patribus huius provinciae regendum, utpote exiguum et insufficiens ad dictum monasterium aedificandum, auctoritate apostolica applicare dignetur conventui nostro sancti Dominici de Albinga ad alendos aliquot fratres loco monialium, qui pro anima dicti defuncti exorent.

6. Concedimus sanctissimo domino nostro supplicari posse, ut numerus duodenarius magistrorum ab eodem sanctissimo in suo brevi, de quo supra, praefixus intelligatur tantum pro illis, qui iuxta dispositionem eiusdem brevis in studio generali laboraverint; inquisitores vero, qui creati fuerint magistri titulo inquisitionis, intelligantur extra praefatum duodenarium numerum; et quod eiusdem brevis privilegio gaudere non possint, qui munia studii complete non peregerint.

7. Durante bellorum tempore instituimus pro patribus nationis Pedemontanae, qui suo loco et tempore ad studium s. Eustorgii accedere non possunt, lectionem theologiae in conventu s. Dominici de Taurino; pro cuius lectura assignentur regentes successive illi, qui iuxta antiquitatem et statuta provinciae ad dictum studium s. Eustorgii accedere debuissent, ac triennio talis lecturae expleto iisdem privilegiis gaudere possint et debeant, ac si regentis vel baccalaurei munere in dicto studio functi fuissent.

8. Committimus admodum rev. p. provinciali, quod si in visitatione expediens esse viderit, separet vicariatum Burgi Lavezarii in omnibus et per omnia a conventu Novariensi.

9. Damus pro natione Pedemontana in regentem rev. patrem magistrum fr. Augustinum Felicium, qui, si non potuerit occasione bellorum studium s. Eustorgii accedere, teneatur esse regens in conventu s. Dominici de Taurino ut supra; et pro natione Mediolanensi damus in regentem successive rev. p. magistrum fr. Aloysium Mariam Arconatum de Mediolano.

10. Damus in baccalaureum ordinarium pro natione Pedemontana rev. p. lectorem fr. Antonium Danti, et pro natione Mediolanensi rev. p. lectorem Carolum Sardium de Alexandria.

11. Damus in magistros studii pro primo et secundo anno successive rr. pp. lectores fr. Bonaventuram de Alba et fr. Hieronymum Bizzorum de Balsamo.

12. Approbamus acceptationes in magistros provinciae rr. pp. fr. Hyacinthi Brusati inquisitoris Vercellensis pro primo loco, fr. Gregorii Oroboni inquisitoris Novariensis pro secundo loco, fr. Benedicti Moliorii pro tertio loco, fr. Aloysii Mariae Arconati pro quarto loco et fr. Hieronymi Rebioly pro quinto et ultimo loco.

13. Approbamus acceptationes praedicaturae generalis, salvis tamen provinciae iuribus et servatis servandis, rr. pp. fr. Hyacinthi Lunelli, fr. Hyacinthi Pensae, fr. Marci Antonii Gibellini et fr. Ioannis Pauli Lampugnani pro conventibus sibi assignatis.

14. Promovemus in magistros, salvis iuribus provinciae ac inviolabili observantia brevis supra nominati, rr. pp. fr. Gabrium Zacchaeum baccalaureum, fr. Bonifacium Carettum baccalaureum, fr. Ioannem Baptistam Ciconiam baccalaureum, fr. Reginaldum Rubium, qui fuit regens, fr. Camillum Caudam theologum universitatis Taurini, fr. Antonium Danti, fr. Gasparum Mainardum, fr. Stephanum Gavianum, fr. Carolum Sardium, fr. Carolum Foazzam, qui fuerunt magistri studii, fr. Carolum Vulpium, fr. Bartholomaeum Treviolium, fr. Hyacinthum Pruzzolam, fr. Aloysium Buzzonum, huius capituli generalissimi diffinitorem, fr. Ior-

danum Calcamutium, fr. Orsentium Blancum lectores et Theobaldum Vicecomitem, huius capituli generalissimi cathedraticum.

15. Promovemus ad baccalaureatum, salvis iuribus provinciae, rr. pp. ff. Dominicum Battianum et Vincentium Massarium lectores.

16. Instituimus in praedicatores generales, salvis iuribus provinciae, rr. pp. fr. Thomam Calcaneum pro conventu Vercellensi, fr. Dominicum Polum pro primo loco sui conventus Barlasinensis et fr. Antonium Caldaronum pro conventu Albingensi.

Pro provincia s. Catharinae Senensis.

1. Concedimus, quod numerus studentium formalium provinciae in studio generali s. Mariae ab Arcu sit senarius secundum ordinem professionis et numerus studentium formalium extraneorum in eodem studio sit binarius.

2. Acceptamus et confirmamus in conventus formales iam erectos et institutos a reverendissimo patre fr. Nicolao Rodulfio, olim magistro generali ordinis, conventum s. Dominici de Teramo, conventum s. Mariae Pacis de Tocco et conventum sanctissimi Rosarii de Praesentiano.

3. Acceptamus et incorporamus provinciae nostrae Aprutinae conventum sanctae Mariae Gratiarum de Francavilla.

4. Concedimus festum s. Catharinae Senensis, quae est huius provinciae titularis, celebrari posse cum octava solemni. Item ut festum desponsationis eiusdem celebrari possit in eadem provincia feria quinta dominicae in sexagesima, sicut et provinciae Romanae concessum est, sub toto duplici.

5. Confirmamus translationem studii generalis provinciae a conventu s. Dominici de Aquila ad conventum sanctae Mariae ab Arcu, in capitulo generali Romae ultimo celebrato confirmatam.

6. Confirmamus ordinationem reverendissimi patris generalis fr. Nicolai Rodulfii pro conventu s. Dominici de Guardia, ut scilicet in eo sint quatuor sacerdotes studentes formales, examinati tamen prius et approbati in studio generali provinciae, quorum lector legat pro gradu baccalaurei ordinarii, quique assumi debeat ex his, qui fuerunt magistri studentium in studio generali eiusdem provinciae secundum ordinem professionis.

7. Concedimus, quod provinciales in posterum sint biennales, similiter et priores.

8. Ordinamus, quod lectores, qui in alienis provinciis laureati fuerint, rursus in nostra provincia examinentur et approbentur absque praeiudicio tamen alterius provinciae.

9. Ordinamus, quod in studio generali nostrae provinciae nullo modo admittantur in studentes formales iuvenes non sacerdotes.

10. Confirmamus ordinationem nostrarum constitutionum et nonnullorum capitulorum generalium, quod priores, quorum conventus duodecim fratres alere non possunt, nullatenus in capitulis provincialibus voce gaudeant.

11. Confirmamus ordinationem factam in capitulis generalibus Parisiis 1611, Romae 1612 et Bononiae 1615, ne quis sub poena gravioris culpae et excommunicationis latae sententiae audeat tractare separationem conventus s. Dominici Reatini a provincia Aprutina.

12. Confirmamus observantiam alternativae in electione provincialium, sicut in capitulo generali Romae ultimo celebrato auctoritate apostolica statutum est.

13. Damus in moderatores studii generalis s. Mariae ab Arcu scilicet regentem, baccalaureum ordinarium et magistros studentium iuxta ordinem professionis, servatis servandis.

14. Approbamus magisteria rr. pp. ff. Hyacinthi Scala, Hilarii de Ferrariis, Ludovici Allegrini, Sanctes Franchi, Vincentii Maria Sanfelicis, Hieremiae Sanctaguida, Dominici Grippi et Thomae Speranza.

15. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. ff. Ambrosium Petrinum, huius provinciae modernum provincialem, Eusebium Caiafa, Ianuarium Mantinelli, Evangelistam Colangelum, Vincentium Vestini, Thomam Sancrini, Archangelum Liberi, Dominicum Scomegna, Vincentium Mariam Capicium, Benedictum Transi, Hyacinthum de Adamo, Antonium Tortelli et Bernardum Cereum.

16. Promovemus ad gradum baccalaureatus rr. pp. lectores ff. Raymundum de Franciscis, Pium Collelli, Bernardinum Romanum, Vincentium Consoli, Pelinum Ardentium, Severum Spiritum, Felicem de Dominicis, Ludovicum Troianum et Ludovicum de Ubaldis.

17. Instituimus in praedicatores generales rr. pp. in capitulis provincialibus Iesu Mariae et s. Dominici de Reate petitos, ff. Paulum Sebastianum, Silvium Fruitum, Dominicum Vita, Hilarium Faina, Ioannem Baptistam Rustici, Vincentium a Medunio, Ioannem Baptistam Florillum, Bonaventuram de Casolis, Paulinum Montopoli et Simonem Andriensem.

18. Insuper instituimus in praedicatores generales rr. pp. ff. Hyacinthum de Amatrice, Agapitum Verzerium, Angelum Apicella, Severum Barbinum, Albertum a s. Bono, Salvatorem Farinam, Thomam Pacificum, Lucam de Summa, Reginaldum de Paulinis, Marcellum de Sylvio, Petrum Martyrem de Symeonibus, Donatum Perocium, Thomam Cantarinum, Ludovicum Danesium et Franciscum a Belforte.

Pro provincia Russiae.

1. Ordinamus et omnino observari mandamus id, quod alias pro hac provincia ordinatum fuit, ut lectores post suam institutionem per

sexennium legere vel saltem praedicare teneantur, secus ad nullos possint promoveri gradus; quare ex nunc prout ex tunc irritam et nullam decernimus quamcumque promotionem factam vel faciendam huic ordinationi non conformem.

2. Ordinamus, ut priores, qui sunt vicarii contratarum seu nationum, non instituantur nisi illi, qui alias in aliquo conventu prioratus officium administraverunt et sint ad minus praedicatores generales aut lectores, qui aetatis annum quadragesimum compleverunt, praesertim si prioratui annexa est cura monialium.

3. Confirmamus acta capituli provincialis ultimi in conventu Lubartoviensi celebrati.

4. Concedimus huic provinciae denarium numerum magistrorum et duodenarium baccalaureorum.

5. Dispensamus cum p. fr. Stephano de Leopoli baccalaureo, ut sit liber ab officio baccalaurei ordinarii, habito respectu, quod in officio provincialatus valetudinem corporis insumpserit. Similiter cum p. fr. Ioseph de Slumy, ut non teneatur ad munus magistri studentium, eo quod multas in prioratu conventus Leopoliensis perpessus sit difficultates.

6. Approbamus et acceptamus scolasticos actus eorum, qui in generali huius provinciae studio officia moderatorum peregerunt vel actualiter peragunt; similiter et promotiones ad gradus eorum, qui post ultimum generale capitulum Romae celebratum sunt promoti, servatis servandis.

7. Approbamus obligationem certas celebrandi missas pro generoso domino Philippo Rikovski, factam a conventu Iavoroviensi.

8. Ad petitionem provinciae pro locis actu vacantibus promovemus ad gradum magisterii rr. pp. baccalaureos fr. Stephanum de Leopoli, fr. Marianum de Iasliska, regentem studii, et fr. Ferdinandum de Potocia.

9. Promovemus ad gradum baccalaureatus rr. pp. ff. lectores Cherubinum de Leopoli, Camillum de Pietki et Felicianum de Leopoli. Ex gratia quoque speciali concedimus praedicatori generali Isaiae de Busko, praesentis capituli diffinitori, ut ratione praedicationis gaudeat titulo et privilegiis baccalaureorum.

10. Assignamus ad generale studium Bononiense pp. ff. Basilium de Leopoli; ad Neapolitanum s. Dominici Iordanum de Skala; ad Patavinum Andream de Samboria et ad Mediolanense Marinum de Leopoli.

Pro congregatione Gallicana.

1. Committimus reverendissimo patri magistro ordinis, ut circa tumultus et dissensiones conventus s. Iacobi Parisiensis tale adhibeat remedium, quod nedum praesentibus componendis, sed et praecavendis futuris opportunum existat, disponatque de toto illo conventu deque eius officiis iuxta prudentiam paternitatis suae reverendissimae.

2. Renovamus ordinationem factam in capitulo Tolosano 1628 tam pro toto ordine quam pro hac speciali congregatione, quae est tenoris sequentis: Quoniam ibi perfectio esse nequit, ubi praecipue virtus humilitatis non viget, cum Christus totius perfectionis exemplar dicat: « discite a me, quia mitis sum et humilis corde », titulus autem reformati distinctionem quandam et eminentiam super alios, qui eo titulo minime nuncupantur, indicare videtur, ad omnem occasionem elationis et aliorum contemptus removendam et ad omne divisionis vestigium et iam quantum ad nomen in ordine nostro propter suam inviolatam unitatem celeberrimo praecavendam, volumus quidem, insistimus et urgemus, ut arctissimam nostrarum constitutionum observantiam solemni professione promissam omnes amplectantur et studiosissime tueantur. Ceterum districte ordinamus et prohibemus, ne ullus seipsum vel alium aut alios quoscumque fratres nostros nec domum, conventum, provinciam, monasterium, congregationem suam vel alienam titulo reformati verbo vel scripto nominare audeat; cui poenas addimus privationis vocis activae et passivae per biennium, graduum et officiorum in perpetuum, ad quae non possint restitui nisi speciali reverendissimi magistri ordinis mandato.

3. Committimus reverendissimo patri magistro ordinis, ut circa tumultus et dissensiones conventus S. Iacobi Parisiensis, tale adhibeat remedium, quod nedum praesentibus componendis, sed et praecavendis futuris opportunum existat, disponatque de toto illo conventu deque eius officiis iuxta prudentiam paternitatis suae reverendissimae.

4. Ordinamus pro bono regimine conventuum strictioris observantiae in congregatione Gallicana, ut omnes articuli, ordinationes et statuta reverendissimorum pp. generalium ordinis fr. Seraphini Sicci, fr. Nicolai Rodulphii, nec non vicariorum generalium fr. Francisci Gallasini et fr. Vincentii Candidi pro amplianda et conservanda observantia regulari in praefata congregatione remittantur ad reverendissimum p. magistrum ordinis, ut ea modificet, aboleat et confirmet, prout ei visum fuerit.

5. Ordinamus pro pace et firmitate vitae regularis, ut, qui ad conventus ad eam destinatos vel de novo venerint vel, postquam exiissent, rursum redierint, teneantur vivere in conventibus ipsis destinatis aut destinandis a vicario substituto pro tempore; cui praesenti decreto mandamus, ut saepius suae observantiae filios a conventibus suarum assignationum, vel quorum sunt filii, per novas assignationes in alios conventus regulares amoveat et assignet, ut et obedientiam discant et non amplius praetextu affiliationum morosos aut tardiores exhibeant in demutandis ad nutum superiorum conventibus.

6. Ordinamus, ut, cum ex conventibus, quibus constat congregatio Gallicana, novem sint adstricti strictiori observantiae, habeatur in poste-

rum ratio iustitiae distributivae in capitulis congregationis, unusque saltem diffinitor eligatur ex illis conventibus strictioris observantiae, vicario substituto commissis, et dictus vicarius substitutus habeat vocem in electione vicarii generalis totius congregationis.

7. Prohibemus, ne inter eos aut in eorum conventibus ullus graduatorum privilegiis gaudeat, qui non prius vel actus legitimos in universitate Parisiensi exercuerit vel, expleta philosophiae et theologiae lectura, omnia quae in constitutionibus nostris requiruntur, plene habuerit.

8. Ordinamus praeterea et statuimus, ne deinceps instituatur aliquis praedicator generalis in capitulo congregationis pro conventibus strictioris observantiae, nisi postulatus fuerit a vicario substituto cum maiori parte vocalium patrum eiusdem observantiae ad similes postulationes faciendas simul congregatorum.

9. Ordinamus, ut in conventu Venetensi caeterisque aliis ditionis Britanicae et regularis observantiae conventibus fiat officium de s. Vincentio Ferrerio singulis quartis feriis non impeditis.

10. Acceptamus pro eadem observantia Rhedonensi conventus s. Dominici Vitrensis, sanctae Mariae de Credonio et s. Vincentii Ferrerii civitatis Venetensis, volentes, ut in iis vicarius substitutus pro tempore eandem habeat auctoritatem, quam hactenus habuit et habet in caeteris suae observantiae conventibus, ad quam tamen cum maiori ipsius vicarii generalis congregationis Gallicanae satisfactione et mutuae charitatis vinculo exercendam, volumus, ut deinceps reddat eum certiorem status suorum conventuum eique per litteras communicet, quod circa destitutionem et institutionem priorum pro tempore innovaverit.

11. Committimus rev. admodum p. procuratori generali, ut cum summa diligentia procuret beatificationem venerabilis patris fr. Yvonis Mayeuc, olim episcopi Rhedonensis, ex nostro ordine assumpti, postquam memoralia de eius sanctissima vita et miraculis transmissa fuerint.

12. Committimus eidem rev. admodum p. procuratori ordinis generali, ut de remedio opportuno etiam apud apostolicam sedem, si opus fuerit, provideat, ne per personas extra obedientiam nostri ordinis constitutas erigantur in partibus Britanniae societates sanctissimi Rosarii, utque iam per tales personas erectae revocentur et annullentur.

13. Confirmamus ordinationes factas a rev. admodum p. magistro Ioanne Nolano tam pro manutenenda observantia regulari et pro stabiliendis studiis ac oeconomia temporali et spirituali in conventu nostros. Iacobi Nannetensi quam pro bono pacis et submovenda iurgiorum occasione.

14. Acceptamus in vicariatum pro conventu Anetiacensi oratorium beatissimae Virginis cum domo annexa et praediis aliisque iuribus ad illud pertinentibus, quod pii anachoretae dicto conventui concesserunt in

loco de Veyrens dioecesis Gebenensis, approbante dictam concessionem illustrissimo et reverendissimo domino episcopo Gebenensi, nec non serenissima duchissa Sabaudiae regente, et supremo eius senatu Camberiensi. Iubentes in posterum dicto vicariatui de fratribus et vicario provideri a priore Anetiacensi pro tempore, qui in illo plenariam iurisdictionem habebit, qualem solent in nostro ordine priores conventuum super eorum vicariatibus.

15. Concedimus licentiam rev. p. fr. Bernardo Guyard, licentiato facultatis Parisiensis, ad lauream magisterii assequendam et acceptandam in eadem facultate Parisiensi.

16. Confirmamus nominationes factas Lugduni in ultimo congregationis capitulo rr. pp. Hyacinthi Peret et Balthasaris Rostan in universitate Nannetensi pro anno 1645, Adriani Paien et Martini Motel pro anno 1646, et Francisci Fullon in universitate Cadomensi sub beneplacito rev. admodum patris magistri provincialis Franciae.

17. Concedimus facultatem rev. p. Claudio Grosbas, baccalaureo biblio formato et acceptato in universitate Parisiensi, ut reliquos actus theologicos ad magisterium usque inclusive perficere possit in universitate Bituricensi sub beneplacito eius provincialis Franciae, volumusque singulis supranominatis necessarias patentes litteras expediri.

18. Acceptamus licentiaturas rr. pp. ff. Ioannis Puissant, Albini Lezexier et Ioannis Godium in facultate Nannetensi, et baccalaureatum patris Guilelmi Gottier in facultate Rhemensi; volumusque praefatos laurea insigniri in facultatibus suis respective vel ab aliquo doctore Parisiensi, quem ad hunc effectum elegerint, servatis servandis.

19. Promovemus ad magisterium rr. pp. ff. Antonium Guespier et Michaelem Boulley conventus Argentomensis, in facultate Parisiensi baccalaureum, servatis servandis.

20. Instituimus in praedicatores generales rev. p. fr. Alexandrum de Ferazin pro primo loco vacante in conventu Lugdunensi et rev. p. fr. Renatum Nicolle pro conventu Guimperliensi, cuius locus in praesenti vacat, et rev. p. fr. Raymundum Bonnier pro conventu Nannetensi, exclusis aliis, qui eiusdem conventus praedicaturam praetendebant, servatis tamen servandis.

21. Districte prohibemus ordinationes superius insertas in favorem et firmitatem observantiae regularis in vicaria Redonensi ditionis Britannicae revocari aut immutari quomodocumque aut sub quocumque praetextu praeterquam a solo reverendissimo patre magistro generali ordinis pro tempore.

Pro congregatione s. Ludovici.

1. Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut circa statum congregationis nostrae s. Ludovici statuat pro conservatione strictioris observantiae, quam ei summopere commendamus, quod ei in Domino vi-

debitur expedire; et tandem ferat sententiam in causis, quae cum inter provincias Galliarum ex una parte dictamque congregationem ex altera, tum inter conventum ss. Annuntiationis Parisiensem aut etiam conventum s. Maximini ex una parte, corpusque dictae congregationis seu conventus, qui sunt cis Ligerim ex altera; omnia denique faciat, quae posset hoc capitulum, ac quaecumque constituet sua paternitas reverendissima, rata haberi volumus et mandamus, idemque robur ex nunc pro tunc eis damus, quod haberent aut habere deberent, si in actis capituli praesentis essent inserta; interim vero maneant res in eisdem terminis et statu, in quo erant ante controversias has exortas.

2. Erigimus in conventum domum vicarialem de Gonnessia prope Parisios eique in primum priorem damus eum, quem reverendissimus p. magister ordinis instituerit in proxima sua visitatione Galliarum, et interim permanebit sub cura et iurisdictione prioris conventus sanctissimae Annuntiatae Parisiensis, sicut hactenus fuit.

3. Acceptamus domum Nancianam eamque erigimus in conventum sub nomine et titulo sanctissimae Virginis Mariae de Pace, et multas et maximas agimus gratias et communionem ac participationem bonorum operum, quae Deus dederit per universum ordinem nostrum fieri, religiosae gratitudinis spiritu offerimus illustrissimo et excellentissimo domino d. Francisco Hospitallio, comiti du Hallier et de Ronay, Franciae mareschallo, et in provinciis et ducatibus Lotharingiae et Barri etc. proregi, nec non illustrissimae et excellentissimae d. Carolae de Essars, comitissae de Romorantin, eius coniugi, piissimis ac munificentissimis fundatoribus, quorum auctoritate et munificentia nunc primum ordo noster in civitatem Lotharingiae metropolim invectus est, eique conventui in primum priorem damus rev. p. fr. Dominicum le Brun (1), qui multum verbo et opere potens pro fundatione dicti conventus et pro ordinis amplificatione hactenus laboravit.

4. Praecipimus rev. admodum patri vicario generali congregationis, ut conventus olim ab haereticis eversos et desolatos suaeque curae concreditos curet cum omni diligentia quantocius instaurari, destinatis ad hoc quamprimum idoneis fratribus; nec se hac in parte immunem reputet, nisi primum probatis a reverendissimo p. generali difficultatibus, si quas habet insuperabiles.

Pro congregatione Sardiniae.

1. Separamus conventum s. Sebastiani Saceris extra muros de consensu filiorum eiusdem conventus a conventu sanctissimi Rosarii eiusdem civitatis intra muros, ita quod unus non dependeat ab altero, praedi-

(1) De fr. Dominico le Brun cf. SSOP. II, 717.

ctumque s. Sebastiani conventum restituimus in statum pristinum cum suo prioratu, censibus, reditibus, ecclesiasticis ornamentis, libris caeterisque mobilibus, quae antea possidebat et translata fuerant ad dictum sanctissimi Rosarii conventum, istumque in prioratum erigimus, si quidem alere potest duodecim fratres.

2. Eodem modo separamus conventum s. Martini de Oristan extra muros a conventu s. Dominici eiusdem civitatis intra muros, ipsumque similiter in prioratum erigimus, cum possit alere duodecim fratres.

3. Concedimus praelibato s. Martini conventui, ut deinceps in eo recipi possint novitii sicut a principio, in eoque regularis vigeat observantia.

4. Confirmamus in aliud triennium priorissam monasterii s. Cathasinae Senensis civitatis Calaris, sororem Franciscam de Borja, unam ex dicti monasterii fundatricibus, quae ex Valentino s. Catharinae Senensis monasterio ad Sardiniae insulam venere, ut sub eius continuato regimine regularis observantiae fundamenta in dicto monasterio amplius solidentur.

5. Concedimus collegio sanctissimae Trinitatis Civitatis Ecclesiarum, ut deinceps rectoris nomine gaudeat.

6. Acceptamus filiationem p. fr. Gavini Piguer a conventu s. Petri Martyris de Calatayud provinciae Aragoniae ad conventum s. Sebastiani Saceris congregationis Sardiniae.

7. Promovemus ad magisterii gradum rr. pp. ff. praesentatos Dominicum Morvillo, Thomam Canavera, Angelum Mula de s. Magdalena, dictae congregationis vicarium generalem, et Thomam Correa, dummodo iste lectionem suam per quinquennium prosequatur in Calaritana universitate vel in suo conventu primariam theologiae lectionem, interimque loco gaudeat et titulo.

8. Ad praesentaturae gradum promovemus rr. pp. fr. Vincentium Carboni et fr. Ambrosium Salis.

9. Instituimus in praedicatores generales pro conventu sancti Sebastiani Saceris p. fr. Dominicum Ursoni; pro conventu sanctissimi Rosarii eiusdem civitatis p. fr. Vincentium Barralet; pro conventu s. Dominici de Oristan, p. fr. Augustinum Carta et pro conventu s. Martini eiusdem civitatis p. fr. Gavinum Piquer.

Pro congregatione Sanitatis.

1. Concedimus in conventu s. Mariae Sanitatis de Neapoli dominica secunda maii posse celebrari festum cum octava solemni de sanctis martyribus et virginibus, quorum et quarum venerabilia corpora in ea ecclesia reconduntur; item in tota congregatione celebrari posse officium sub toto duplici de sancto Paulino, episcopo Nolano, et sancta Dominica, virgine et martyre, diebus in martyrologio Romano notatis cum lectionibus breviarii Romani eorumque approbatis gestis.

2. Concedimus, ut in monasterio monialium s. Catharinae de Senis, curae vicarii eiusdem congregationis subiecto, possit celebrari festum eiusdem sanctae cum octava solemni et in aliqua feria cuiuslibet septimanae totius anni non impedita, nec non in feria tertia post dominicam quinquagesimae propter singularem earum devotionem.

3. Item quod ille pater, qui praeest eius gubernationi, titulo prioris gaudeat.

4. Erigimus studium s. Mariae Sanitatis in studium formale cum omnibus gratiis et privilegiis ceterorum studiorum huiusmodi nostri ordinis.

5. Ordinamus, ut nullus possit in magistrum studentium promoveri, nisi legerit per quatuor annos, quorum unus ad minus sit s. theologiae, nullusque possit promoveri ad officium baccalaureatus ordinarii, nisi prius fuerit magister studentium, nec tandem ad gradum magisterii, nisi legerit in praefato studio generali pro gradu et forma saltem per biennium, et ut regens praefati studii sit magister; ad quae munera assumantur secundum ordinem iustitiae distributivae.

6. Ordinamus, ut magister studentium et baccalaureus ordinarius fiant per consilium rr. pp. magistrorum a reverendissimo patre generali ad hoc deputandorum.

7. Ordinamus, ut in posterum nullus baccalaureus in hac congregatione praetextu sui baccalaureatus alium locum teneat quam suae professionis, nisi realiter et veraciter officium baccalaureatus ordinis in aliquo studio generali exercuerit.

8. Ordinamus, ut studentes formales in hac congregatione sint numero sex eiusdem congregationis secundum ordinem suae professionis, praemisso examine aliisque servatis servandis iuxta nostras constitutiones, ex quibus unus possit assignari ad arbitrium admodum rev. patris vicarii congregationis pro tempore; numerus vero extraneorum quaternarium non excedat; praefati autem studentes immunitatibus et exemptionibus gaudeant pro medietate in una hebdomada et pro medietate in alia.

9. Ordinamus, ut in posterum nullus admittatur ad lecturam theologiae, nisi in integrum artium cursum saltem per triennium praelegerit.

10. Ordinamus, ut lecturae s. theologiae ac philosophiae, quae in conventu s. Dominici de Benevento secularibus a nostris fratribus fieri solet, pro rata habeatur, perinde ac si fratribus esset facta.

11. Ordinamus, ut regens huius studii s. Mariae Sanitatis, quando est magister extra numerum aut actualiter hoc munere fungitur, locum habeat supra baccalaureum ordinarium; expleto vero munere regentatus, habeat locum sicut alii baccalaurei ordinarii.

12. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. ff. baccalaureos Fran-

ciscum Sacconum de Neapoli, Calixtum de Missanello, Paulum Maria ab Arcu de Neapoli, Archangelum Cona de Neapoli, Thomam de Cervino, Ioannem Martium de Argentio, Antoninum Faureau de Kabeirono, Gregorium de Arilza (1), Franciscum Cantelmi de Sora, Michaelangelum Mazza Ferri, Paulum Maria Georgio (2), Thomam Caraciolum, Franciscum Gattola et Ioannem Baptistam Sersalem (3), qui ultimi quatuor in hoc capitulo generalissimo conclusiones theologicas defenderunt.

13. Promovemus ad gradum baccalaureatus rr. pp. lectores ff. Marcum a Falco de Neapoli, Henricum de Neapoli, Ioseph Stagnarum de Neapoli (4), Nicolaum Maria Faraldum de Neapoli, Ambrosium Arilza de Neapoli, Cyriacum de Genua, Thomam de Franciscis de Neapoli (5), Benedictum de Dominicis de Neapoli et Hippolytum Maria Parascandalum de Neapoli (6).

14. Instituimus in praedicatores generales rr. pp. ff. Angelicum de Aquitabili pro conventu Montis Dei de Neapoli, Angelum Lanzettum pro conventu sanctissimae Annuntiatae Acerrarum, Laurentium Filiola pro conventu s. Dominici de Summa, Ioannem Chrysostomum de Neapoli pro conventu s. Mariae de Arcu Miniani, Gregorium Sabaricium pro conventu s. Dominici de Benevento, Hyacinthum de Venusio pro conventu s. Mariae Gratiarum Praiani et Paulum de s. Agatha pro conventu s. Mariae ad Vicum de Argentio.

15. Confirmamus magisteria rr. pp. ff. Vincentii Fasoli de Neapoli, Reginaldi Balsami de Specla, Francisci Marescae de Neapoli, Ioannis Leonardi Vuae de Neapoli (7). Acceptamus etiam magisterium rev. p. fr. Theodosii de Aversa eiusdem congregationis, qui per plures annos fructuose ac honorifice inservivit provinciae Bohemiae, ratum etiam habentes eiusdem examen ibidem factum iuxta tenorem suarum litterarum patentium, ita ut examinari denuo non teneatur, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

16. Volumus, ut magistri, qui in hoc generalissimo capitulo sunt promoti, ingrediantur numerum duodenarium magistrorum in hac congregatione taxatum secundum ordinem professionis; interim vero, qui extra hunc numerum extiterint, gaudeant titulo magistri aliisque gratiis et privilegiis, quibus consimiles magistri in aliis provinciis gaudere solent.

---

(1) De fr. Gregorio de Arilza cf. SSOP. II, 728.
(2) De fr. Paulo Mario Georgio cf. l. c. pag. 585.
(3) De fr. Ioanne Baptista Serrale cf. l. c. pag. 597.
(4) De fr. Iosepho Stagnaro cf. l. c. pag. 655.
(5) De fr. Thoma de Franciscis cf. l. c. pag. 585.
(6) De fr. Hippolyto Maria Parascandalo cf. l. c. pag. 618.
(7) De fr. Ioanne Leonardo Vua cf. l. c. pag. 461.

Pro congregatione Stiriae et Carinthiae.

1. Acceptamus conventum Sabariensem in loco celebri natalis s. Martini episcopi et confessoris, quem in Ungaria cum omnibus illius bonis ordini nostro concessit illustrissimus et reverendissimus dominus Gregorius Drascovitius episcopus Iauriensis, accedente etiam S. Caesareae Regiaeque Maiestatis confirmatione, iungimusque illum conventibus Styriae atque Carinthiae.

2. Confirmamus ordinationes a reverendissimo p. fr. Nicolao Rodulfio, olim generali ordinis nostri magistro, factas, praecipue de surgendo ad matutinas media nocte, de non dando et accipiendo vestiario in pecuniis sub eisdem censuris et poenis, quibus ille mandavit.

3. Similiter confirmamus ordinationes eiusdem reverendissimi olim generalis magistri pro strictiori observantia conventus s. Martini Sabariae et s. Mariae Superioris de Petovio, mandantes, ut illa utrobique optime custodiatur, et in aliis etiam congregationis conventibus pro viribus suaviter promoveatur, et in conventu Graecensi potissimum quoad cibos alternis diebus sit abstinentia a carnibus.

4. Statuimus, ut studia strenue promoveantur, nullusque in studio generali Graecensi lector examinetur, nisi triennium integrum illic reipsa theologiae studio incubuerit publicasque conclusiones propugnaverit.

5. Item ne priores aut locorum praesidentes sub poena excommunicationis latae sententiae et absolutionis ab officio fratres vagabundos et sine licentia adventantes aliter quam in carceribus recipiant.

6. Concedimus conventui s. Mariae de Novoclaustro, ut celebrare possit festum sanctissimi Rosarii dominica 2. octobris propter festivitates aliarum vicinarum ecclesiarum, ob quas populi prima dominica nequeunt ad nostram ecclesiam confluere.

7. Damus in regentem studii nostri generalis Graecensis, nisi aliter provideat reverendissimus p. magister generalis ordinis, p. fr. Mauritium Tirellium ex provincia Hiberniae, ita tamen ut prius renuntiet officio prioratus; in baccalaureum vero p. fr. Albertum Corporalem ex provincia Germaniae Inferioris.

8. Promovemus ad magisterium p. fr. Paulum Merendam priorem Novoclaustrensem et p. fr. Laurentium Gratiani, olim studii Graecensis baccalaureum; ad baccalaureatum vero p. fr. Mauritium Tirellium priorem conventus Graecensis et p. fr. Hilarium Petrobelli Meldulensem pro provinciis, quae huiusmodi gradum admittunt.

9. Revocamus a parochia ad Claustrum p. fr. Dominicum Wisemayer, huius congregationis filium, eique in virtute Spiritus sancti et s. obedientiae sub formali praecepto, nec non sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica admonitione praemissa, mandamus,

ut intra quindenam ab harum notitia reipsa ad dictam congregationem, resignata parochia, se recipiat suoque superiori se ibidem sistat.

Pro congregatione Canariensi.

1. Erigimus vicariam nostram Canariensem in congregationem, separando eam et eximendo a regimine et iurisdictione provinciae nostrae Bethicae, quam volumus immediate subiacere reverendissimo magistro generali; concedimusque huius congregationis fratribus ius eligendi vicarium ex filiis suae nationis iuxta formam ab eodem reverendissimo praescribendam.

2. Concedimus isti congregationi, ut semper deinceps habeat duo magisteria et sex praesentaturas, quarum tres provideantur titulo lectionis et tres titulo praedicationis.

3. Promovemus ad gradum magisterii rev. p. praesentatum fr. Dominicum de Herrera; ad gradum vero praesentaturae titulo lectionis p. fr. Gasparum Cabal et p. fr. Martinum Cotarelo; titulo autem praedicationis p. fr. Ioannem Moura et p. fr. Bartholomaeum de Cabrera cum omnibus gratiis et privilegiis, quibus in nostro ordine magistri et praesentati gaudere solent, servatis servandis.

4. Instituitimus praedicatores generales in ipsa congregatione pro conventu s. Petri Martyris de Canaria p. fr. Ioannem Suarez, pro conventu s. Dominici de la Laguna p. fr. Marcum Perdomo Pimentel, pro conventu s. Michaelis de la Palma p. fr. Paulum Rodriguez, pro conventu s. Mariae de Candelaria p. fr. Ioannem Mendez, pro conventu s. Benedicti de la Orotana p. fr. Ioannem de Avalos, pro conventu s. Sebastiani de Garachicho p. fr. Ioannem Caspedal, pro conventu s. Mariae de Consolatione p. fr. Ioannem Machado cum omnibus gratiis et privilegiis huiusmodi praedicatoribus in nostro ordine concessis.

Pro congregatione Lituaniae s. Angeli Custodis.

1. Finem ultimum litibus, quae hucusque inter nationem Lithuanam et provinciam Poloniae agitatae sunt, imponere cupientes, accedente etiam spontanea concessione ipsiusmet provinciae Poloniae, quae toti iuri suo, quod ad conventus nationis Lithuaniae se habere praetendebat, sponte cessit, concedimus patribus nostri praedicatorum ordinis sub magno ducatu Lithuaniae natis et degentibus, ut suam congregationem separatam et dependentem a provincia et provincialibus provinciae Poloniae cum suo vicario generali itidem a provincia et provincialibus Poloniae independente habere possint; quam eorum congregationem praesenti statuto nostro a provincia Poloniae in perpetuum separamus sicque separatam erigimus et instituimus separatamque, erectam et institutam esse declaramus et denuntiamus sub titulo congregationis Lithuaniae s. Angeli Custodis cum omnibus iuribus, gratiis et privilegiis, quibus eiusmodi in

nostro ordine congregationes gaudere solent ac debent; cui et paternam nostram benedictionem impartimur in Domino.

2. Applicamus ei omnes illos conventus et loca, quae pro nunc habere se dicit, videlicet: Vilnensem s. Spiritus, Seinensem, Merecensem, Derecensem, Ostrovicensem, Grodnensem, Alteaulensem, Caunensem, Rossienensem, Calvarienensem, Viezzboloviensem, Vilnensem ss. Apostolorum Philippi et Iacobi. Ut autem nullatenus conventus provinciarum Poloniae et Russiae praetendant eosque per viam saecularium ac alios quoscumque modos habere contendant, sed se ipsos intra limites magni ducatus Lithuaniae contineant et dilatent, antiquos limites provinciae Poloniae et Russiae per capitula generalia et sedem apostolicam approbatos in nullo alterando ac attingendo, in virtute Spiritus sancti et s. obedientiae, nec non sub formali praecepto et poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda aliisque poenis arbitrariis prohibemus et mandamus; hortantes eos, ut praedicationi verbi Dei, augmento fidei catholicae et religionis sanctae, cuius praetextu hanc dismembrationem petierunt, viriliter et zelose insistant populumque schismate et haeresi infectum ad ovile Christi pro viribus reducere satagant.

3. Declaramus, conventum Brestensem, Ianoviensem, Caminensem in aevum et perpetuis temporibus pertinere ad provinciam Poloniae, sicut de facto nunc subiecti sunt curae eiusdem provinciae; conventus vero Smolencensem, Sklovensem, Minsiensem, Ostrovenensem, Stolpcensem, Rzecivensem, Novogrodensem ad provinciam Russiae similiter in aevum et perpetuis temporibus pertinere decernimus.

4. Et ne alicui fiat iniuria, si inviti hic illic collocentur, damus libertatem et facultatem omnibus et singulis patribus ac fratribus utriusque partis, cuiuscumque gradus et conditionis fuerint, ut cum qua quis parte remanere volet, cum ea licite et libere remanere possit, ita ut et Lithuanis liberum et licitum sit transire et manere in provincia Poloniae, si et in quantum eos dicta provincia acceptare volet, et Polonis similiter sit liberum et licitum transire et manere in congregarione Lithuaniae cum omnibus suis rebus, si et in quantum illos dicta congregatio ad se admittere et acceptare volet; quod intra annum praestare tenebuntur a notitia praesentium et cum licentia a suo quisque provinciali seu vicario generali respective et in scriptis habita; post cuius anni expirationem nemini ad hanc vel ad illam partem transire licebit sub poenis contra fugitivos sancitis, nisi de licentia reverendissimi magistri generalis.

5. Declaramus rev. p. magistrum fr. Sventoslaum Silnicki ad provinciam Poloniae pertinere, destinantes ei conventum Petricoviensem vel alium a rev. admodum p. provinciali designandum.

6. Erigimus pro dicta congregatione Lithuaniae s. Angeli Custodis

generale studium in regali conventu Vilnensi s. Spiritus ad normam et instar studii Bononiensis in nostro ordine cum omnibus iuribus et privilegiis, quibus praedictum studium Bononiense gaudet.

7. Promovemus ad petitionem congregationis ad gradum magisterii rr. pp. baccalaureos ff. Ioannem Ceslaum Baier (1), Gregorium Hluszanin, Alphonsum Kaznovscki, Marcianum Niestoiemski; ad gradum autem baccalaureatus rr. pp. lectores fr. Adamum Tarnavski, fr. Marcellianum Doroszevski, fr. Prudentium Gros; ad praedicaturam vero generalem venerandos pp. ff. Theodorum Kleczkowski, Gregorium Siestrzevitowski, Benedictum Ciprikovski, Ioannem Paulum Sadovski, Benedictum Kacizkovski, Stephanum Bilinski, Paulum Wolinski, Stanislaum Czualinski, Fabianum Ivanovski, Ignatium Vasilevski.

8. Concedimus isti congregationi, ut possit singulis feriis secundis non impeditis recitare officium de s. Angelo Custode ad eum modum, quo feriis tertiis recitatur de s. Dominico patre nostro, eiusque festum suo tempore cum octava solemni celebrari.

9. Concedimus eidem congregationi, ut maius sigillum sub imagine s. patris nostri Dominici de Suriano et sanctis in eius tabula expressis, minus vero sub imagine s. Angeli Custodis habeat.

10. Concedimus conventui Caunensi praedictae congregationis, ut singulis feriis quintis processionem cum venerabili sacramento in sua ecclesia possit facere et festum sacratissimi rosarii cum expositione santissimi sacramenti et processionem intra propriam ecclesiam per totam octavam celebrare.

Pro novitiatu generali Parisiensi.

1. Acceptamus novitiatum nostrum generalem Parisiensem secundum leges eius institutionis, et post auditos in iudicio contradictorio quaerelantium articulos et quaerelati responsiones, nec non visis caeteris omnibus, quae erant videnda, declaramus rev. p. fr. Ioannem Baptistam Carré, qui est modernus prior ac magister novitiorum, legitimam habuisse et habere auctoritatem, quam ei de novo confirmamus in administratione tam spirituali quam temporali praedictae domus, nec non in receptione novitiorum ad habitum et professionem; qui non ipsius novitiatus filii ullo modo censendi sunt, sed pro toto ordine admittuntur, ut, quo placuerit reverendissimo, extra novitiatum illum sive per deputationes sive per assignationes sive per affiliationes suo tempore transferantur, non obstantibus in contrarium quibuscumque affiliationum titulis vel ab iis, qui in eo novitiatu professi sunt, vel ab iis, qui ab aliis conventibus in domum illam se transtulere, quomodocumque aut obtentis aut praetensis,

(1) De fr. Ioanne Ceslao Baier cf. SSOP. II, 589.

quas praesenti decreto ut contra illius novitiatus institutionem factas sic nullas fuisse aut fore declaramus et pro nullis haberi volumus.

Pro monasterio Pruliani.

1. Approbamus consuetudinem a multo tempore introductam celebrandi in utraque ecclesia sub ritu octavae solemnis octavam s. Martini, et concedimus, ut fiat sub duplici officium s. Clarae virginis et s. Elizabethae viduae.

2. Declaramus in Pruliano non solum monasterium sororum, sed etiam conventum fratrum fundatum esse a sanctissimo patre nostro Dominico primo priore, bullisque pontificiis confirmatum, quodque prior nedum fratrum, sed et sororum prior ac superior existat. Ideoque praecipimus priorissae aliisque sororibus, ut dicto priori seu pro tempore praesidenti monasterii tanquam superiori suo ordinario vicesque reverendissimi gerenti obediant.

3. Declaramus et ordinamus, solemnes sororum professiones faciendas esse priori vice reverendissimi patris generalis ac priorissae consequenter, et hoc sub poena nullitatis professionum, si aliter in posterum fiant; velum et scapulare solemniter a priore benedicantur.

4. Prohibemus in virtute Spiritus sancti et s. obedientiae, nec non sub praecepto formali fratribus nostri ordinis, ne sororum confessiones sacramentales excipiant nisi de licentia speciali reverendissimi aut praesidentis monasterii; eodem quoque praecepto praecipimus omnibus sororibus, cuiuscumque gradus et conditionis existant, ne extraneis sacerdotibus confiteantur, nisi forte in casibus a iure expressis; liberum autem illis sit ad confessionalia accedere, cum pro animarum suarum quiete opus fuerit. Conciones vero extraneorum ab ordine non admittantur, nisi raro et de licentia prioris et priorissae.

5. Prohibemus sub eodem praecepto, ne de caetero ulli puellae detur locus ad religionis habitum, nec aliquae pecuniae eo nomine recipiantur aut contractus fiant, nisi prius illa praesentata sit capitulo ab eoque acceptata. Novitiarum vero solemnis professio post expletum annum probationis non possit nisi secundum nostras constitutiones differri.

6. Praecipimus priori et priorissae, ne dent licentiam sororibus egrediendi e claustro propter infirmitates nisi in casibus a concilio Tridentino expressis, et ne egressis prorogent tempus ipsis primo determinatum. Nulla autem persona cuiuscumque sexus intra claustrum earum introducatur sine licentia prioris et priorissae. Puellae, quae in monasterio educantur, et ancillae saeculares dictam clausuram servent nec absque urgenti causa et sine dicta licentia egrediantur. Omnes autem claves exteriores tam portarum quam fenestellae sacrae communioni destinatae a priore custodiantur.

7. Praecipimus priorissae et sororibus, ut in habitu, cantu, inclinationibus et aliis ordinis nostri caeremoniis se conforment nec novitates aut extraneas caeremonias introducant.

8. Ordinamus, ut ad minus ibi sint duodecim fratres assignati, quo decenter divinum officium in ecclesiis fratrum et sororum persolvatur. Eisdem autem fratribus de victu congruo provideatur et singulis annuatim dentur pro vestiario saltem quadraginta quinque librae Turonenses; praecipientes insuper priorissae, ne fratres a reverendissimo ibi assignatos sua auctoritate expellere vel alios retinere praesumat nec adventantes sistat ad monasterii ianuam, sed ad priorem libere ingredi valeant, ipsi de suis obedientiis rationem reddituri; iisque admissis de cibo et lectis charitative expensis monasterii provideatur.

9. Ordinamus, ut iuxta expressam s. p. n. Dominici institutionem, diversis bullis pontificiis confirmatam usuque quasi continuo observatam, bona ipsius temporalia a fratribus administrentur. Commune depositum infra mensem a notitia praesentis ordinationis restituatur eiusque leges exacte observentur, ita ut pecuniae omnes tam annuorum et censualium redituum quam ex receptione puellarum ad habitum provenientes, in illud inferantur nec prius expendantur. Dicti depositi claves sicut et archiviorum serventur una scilicet a priore, altera a priorissa et tertia a sorore per consilium deputanda. Computa singulis mensibus vel saltem intra duos consequenter menses semper reddantur coram consilio. In omnibus contractibus hae apponantur clausulae: prior et priorissa de consilio et consensu patrum et matrum; qui contractus prius a patribus quam matribus subscribantur. Nominatio autem seu praesentatio curatorum illustrissimis dominis episcopis facienda nonnisi a priore et priorissa simul fiat, cum ad utrumque hoc ius pertineat.

10. Ordinamus, ut consilium monasterii constet ex priore et priorissa, quatuor fratribus a reverendissimo instituendis et duodecim sororibus antiquioribus, utrinque computatis illis, quibus de iure per constitutiones competere poterit. In eoque consilio instituatur subpriorissa, quae sit tantum biennalis et per vota secreta; aliaque omnia tractentur, quae ab iisdem constitutionibus vel capitulis generalibus ad consilium referenda esse praescribuntur.

11. Ordinamus, ut unus medicus unusque chirurgus a consilio eligatur pro fratribus ac sororibus omnibus curandis; quibus de communibus monasterii proventibus annua stipendia assignentur, nec teneantur fratres aut sorores in suis infirmitatibus aliquid illis solvere.

Fratres et sorores, qui cum sanctitatis opinione obierunt a tempore ultimi capituli generalis.

In provincia Hispaniae.

1. Obiit Vallisoleti in conventu sancti Pauli reverendissimus dominus fr. Ioannes Lopez (1), Cotronensis prius, deinde Monopulitanus episcopus, qui renuntiato episcopatu ad conventum suum reversus per viginti annos orationibus, eleemosinis aliisque piis operibus deditus, editis multis in lucem libris, ad coelestem vitam vocatus est centenario maior et inter fratres tumulatus iacet.

2. In eodem conventu obiit rev. p. fr. de la Puente (2), sui instituti custos integerrimus, qui per triginta annos in choro sacris vigiliis continue assistens, corporis demum maceratione consumptus, magnam virtutis opinionem reliquit.

3. In conventu sancti Dominici de Huete obiit venerabilis p. fr. Ioannes de Roa praesentatus, tanto pietatis splendore insignis, ut meruerit speciali ac honorabiliori loco inter fratres sepeliri; communi populorum et voce et ad sepulchrum concursu sanctus acclamatus; multis miraculis claruit et quotidie claret, quorum plurima dioecesana auctoritas post diligentes disquisitiones comprobavit.

4. In conventu sancti Andreae Metinensis obiit ven. p. fr. Ioannes de Mata (3) praedicator generalis, ac plane pius et fervidus in devotione Deiparae virginis eiusque praecipue rosarii propaganda, tum verbo, tum exemplo, tum piae doctrinae editis libris.

5. Compostellae diem clausit ultimum ven. p. fr. Dominicus de sancta Maria conventus Lucensis, a iuventute omni virtutum genere excultissimus ac suae professionis observantissimus. Vir plane apostolici pectoris, magno animarum zelo per totam vitam praedicationi insistens, per totum Galletiae regnum iam mortuus de vitae sanctitate et innocentia deque patratis mirabilibus dilaudatur.

6. In conventu sancti Petri Martyris Toletani p. fr. Hyacinthus de la Oliva, per quinque annos variis formis visibilibus a daemone impetitus, patientia et obedientia clarus, eximiam sanctitatis opinionem obiens reliquit.

7. In eodem conventu Toletano eximius vir fr. Dominicus Gonzales, laicus, abstinentia, vigiliis carnisque omnigena maceratione plane rarus, ut ostendunt catenae, cilicia, cruces ferreae clavis armatae aliaque id

---

(1) De fr. Ioanne Lopez cf. SSOP. II, 474.
(2) De fr. Ioanne de la Puente cf. l. c. pag. 460, MOPH. XI, 76.
(3) De fr. Ioanne de Mata cf. SSOP. II, 523.

genus, pretiosa monilia nobis relicta; periculosissimos adversarii insultus tum visibiles tum invisibiles devicit, miris documentis spiritualis doctrinae ab ipsa sibi amantissima aeterna sapientia fuit instructus; summa laetitia nuntium mortis sibi iam propinquae accepit; eius funus maxima populi devotio manus ac pedes osculantis avidissime cohonestavit.

8. Ex conventu de Victoria ven. p. fr. Martinus de Araoz, virtutis olim ac studii iactis fundamentis totum se animarum saluti impenderat; quo in munere praeclare serviens et dies totos misericordiae, doctrinae et pietatis operibus consecrans, noctesque in ecclesia ad orationem et canticum Domini pene insomnes ducens, demum Vallisoleti virtutibus ac laboribus dives, mortem laetissime aspexit magna cum sanctitatis opinione.

9. In conventu sancti Pauli Burgensis fr. Rodericus de sancta Maria, conversus, charitate circa aegrotos ac pauperes ferventissimus, patientia et poenitentia suique mortificatione praeclarus; in Deiparam virginem tenerrime affectus ac demum omni virtutum supellectili ornatus, obiit cum magna virtutis opinione, cunctis pauperibus communem patrem in eius funere lugentibus.

10. In conventu sancti Iacobi Pampilonensis ven. p. fr. Ioannes de Lezcano, primariae illius universitatis cathedrae eximius moderator, omnium virtutum laude et sanctitatis fama insignis, lucerna ardens et lucens pluresque alios incendens ad suae professionis rigorem; exemplo, verbis et scriptis conquisita et sibi et religioni maxima aestimatione e vivis excessit.

11. In monasterio monialium Matris Dei de Toledo floruit mater Maria de sancto Augustino, a teneris annis praeventa a sponso miris favoribus; sed postquam trigesimo tertio aetatis anno mirabili prorsus conversione ipsi totaliter adhaesit, indecibiles fuere raptus ac favores, inextinguibiles amoris flammae, iugis in caelis conversatio, ut visum plane sit, in ea spiritum nostrae Senensis matris revixisse.

12. In conventu poenitentiae Vallisoleti soror Maria Baptista, supprioriss a, eximia Christi sponsa, ab ineunte aetate tum gratiis tum miraculis praeventa, totam vitam laethali culpa duxit expertem; nec tantum virginitate floruit perpetua, verum et omni libidinis sensu plerumque caruit; frequentissimos mentis raptus patiebatur sine exercitio sensuum; daemonum impetus frequenter perpessa, illorum probatam imbecillitatem aspernabatur. Demum charitate, obedientia, humilitate et mortificatione specialiter nitens, hora mortis, diris doloribus cruciata, etiam insuperabilis patientiae reliquit exempla.

13. In conventu s. Blasii de Lerma obiit soror Anna de Iesu, poenitentia et abstinentia insignis, magna sanctitatis opinione relicta.

14. In conventu sanctae Catharinae de Toro soror Mariana Fonseca patientiae fuit admirandae; siquidem membrorum fere omnium dissoluta compagine, spatio annorum quatuordecim nec verbum protulit impatiens, nec virginei vultus hilaritatem aliquo moerore contraxit.

15. In civitate de Guadalaxara obiit domina Aldenza de Ollauri, ordinis nostri tertiaria, quae, quoad vixit, omnium virtutum specimen praebuit, et post obitum apud hominum memoriam in benedictione est.

16. In oppido de Hiepes domina Laura de Fresno, etiam tertiaria, mirae modestiae, charitatis, castitatis et poenitentiae ad exemplum magnae Catharinae propriis vestibus ex misericordia nudabatur, ut egenos indueret. In eius manibus panis quandoque auctus, nec semel a daemone acriter vexatam, sanctissimi Dominicus, Thomas et Petrus Martyr suis apparitionibus et caelestibus colloquiis recrearunt; tandem bonis operibus plena animam deposuit in manibus sponsi, aetatis suae anno trigesimo tertio.

In provincia Aragoniae.

1. In conventu nostro s. Pauli et Thomae civitatis Segobricensis obiit cum magna sanctitatis opinione ven. p. fr. Thomas Sales, praesentatus, filius conventus s. Honuphrii regni Valentini, vir plane nostrarum constitutionum observantissimus, charitate erga proximos et maxime infirmos pauperes insignis; spiritu prophetico praeditus, humilitate aliisque plurimis virtutibus ornatus; in cuius obitu ad venerandum eius corpus ingens populi multitudo totumque cathedralis ecclesiae capitulum convenerunt.

2. In civitate Algerii obiit cum fama martyrii ven. p. fr. Iosephus Morant, filius conventus Corporis Christi de Luchente, in quo mire divinae bonitatis magnitudo splenduit; etenim cum per octo annos durissimam substinuisset captivitatem, a fide catholica et religione magno cum christianorum ibi morantium scandalo et animi dolore publice apostatavit; sed iterum paucis post mensibus, divina ei opitulante gratia die septima ianuarii anni 1643 magno catholicae religionis fervore incensus, coram supremo illius civitatis iudice, vulgo il Baxa, eiusque consilio, vulgo la Duana, se praesentavit; quibus coram perfidum Mahometum eiusque impiam sectam detestatus, se christianum esse proclamans, denudatus propositisque Turcarum vestibus Christi Domini nostri fidem palam professus est. Minati sunt barbari illum, ni desisteret, igni tradendum; quibus respondit, nihil ferventius optare, ut eos, quibus scandalo fuerat, suo nunc exemplo aedificaret. Iubetur in carcerem mitti varieque nunc minis, nunc libertatis et divitiarum promissionibus tentari; immissis etiam ad eius constantiam labefactandam pulcherrimis mulieribus; sed cum nihil proficeret tyrannorum crudelitas, imo constantior Christi martyr evaderet,

igni comburendus traditur; quod acerbissimum martyrii genus laetissime constantissimeque pertulit, Deum beatamque virginem Mariam de rosario et sanctissimum patriarcham nostrum Dominicum, etiam inter flammas, maxima cum adstantium chistianorum admiratione laudando obdormivit in Domino die 10. eiusdem mensis; cuius corpus integrum atque omnino illaesum cum eadem naturali albedine a christianis concaptivis repertum et honorifice sepultum magna cum devotione asservatur et colitur.

3. In conventu sancti Petri Martyris villae de Benevarre obiit soror Martina de los Angeles, alias de Arilla, una ex fundatricibus eiusdem, et conventus Sanctae Fidei Caesaraugustae filia, quae iam ab infantia Deum miris modis orando, ieiunando, super tegulas et nudam terram dormiendo colere coepit; quam consuetudinem ferventius post assumptum religionis nostrae habitum ad obitum usque mirifice observavit. Virtutibus, praesertim humilitate, fervoris devotione, assidua meditatione et oratione, corporis maceratione et regulari nostrarum constitutionum observantia splendens, saepe a beata virgine et Christo Domino, ei visibiliter apparentibus, consolatur caelestibusque favoribus donatur; inter quos ille praecipuus habetur, quod duobus ante obitum suum annis ab eodem Christo cor eius sensibiliter sagitta transfigitur; post cuius obitum, sicut ipsa suo confessario praedixerat, vulneratum repertum est. Diem obitus sui praedixit, et ab omnibus eiusdem loci incolis eius corpus magna in veneratione habetur et maximis miraculis fulget.

In provincia Regni.

1. Obiit fr. Hyacinthus Amalphitanus, conversus, in conventu sancti Dominici de Neapoli, cuius erat filius; qui in summa paupertate ac devotione vivens, nec cellam nec quidquam aliud particulare possedit, sed manens in ecclesia diu noctuque supra duram humum cubabat corpusque continuis ieiuniis atque disciplinis macerabat. Capellam sanctissimi sacramenti et sancti Dominici maximis reditibus praedotavit ob singularem populorum erga ipsum devotionem, sicut in eius felici obitu expertum est; in magno namque numero ad eius cadaver cum lacrymis et summa pietate accesserunt.

2. Item obiit soror Iudicta de Aquino Neapolitana, tertii ordinis; quae ab infantia ieiuniis et vigiliis exercitata, in omni pietate et devotione enituit; multa praedixit, quorum veritatem probavit eventus; et tandem post vitam sanctissime peractam animam Deo reddidit, atque factus est in eius funere magnus populorum concursus.

3. Item obiit in conventu s. Mariae Gratiarum terrae s. Marci de Cavotis ven. p. fr. Ludovicus de Magdaleno, s. theologiae lector, filius conventus s. Dominici de Neapoli, qui auctor et fundator fuit strictioris

observantiae sancti Marci de Cavotis, et vivens regularis disciplinae omniumque virtutum se exemplar exhibuit, ac magnam in sui obitu sanctitatis famam reliquit.

In provincia Provinciae.

1. In monasterio sanctae Catharinae de Laniac obiit cum opinione sanctitatis soror Agnes de Iesu nuncupata, quae ad supremum usque vitae spiritum perfectionem anhelans, assiduis meditationibus, vitae austeritate et vera humilitate summopere enituit.

2. In civitate Toloni obiit soror Magdalena Marina, cuius vitam purissimam mors ita pretiosa consequuta est, ut famam sanctitatis eius attestatus sit maximus ad exequias cleri et populi concursus cum praecisione vestium; detulerat habitum tertii nostri ordinis patenter per annos circiter quadraginta.

In provincia Trinacriae.

1. Ven. p. magister fr. Decius Carrega (1), observantiae regularis anxius custos, adeo zelo plenus erat, ut omnibus molestus videretur; orationi et ieiuniis assiduus vacabat ac semper pauperem vitam duxit, apud principes et cunctum populum communis habitus pater, in consiliis dexteritate celebris, tandem Panormi, cunctis lugentibus, felicissime obdormivit in pace, ubi cum maxima devotione et frequentatione a populo visitur et colitur.

2. Ven. p. magister fr. Vincentius Giancardo, rigidus observantiae regularis custos, ter provincialatus munere functus, placide optima sui existimatione relicta quievit in Domino.

3. Ven. p. fr. Matthaeus Rispoli de Melita eximius praedicator, ad arguenda vitia facilis et promovendae regularis observantiae semper sollicitus, demum Catenae, praedicationis munus obiens, vita functus est, universi populi acclamatione et signorum etiam attestatione beatus.

4. Ven. p. fr. Petrus de Caltagirone vitam duxit quasi irreprehensibilem, constitutionum nostrarum observantissimus, obedientiae adeo subiectus, ut nullus unquam de eo conquereretur superior; ac tandem sanctitatis et miraculorum fama illustris animam Deo reddidit.

In provincia Portugalliae.

1. Ven. p. magister fr. Andreas de s. Thoma, primarius Conimbricensis academiae sacrae theologiae professor, regularis disciplinae exactissimus observator, vitae innocentia et austeritate insignis, mortis suae tempus et modum praedixit, et tandem cum communi sanctitatis opinione feliciter quievit in conventu Conimbricensi.

2. Ven. p. magister fr. Hieronymus de Passione, provinciae Portugalliae filius, postquam per plures annos in congregatione Indiarum Orien-

---

(1) De fr. Decio Carrega cf. SSOP. II, 532.

talium in evangelii praedicatione, lectione et vicarii generalis munere bis peracto multum laborasset, et in illa congregatione sanctitatis opinionem esset consequutus, tandem dum a sancto inquisitionis officio ad destruenda idola missus esset, in ipso huius sancti muneris exercitio ab idololatris in odium fidei et sancti officii interficitur; quare ab ordinario martyr est iudicatus, et ab omnibus ut talis summa veneratione colitur, contestantibus etiam eius sanctitatem plurimis sanitatum signis, quae Deus ad eius sepulchrum operatur.

3. Fr. Gregorius de Sanctis, conversus conventus Elvensis, per totum vitae suae spatium proprium non possedit lectum, sed noctes in ecclesia super nudam terram consumpsit, quousque iam plusquam septuagenarium et paucis ante obitum suum mensibus obedientiae praecepto coactus ad parvum cubiculum se recepit. Vulgo et merito pater pauperum dicebatur et a proceribus regni ut sanctus communiter venerabatur; ac tandem in suo conventu mortuus et a pauperibus publicis declamationibus deploratus, non pauca etiam post mortem sanctitatis suae reliquit testimonia.

4. In monasterio sanctissimi Corporis Christi Ulissiponensis soror Victoria humilitate et devotione insignis, vitae innocentia et asperitate mirabilis; cuius faciem adhuc in seculo degentis eius confessarius cum ad sacram eucharistiam accederet, magna perfusam luce aspexit; tandem post prolixum morbum et ingentes dolores perpessos mortua est, rarum patientiae exemplum relinquens.

5. In monasterio s. Catharinae Senensis civitatis Eborensis soror Ludovica de Deo, excellentissimorum comitum de Vimioso filia, caelorum regi feliciter desponsata, reciproci et ferventissimi amoris inter ipsam et sponsum non levia exhibuit et adhuc vivens recepit indicia; ac tandem omnium virtutum exemplar et ingentem sanctitatis opinionem moriens reliquit.

In provincia Calabriae.

1. Obiit cum opinione sanctitatis p. fr. Ioannes Baptista de Polistina, lector, vir mirae observantiae in toto suae vitae decursu; in cuius corpore post mortem reperta fuit ad carnes ferrea catena et suavissimus odor violarum in cella, in qua obiit, nares omnium occupavit.

2. Item rev. p. magister fr. Ioannes de Blanco, vir mirae patientiae, alienissimus ab omni ambitione et semper hilaris in adversis et in ultimo suae vitae post diuturnam patientissime toleratam infirmitatem alternatim auditus est recitare officium divinum, ut pie creditur cum angelis.

3. Item p. fr. Dominicus de Suriano, obiit in eodem sacro conventu, in quo semper vixit; vir observantissimus, humillimus et etiam erga conversos et caeteros inferiores; perpetuo diu noctuque choro assi-

stens, orationibus semper vacans et fere singulis noctibus disciplinis sese affligens.

In provincia Hiberniae.

1. Ven. p. fr. Arthurus Geoghegan (1) post peractum in Hispaniis studiorum cursum et pertractata cum dexteritate ordinis negotia sibi demandata, ad suam provinciam rediens, in itinere ab Anglis comprehensus et carceri Londini mancipatus, plures calumnias in odium fidei ab haereticis perpessus, de crimine laesae maiestatis, ut ibi moris est, expositus, tandem ad patibulum ductus post publicam fidei catholicae et religionis dominicanae protestationem suspensus et adhuc semivivus membratim discissus, eiusque intestinis igne concrematis, mortem gloriose subiit anno Domini 1633.

2. P. fr. Petrus Higgin (2), qui post initum a catholicis regni Hiberniae pro fide et patria libertate bellum ab haereticis captus, post tetrum carcerem et diuturnam inediam, nemine licet accusante, quin potius plurimis ex ipsis haereticis innocentem verbo et scripto acclamantibus, facta ter sacramentali confessione priori suo, simulato habitu ad eum accedenti, et absolutione toties percepta publice de innocentia sua, fide catholica et ordine praedicatorum, quem professus est, testimonium reddens patibulo in foro civitatis Dubliniensis suspensus obiit die 23. martii 1641; eius in tormentis constans animus et animi in vultu expressa laetitia ex ipsis haereticis complures ad lacrymas et singultus movit, alios ad maiorem rabiem, qui in defunctum cadaver furorem suum resumentes nudum ludibrio omnium exposuerunt, sepulturam ei intra civitatem denegarunt, extra portas dum duceretur, sclopeti ictu caput ei fregerunt variisque id genus iniuriis affecerunt.

3. P. fr. Stephanus Petit (3), dum catholicos in fide animaret et in mediis bellorum et conflictuum periculis eorum animabus medendis consuleret, et praedicatoris simul ac confessarii munus cum laude gereret, in praelio adversus haereticos sclopeti percussus globulo vitam cum morte mutuavit.

4. Fr. Raymundus Keogha ab haereticis in odium fidei interfectus obiit.

5. Fr. Cormacus Eganus conversus ab haereticis suspensus fuit.

6. P. fr. Thomas Poetius ab ipsa sua iuventute devotissimus, modestus, humilis, in matura aetate totum se operibus charitatis ac proximo-

---

(1) De fr. Arthuro Geoghegan cf *Hibernia Dominicana* l. c. pag. 559.

(2) De fr. Petro Higgin cf. l. c. pag. 561.

(3) De fr. Stephano Petit, Raymundo Reogha, Cormaco Egano, Thoma Poetio, Edmundo (*al.* Raymundo) O-Hehir, Ioanne Davidis, cf. l. c. pag. 563.

rum saluti impendit, in praedicatione verbi Dei assiduus, tandem post multos cum fructu exantlatos labores, sacra eucharistia refectus, pulpitum pro more conscendens ac mortem suam imminere praedicens in medio concionis fervore.

7. P. fr. Edmundus O-Hehir, post peractum studiorum cursum ad propria proximorum saluti consulturus rediens, a Turcarum classe cum aliis captus, in diram arctus servitutem ac variis tormentorum generibus excruciatus, ut a fide recederet, verberibus et flagellis caesus ac ferreis aculeis in unguibus excarnificatus, constantissimus semper fuit; concaptivis christianis exemplo, monitis, praedicatione et sacramentorum ministerio per plures annos plurimum profuit. Tandem a servitute liberatus, totus orationi et divinorum contemplationi intentus, vitam duxit religiosissimam, quam sequuta est mors in Domino pretiosa.

8. P. fr. Ioannes Davidis innocentia ac humilitate conspicuus, erga beatam virginem Mariam devotissimus et rosarii eius propagator zelantissimus, in bona senectute moriens inopinato fratrum suorum ex omnibus regni finibus concursu meruit consolari; quibus brevi oratione ad regularem observantiam augendam adhortatis obitum suum praedixit ac eos illuc confluxisse, ut sepulturae corpus eius traderent, declaravit; et demum sacramentis omnibus maxima cum devotione perceptis, obdormivit in Domino.

In provincia Venetiarum.

1. In conventu Utinensi obiit die 4. aprilis 1643 ven. p. fr. Bernardinus Gauslinus (1), regularis vitae zelantissimus servator ac promotor. Hic strictiorem observantiam quartodecimo a sua professione anno adeo est complexus, ut totius religiositatis exemplar extiterit; ordinis ieiunia ad unguem servavit, a carnibus nisi gravi infirmitate coactus semper abstinuit; longissima itinera pedester confecit, praesertim provincialis et alias visitatoris munus pluries subiens, totam provinciam baculo innixus visitavit, terque Romam similiter adiit; matutinis precibus media nocte etiam in adversa valetudine adfuit; otium strenue persequutus neque post matutinas per annos quindecim quievit; orationibus ac studiis intentus; ordinis amator. Romae pro beatis Iacobo Salomonio, Ambrosio Senen. ac Alberto Magno nimium insudavit, ac de primis duobus in toto ordine, de tertio autem in tota Germania officium celebrari tandem obtinuit. Obedientiae addictus, castitate, immo virginitate, confessoribus testibus, enituit, humilitatem ac paupertatem summopere coluit, magisterii lauream saepius oblatam recusavit; viles et pannosas vestes etiam provincialatus officio constitutus induit, recti tenacissimus, in bonis ecclesiasticis recu-

(1) De fr. Bernardino Gauslino cf. SSOP. II, 531.

perandis atque instaurandis, spiritu pauperrimus, plurimum laboravit. Regularem observantiam in conventu Foroiuliensi, Utinensi et monialium s. Mariae a Cella, zelo religiosissimo adiuncta singulari prudentia, promovit; in pluribus ac gravissimis persequutionibus aliisque adversitatibus dono patientiae et fortitudinis atque constantiae excelluit. Tandem Utini prioris officio fungens, post multos pro religione et observantia regulari fusos sudores, laboribus fractus, meritis plenus, prope septuagenarius caelum, ut pie creditur, praemia percepturus ingreditur ipso sabbato sancto, pascha cum beatis laetius celebraturus.

In provincia sanctissimi Rosarii Philippinarum.

1. Venerabilis pater fr. Ildefonsus Navarrete provinciae Hispaniae, protomartyr nostri ordinis in Iapponiae regno, gladio percussus interiit; hunc sequuti in martyrii palma ab anno 1617 ad 1622:

2. Venerabiles pp. fr. Ildefonsus de Mena et Thomas de Zumarraga provinciae Hispaniae.

3. Venerabiles pp. fr. Hyacinthus Orfanel et Mantius a sancto Thoma provinciae Aragoniae.

4. Venerabilis p. fr. Angelus Orsuccius provinciae Romanae.

5. Venerabiles pp. ff. Franciscus Morales, Petrus Tarques, Iosephus a sancto Hyacintho provinciae Hispaniae; simul et tres tertiarii professi nostri ordinis, Dominicus, Ioannes et Leo natione Iapponii, qui omnes lento igne consumpti sunt.

6. Eodem ferme tempore venerabilis pater fr. Thomas a Rosario et fr. Alexius Zumbaxo, laicus professus, pro Christo occubuerunt.

7. Ab anno 1626 ad 1628 martyrium passi sunt in eodem imperio Iapponiae: venerabilis p. fr. Ludovicus Xarch Bertrandus, consanguineus ex matre sancti Ludovici Bertrandi, provinciae Aragoniae, una cum duobus fratribus conversis et professis nostri ordinis Iapponibus, Mantio a Cruce et Petro a s. Maria.

8. Etiam martyrio coronatus est Michael, religiosus professus tertiarius ordinis nostri.

9. Venerabilis p. fr. Dominicus Castellet provinciae Aragoniae et fr. Thomas a s. Hyacintho et fr. Antonius a s. Dominico, clerici professi ordinis nostri, natione Iapponii lento igne consumpti fuerunt.

10. Ab anno 1633 usque ad annum 1635 venerabiles pp. fr. Dominicus de Erquitia et fr. Lucas a Spiritu sancto, ambo provinciae Hispaniae, p. fr. Iacobus a s. Maria Iapponius cum alio religioso nostri ordinis pluries aquae tormento repetito afflicti, tenuique ferro acuto inter unguem et carnem ad articulos usque digitorum perforati, pedibusque in aere suspensis, immersis capitibus et super foveam suspensi, animam Deo suo commendarunt.

11. Eiusdem generis martyrio passi sunt anno 1636 venerabiles pp. fr. Iordanus a s. Stephano provinciae Siciliae et fr. Thomas a s. Hyacintho natione Iapponius, Marina et Magdalena sorores professae tertii nostri ordinis.

5 12. Idem martyrii genus sustinuere anno 1637 venerabiles pp. fr. Antonius Gonzales et fr. Michael Ozaraza, ambo provinciae Hispaniae; fr. Guglielmus Courte congregationis s. Ludovici, fr. Vincentius a Cruce Iapponius; sed fratres Guglielmus et Michael ultimo fuerunt decollati.

13. In insula Formosa anno 1638 venerabiles pp. fr. Franciscus a 10 s. Dominico et fr. Ludovicus Muro, ambo provinciae Hispaniae, a barbaris sagittis confossi, palmam martyrii consecuti sunt.

14. Anno 1633 ex eadem insula in Iapponiam proficiscens venerabilis p. fr. Hyacinthus de Esquivel, provinciae Hispaniae, in medio suae navigationis ab infidelibus lancea confossus, martyrio coronatus est.

15 15. Anno 1631 ex praedicta insula venerabilis p. fr. Thomas de Sierra, Sardinius, in Chinam ad praedicandum missus, in navigatione sua ab infidelibus Chinensibus fustibus mactatus fuit.

16. In oppido Novae Segoviae Philippinarum anno 1624 a barbaris necati fuerunt venerabilis p. fr. Ildefonsus Garzia, provinciae Hispaniae, 20 et fr. Honufrius, laicus professus.

17. In regno Chinarum venerabilis p. fr. Angelus Cocchi, Florentinus provinciae Romanae et conventus s. Dominici Fesularum filius; non valentibus aliis praeclarissimis patribus antea regnum illud ingredi, ipse miraculose penetravit sibique et aliis missionariis aditu in illud reserato, 25 non paucos ibi Christo lucratus est; suarumque virtutum maximum odorem post mortem relinquens in pace quievit anno 1633.

18. In Philippinis obiit anno 1631 venerabilis p. fr. Thomas Gutierrez; postquam a iuventute sua in sacro praedicationis ministerio infatigabiliter laboravit et in reducendis infidelibus ad fidem catholicam 30 multos labores perpessus, ab inimico generis humani visibiliter territus et exagitatus, charitatis, patientiae caeterarumque virtutum omnium se ipsum iugiter praebuerat exemplar.

19. Venerabilis p. fr. Matthaeus Cobisa provinciae Hispaniae, vir devotus et disciplinae regularis observantissimus, dono prophetiae clarus, 35 visionibus sanctorum in somno et vigilia cum magna animae dulcedine saepe ac demum in articulo mortis suae recreatus, obdormivit in Domino anno 1632.

20. Venerabilis ac illustrissimus et reverendissimus d. d. fr. Didacus Aduarte, episcopus Novae Segoviae, qui antea in illa provincia in regno 40 Camboxiae et aliis infidelium regnis maximo cum labore in vinea Domini operans, postea in Hispaniam missus et in curia regia procuratoris ge-

neralis pro illa provincia officium triginta annorum tempore exercens, demum de licentia superiorum multos religiosos secum conducens iterum in provinciam ss. Rosarii se transtulit, ubi post aliquot annos in eo ministerio transactos, obedientia coactus episcopalem dignitatem humiliter acceptavit; quo in munere ita se gessit, ut sanctorum episcoporum tam in paupertate quam etiam in charitate erga pauperes verus aemulus, immunitatisque ecclesiasticae acerrimus defensor semper extiterit; qui tandem plenus bonis operibus magnisque virtutibus ornatus, sacramentis ecclesiae refectus, obiit anno Domini 1637, magna sanctitatis aestimatione relicta.

21. Venerabilis p. fr. Ioannes a s. Thoma, provinciae Hispaniae, unus ex fundatoribus provinciae ss. Rosarii, vitae regularis observantissimus et, ut a confessario, qui in articulo mortis confessionem generalem totius vitae eius excepit, fuit relatum, nunquam laethali crimine foedatus, demum prope centenarius, sed operum magis quam dierum plenus, migravit ad Christum anno 1638.

22. Venerabilis p. fr. Baltasar Fort, provinciae Aragoniae filius et provinciae sanctissimi Rosarii aliquando provincialis, post multos annos in Christi ministerio laudabiliter consumptos strictissimae illius provinciae vitae regularis amator aliarumque virtutum imitator, senio confectus, felicissime animam suam conditori suo tradidit anno 1640.

23. Eodem anno venerabiles pp. fr. Didacus de Toro, fr. Hyacinthus a s. Hieronymo, fr. Gaspar de Casa Blanca et fr. Franciscus Rodriguez, laicus, cum sanctitatis bono odore in Domino quieverunt.

In provincia s. Catharinae Martyris del Quito.

1. In conventu s. Petri Apostoli de Pellileo obiit venerabilis p. mag. fr. Sebastianus Rozero, quondam provincialis, natus in Indiis, qui summo religionis zelo, regulari observantia, scientiarum ac virtutum omnium perpetuo cultu vixit et virginitatis candorem usque ad mortem servavit; ex cuius defuncti corpore suavissimus odor manavit.

2. In conventu s. Petri Martyris de Quito obiit venerabilis p. fr. Ludovicus Zacher, religiosae observantiae custos, litteris praeditus, pietate clarus et virginitatis amator; ad cuius corporis venerationem magna populi frequentia convenit.

3. In conventu de la Penna de Francia obierunt fr. Dominicus Frayle, fr. Franciscus de s. Michaele, conversi, religiosis virtutibus clari et cum magna sanctitatis fama.

In congregatione Gallicana.

1. Venerabilis p. fr. Petrus Quintin, ortu nobilis, virtute nobilior, suscepto aetate iam satis provecta religionis habitu, in observantia Rhedonensi orationi, vigiliis, ieiuniis, humilitati, sed in primis obedientiae

studuit. Insigniter doctus, in sancti Pauli lectione totus singulis diebus dominicis et festis, sanus aut aeger, aestate et hyeme, discurrebat ad multa milliaria, ut praedicaret Christum crucifixum, his verbis seipsum in mediis itinerum laboribus adhortans: vae mihi, si hodie non evangelizavero. Pater simul ac praeceptor pauperum, qui ex omnibus partibus divino quodam instinctu ad ipsum confluebant; huic interdum acrius inter praedicandum in peccatores invehenti, scelerati quidam proterve mortem comminati, coram praesente vel iras posuerunt vel in amentiam conversi sunt. Vino abstinuit, et saepe praedicantem per quadragesimam panis grossior et aqua frigida cibaverunt revertentem e quotidianis praedicationibus; viderunt illum fratres imbre perfusum et incoenatum media nocte surgentem ad matutinas. Hanc orsus vitae rationem per multos annos continuatam finivit in conventu Vitreensi, dum e capitulo rediret, concurrentibus ad funus ignoti et peregrini hominis, cunctis catholicis et frusta vestium asportantibus atque ex contactu eorum redditam multis aegrotis incolumitatem asseverantibus.

2. Venerabilis p. fr. Petrus Jovauld, doctor facultatis Parisiensis, restituendae regularis disciplinae et strictioris observantiae praesertim in Britannia Armoricorum conventibus auctor fuit et propagator; ob quam rem plurima mala, difficultates, opprobria et calumnias infracto animo et cum summa humilitate simul ac patientia perpessus, tandem dierum plenus et bonorum operum cunctis sui desiderium reliquit et constantem insignis sanctimoniae famam.

3. Venerabilis p. fr. Petrus de Monchault, in theologia magister et regens Parisiis ac Rhedonibus, homo apprime bonus, doctrina sublimis, sui ipsius aestimatione demissus, honores et praefecturas conventuum perpetuo respuens, sacrarum constitutionum observantiae ad unguem addictus, docendis fratribus sedulus, saecularium excipiendis confessionibus assiduus, visendis aegrotis indefessus et opportunus consolator; operibus demum misericordiae omnibus omnia factus obiit Rhedonibus cum ingenti pietatis exemplo et omnium bonorum luctu.

In congregatione s. Ludovici.

1. Venerabilis p. fr. Petrus Giraldellus, professus conventus Tholosani civitatisque Tholosanae inquisitor, dono contemplationis insignis, spiritu coram Deo semper assistens; verba scurrilia proferre nunquam auditus, irasci nunquam visus, devotissimus beatissimae Virginis, cuius aliquando visionibus recreabatur; luce caelesti aliquando caput in oratione circumfusus dicebat: « Domine, et luce tua circumfunde manus, multa enim cognosco, sed manus operi non admoveo ». Vere mitis et humilis, dilectus Deo et hominibus obiit Romae provincialem Angliae agens.

2. Ex eadem congregatione venerabilis p. fr. Guillielmus Courtet, professus conventus Albiensis, saevissimis suppliciis pro Christi confessione cruciatus una cum aliis quatuor ordinis nostri martyrii palmam consequutus est in Nangiaschi apud Iapponem anno 1637; hunc ad tantam gloriam deduxit Deus via mirabili, ut vere dicamus, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

In congregatione Sanitatis.

1. In conventu s. Mariae Sanitatis de Neapoli obiit p. fr. Cornelius de Avitabili, s. theologiae magister, qui per totam vitam et maxime in regimine pluries exercito fuit recti tenacissimus ac summae simplicitatis vir, orationi mentali summopere deditus et observantiae regularis nimis affectus; quem denique summa charitate et amore in Deum et proximum flagrantem sequuta est mors religiosissima, populo ad eius visendum corpus undique concurrente et vestium particulas auferente.

2. Item Neapoli prope conventum s. Spiritus obiit soror Paula de s. Thoma, monialis tertii ordinis, cum fama sanctitatis in vigilia s. p. Dominici, prout multo ante sibi praedixerat; quae ad annos sexaginta vivens in omnibus charitatis officiis se mirifice exercuit, praecipue in educendis a lupanari prostitutis mulieribus et aliis obstinatis peccatoribus ad Deum trahendis, corpus disciplinis ferreis usque ad sanguinis effusionem et catenis in servitutem redigens, carnem ieiuniis in pane et aqua continuo macerans, prophetico lumine clara, laethalis criminis per totam vitam innoxia, ut in processu iussu ordinarii formato eius confessarii testati sunt; tandem multis clara prodigiis quievit in Domino; post cuius obitum inventum est cor eius a corpore extractum crucifixi imaginem, cuius erat devotissima, continere; sepulta est in ecclesia s. Spiritus de Neapoli.

3. Item in conventu Sanitatis obiit p. fr. Horatius de Neapoli lector, qui ex provincia s. Thomae ad congregationem Sanitatis veniens diu cum summa humilitate, paupertate et obedientia vivens, puritate et spiritu prophetico clarus, maxima populi frequentia fuit in morte decoratus; ex cuius intercessione multas a Deo gratias fideles testantur se recipisse.

4. Item in conventu Montis Dei de Neapoli obiit p. fr. Petrus Martyr de Trano, vir summae simplicitatis et exactissimus imitator morum et sanctitatis bonae memoriae patris magistri fr. Marci de Marthenisio, huius congregationis fundatoris; obiit cum opinione sanctitatis, quam vivens apud omnes sibi comparaverat.

7. In conventu s. Maria Sanitatis obiit p. fr. Ioannes de Rocca Aspri, septuagenarius, qui asperrimum sibi vitae genus poenitentiis plurimis, disciplinis, ciliciis, abstinentiis ac diutino multorum annorum ieiunio semel

tantum in die comedens usque ad extremam horam elegit; fuit contemplationibus divinis summe addictus, ita ut in eis saepissime pernoctaret, silentii tenacissimus ac solitudinis supra modum amantissimus, adeo ut heremiticam vitam, nunquam per multos annos e conventu egrediens, ducere videretur. Missae sacrificium quotidie cum lachrymis et summa spiritus suavitate peragebat, maximam denique apud omnes tum fratres tum saeculares in vita et in morte sanctitatis famam reliquit.

In congregatione Indiae Orientalis.

1. Anno 1633 in vastissimo Monomotappae imperio martyrio occubuit rev. p. praesentatus fr. Ludovicus de Spiritu sancto, Mosambichi in India Orientali natus ac dictae congregationis filius, virtutibus ac litteris illustris, divini verbi praedicatione illustrior; qui postquam totius Monomotappae imperatorem ad fidem catholicam perduxisset ac propria manu baptizasset, tandem a rebelle et idolatra quodam, bellum adversus omnes dictum imperatorem comitantes moliente, funera (!) captus, tanti laboris ac meriti praemium percepturus, ad arborem ligatus ac sagittis transfossus, caelos triumphans, martyris palma laureatus, intravit; cui socius adiungitur p. fr. Ioannes de Trinitate Lusitanus eiusdem congregationis filius, qui ab eodem rebelle captus et ab alto monte praecipitatus vitam martyrio consumavit.

2. Anno 1636 venerabilis p. magister fr. Hieronymus de Passione, provinciae Portugalliae filius, qui ad congregationem Indiae Orientalis destinatus, pluribus annis admirabili vitae exemplo vixit, eiusque vicarium generalem bis egit et s. Inquisitionis consultoris ac archiepiscopatus primatis totius orientis gubernatoris officio functus. Tandem zelo domus Dei et salutis proximorum exaestuans, ferre non valens, quod in suburbiis de Basaim inter christianos adhuc idolorum phana et cultus superessent, illorum destructioni intentus, ab idolatris lancea transfixus multisque vulneribus affectus, semivivus relictus, post tres dies in conventu s. Gundisalvi de Basaim omnibus ecclesiasticis sacramentis communitus ac cunctis fratribus, cum adhuc vicarii generalis officio fungeretur pro absentia tanti patris ac praesulis, conlachrymantibus, senex dierum bonorum in caelum advolavit; cuius corpus, cum ante maius altare in inferiori loco conditum fuisset, postea multis resplendens miraculis ad sublimiorem translatum maxima cum pompa ab omni christiano populo veneratur et colitur.

3. In insula de Timor anno 1640 p. fr. Ludovicus de Passione, Lusitanus, eiusdem congregationis Indiae Orientalis filius, qui, cum tanquam bonus pastor animam suam periculis exponere voluisset, ut quandam ovem sibi subditam et ab infidelibus et idolatris in captivitate de-

tentam liberaret, ictu bombardae transfossus, caelos petivit proprio sanguine laureatus.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Urbano VIII. et felici statu s. Matris ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo imperatore Ferdinando III. et felici statu s. Romani imperii quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Galliarum rege Ludovico XIV. et serenissima regina matre quilibet sacerdos unam missam.

Pro catholico Hispaniarum rege Philippo IV. et serenissima regina quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo ac potentissimo rege Poloniae Vladislao IV. quilibet sacerdos unam missam.

Pro eminentissimo ac reverendissimo domino d. Antonio cardinali Barberino, nostri ordinis protectore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro eminentissimo ac reverendissimo domino d. Fausto cardinali Polo, nostri ordinis comprotectore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro eminentissimo ac reverendissimo domino d. Vincentio cardinali Maculano, ex ordine nostro assumpto, quilibet sacerdos unam missam.

Pro universo sacro collegio eminentissimorum ac reverendissimorum dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus catholicis principibus quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus nostris, qui huic capitulo pias eleemosynas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro bono statu totius nostrae religionis eiusque capite reverendissimo p. magistro generali ac sociis collaborantibus quil. sac. un. mis.

Pro pace totius orbis christiani quilibet sacerdos unam missam.

Ubi patribus sacerdotibus una missa, clericis litaniae, conversis vero decies pater noster et Ave Maria imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima christianissimi regis Ludovici XIII. quil. sac. un. mis.

Pro animabus bonae memoriae eminentissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium Galaminii et Scaglia, ex ordine nostro assumptorum, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima admodum rev. p. provincialis s. Dominici Venetiarum, qui in his comitiis generalissimis obiit, quil. sac. un. missam.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri, qui a tempore postremi capituli generalis Romani in Domino obierunt, q. s. un. mis.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri qu. s. un. mis.

Ubi patribus sacerdotibus una missa, clericis officium defunctorum, conversis vero rosarium imponitur.

Damus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem circa praemissa omnia, ut ea declarare possit, sicut et reliqua, quae declaratione indigent, et eisdem addere vel minuere, omnia denique et singula facere, quae nos agere possemus, secundum quod eius prudentiae expedire visum fuerit.

Indicimus ac designamus sequens capitulum generale, quod erit provincialium, anno 1647 celebrandum ultra montes, ubi reverendissimo magistro ordinis placuerit.

Laus Deo.

Fr. Franciscus Bartolinus.

ACTA CAPITULI GENERALIS VALENTIAE IN CONVENTU PRAEDICATORUM CELEBRATI IN FESTO SANCTISSIMAE PENTECOSTES ANNO DOMINI MDCXLVII.

Sub reverendissimo patre fr. Thoma Turco Cremonensi, sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, diffinientibus pariter reverendis admodum patribus provincialibus et diffinitoribus, nempe:

fr. Andrea Corillo magistro provinciali Hispaniae,
fr. Vincentio Bosside provinciali Tolosano,
fr. Iacobo de Lavau magistro provinciali Franciae,
fr. Martino Ostrovicio magistro provinciali Poloniae,
fr. Mario Ambrosio Capello magistro provinciali Terrae sanctae,
fr. Francisco Roger magistro provinciali Aragoniae,
fr. Thoma de Sarria magistro provinciali Bohemiae,
fr. Hyacintho Martello magistro provinciali provinciae Angelorum,
fr. Laurentio Bertholdo magistro provinciali Trinacriae,
fr. Ioanne de los Angeles magistro provinciali Bethicae,
fr. Vincentio Camerlingo magistro provinciali prov. sancti Thomae,
fr. Hyacintho Martin provinciali sanctae Crucis Indiarum,
fr. Ioanne Philippo Podensan magistro provinciali Occitano et priore monasterii Pruliani,
fr. Antonio Tortello magistro provinciali Aprutino,
fr. Hieronymo Grocholski magistro provinciali Russiae,

fr. Antonio Malet (1) magistro provinciali provinciae Parisiensis,
fr. Ludovico Maria Calcho (2) mag. pro prov. utriusque Lombardiae,
fr. Carolo Ghezzio Burghesio lectore pro provinciali Romano,
fr. Sebastiano de Laurentiis a Valvano magistro pro provinciali Regni,
fr. Andrea a Flumine Muri magistro pro provinciali utriusque Calabriae,
fr. Ioanne de Santiago magistro pro provinciali Mexicano,
fr. Roderico Cardenas magistro pro provinciali Peruano,
fr. Raymundo Peramato regente pro prov. prov. s. Vincentii de Chiapa,
fr. Ioanne de Godoy magistro pro prov. prov. s. Antonini de Novo Regno,
fr. Bartholomaeo de Noriga praesentato pro provinciali provinciae sanctae Catharinae Martyris de Quito,
fr. Matthaeo Bermudez pro provinciali Philippinarum.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, et beatae Mariae semper Virginis et b. p. n. Dominici omniumque sanctorum et sanctarum Dei.

Haec sunt acta capituli generalis Valentiae in conventu praedicatorum celebrati in festo sanctissimae Pentecostes anno 1647 sub reverendissimo p. fr. Thoma Turco, sacrae theologiae professore ac totius ordinis praedicatorum magistro generali.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus, Deo favente, apertam ianuam salutis amplissimo Chinarum regno nobisque concessum, ut deserta regionum illarum colere et ex eis uberes fidei manipulos colligere valeamus.

2. Denuntiamus, vineam Domini Sabaoth in partibus Peruanis, labore fratrum ordinis cultam, suos extendere palmites et propagines a mari usque ad interiora vastissimae illius regionis, cum ex nostris unus, inter alios evangelii ministros, pater praesentatus fr. Adrianus de Ufele a s. Thoma, penetratis provinciis del Guazimi et del Darien, iam ex illis idolatris, sine iugo in sylvis et montibus more sylvestrium viventibus, sex et amplius collegerit oppida, gentiles illos efferratos et indomitos Christi subiiciens suavissimo iugo et inter se sub christiana politia sanctae constringens vinculis charitatis.

3. Denuntiamus, ss. d. n. Innocentium X. ad petitionem civitatis Barchinonensis instituisse sanctum Raymundum in patronum et tutelarem eiusdem civitatis, ad instar eius institutionis, s. Thomas doctor angelicus fuit creatus patronus civitatis Neapolis a Clemente VIII.

---

(1) De fr. Antonio Malet cf. SSOP. II, 605.
(2) De fr. Ludovico Maria Calcho cf. l. c. pag. 587.

4. Denuntiamus, corpus b. Ludovici Bertrandi, huius nostri celeberrimi conventus Valentini filii, ab humili loco et sepulchro, in quo iacebat, ad capellam pulchra architectura de novo erectam translatum fuisse die sanctissimae Trinitatis cum solemnissima pompa, maximo populorum concursu summisque devotionis ac laetitiae signis, praesentibus excellentissimo huius regni prorege et excellentissimo ac reverendissimo domino fr. Isidoro Aliaga archiepiscopo huius civitatis, ex ordine nostro assumpto, et magistratu Valentino et excellentissimo d. duce de Medina de las Torres, cum tota eiusdem amplissimae civitatis nobilitate.

5. Denuntiamus iuxta id, quod continetur in capitulo generalissimo Romae 1644, reverendissimum magistrum ordinis pro imprimendis operibus b. Alberti Magni et etiam p. magistri fr. Thomae Malvendae contraxisse cum dominis Claudio Prost, Petro et Claudio Rigaud fratribus, Hieronymo de la Garde et Ioanne Antonio Huguetan, bibliopolis Lugdunensibus, eiusque nomine religionis promisisse dare 200 scuta aurea seu mille libras Gallicas pro singulo tomo, recepturus completa impressione tot ex impressis exemplaribus, quot respondebunt ad ratam pecuniae datae secundum pretium in instrumento taxatum, quod ad instantiam bibliopolarum modo non evulgatur. Et insuper denuntiamus, iam impressos extare quinque tomos, scilicet scripta super quatuor evangelistas, supra omnes prophetas minores cum quibusdam opusculis de sacramento Eucharistiae et aliis, quae omnia in praesenti capitulo vidimus, nunc vero actu imprimi eiusdem scripta theologica super sententias. Et pariter denuntiamus Parisiis imprimi opera omnia Paludani (1) sub cura admodum p. magistri fr. Ioannis Nicolai (2), primarii regentis Parisiensis, et bibliothecam asceticam ordinis praedicatorum sub cura reverendi patris fr. Francisci Combefis (3), et Tolosae omnia opera Innocentii V., pontificis ex ordine nostro assumpti, sub cura admodum rev. p. fr. Antonini Reginaldi (4). Et item denuntiamus, eundem reverendissimum magistrum ordinis recepisse pro huiusmodi impressionibus infrascriptam summam pecuniae, videlicet:

Pro impressione Malvendae ab excellentissimo et reverendissimo domino fr. Isidoro Aliaga, archiepiscopo huius civitatis, ex ordine nostro assumpto, 400 scuta aurea seu 200 duplas.

Et pro impressione Alberti.

Ab illustrissimo et reverendissimo domino episcopo Maioricarum

---

(1) Petri sclilicet de Palude, de quo cf. SSOP. I, 603, II, 820.

(2) De fr. Ioanne Nicolai cf. l. c. II, 647.

(3) De fr. Francisco Combefis cf. l. c. pag. 678.

(4) De fr. Antonino Reginaldo cf. l. c. pag. 661.

fr. Thoma de Rocamora, ex ordine nostro assumpto, mille regalia de plata doble sive 125 patacones.

A quadam benefactrice illustrissima scuta aurea 20.

A rev. matre priorissa monasterii Pruliani scuta aurea 300 data reverendissimo magistro ordinis et ad eius libitum expendenda ipse applicavit praefato operi.

A provincia Hispaniae scuta aurea 86 et patacones 34 et 6 regalia.

Ab admodum rev. p. provinciali Tolosano, tunc vicario congregationis sancti Ludovici, nomine proprio et aliquorum conventuum provinciae Tolosanae et suae congregationis scuta aurea 116, et a conventu sancti Maximini eiusdem provinciae scuta Gallica 100 seu 300 libras.

A rev. matre priorissa monasterii Pyssiacensis provinciae Franciae scuta aurea primo ducentum data reverendissimo patri generali et ad eius libitum expendenda, quae idem reverendissimus applicavit praefato operi, et amplius a patribus confessariis et monialibus eiusdem monasterii scuta aurea 100 et a quibusdam patribus eiusdem provinciae scuta aurea 5.

Ab admodum rev. p. provinciali Poloniae nomine suae provinciae Ungaros 65.

Ab admodum rev. p. provinciali Aragoniae nomine proprio et provinciae pro parte conventuum regnorum Aragoniae, Valentiae et Maioricarum patacones 300, et a parte principatus Cataloniae scuta aurea 80.

Ab admodum rev. p. provinciali Siciliae tam nomine provinciae quam diversorum fratrum scuta aurea 100.

Ab admodum rev. p. provinciali Apuliae nomine suae provinciae scuta aurea 160.

Ab admodum rev. p. provinciali Bethicae tam nomine proprio quam provinciae scuta aurea 762 et patacones 19 cum dimidio.

Ab admodum rev. p. provinciali Aprutino nomine suae provinciae patacones 150.

Ab admodum rev. p. provinciali Parisiensi francos 50.

A congregatione Canariarum scuta aurea 56.

A patre magistro fr. Roderico Cardenas nomine proprio patacones 49 cum dimidio.

A patre magistro fr. Ildephonso Aponte nomine proprio patacones 100.

Et pariter denuntiamus, reverendissimum magistrum ordinis pro praefatis impressionibus usque ad tempus huius capituli solvisse 1334 scuta aurea seu libras Gallicas 6670; inde postea solvisse scuta aurea 904, patacones vero 640 et solidos 35 seu libras Gallicas 6527, solidos 15.

Inchoationes.

1. Considerantes, quod in multis provinciis non parva relaxatio ir-

repsit, eo quod inchoatio et ordinatio facta Romae 1608 et confirmata Bononiae 1615 non fuit executioni mandata, ut scilicet novitii maneant in novitiatu usque ad sacerdotium, iterum inchoamus et simul ordinamus, ut omnes clerici maneant in novitiatu usque ad sacerdotium, et non pro forma, sed in loco et dormitorio a communi separato et clauso et sub cura non supprioris conventus, sed magistri ad hoc specialiter deputati. Volentes, quod, ubi sunt novitii simplices, licet isti debeant esse ab aliis separati et separatim educati, si fieri potest, omnes tamen tam simplices quam professi sint sub cura eiusdem magistri; mandantes prioribus sub poena absolutionis ab officio, ut statim hanc ordinationem executioni mandent.

2. Attendentes, quod in capitulo electionis magistri ordinis, eodem magistro nondum plenam cognitionem fratrum et status religionis et provinciarum habente, multi, licet inepti, per falsas informationes exhibitas promoventur ad gradus, unde postea in provinciis murmura et querimoniae oriuntur, inchoamus et simul ordinamus, ut in posterum in capitulo electionis magistri ordinis nulli omnino promoveri possint ad gradum quemcumque, petitionesque provinciarum pro tunc suspendantur, donec magister ordinis pro sua prudentia mature et diu illis examinatis, quid pro gloria ordinis et iustitia distributiva servanda faciendum sit, plene ac perfecte cognoverit.

3. Ut internae animi submissioni exterior humiliatio respondeat, inchoamus, quod in choro ad illa verba invitatorii « Venite, adoremus et procidamus ante Deum » fratres genua flectant, cantantes vero vel recitantes post expletum versum reverenter inclinent.

4. Attendentes, quod in bona novitiorum educatione praecipua consistit ordinis observantia et sanctitas, et quod alia ex parte pauci inveniuntur idonei, qui praefati muneris labores libenter sustinere velint; attendentes insuper, quod, qui talibus donis et prudentia sunt praediti, ut sancte iuventutem dirigere, educare et docere sciant, non possunt non habere in agendis dexteritatem et negotiis consilium seu in consulendo iudicium, inchoamus et ordinamus et volumus: Primo, quod in capitulo provinciali per diffinitorium eligantur aliqui, qui ad regimen novitiorum in tota provincia iudicati fuerint idonei ad magisterii novitiorum munus exercendum; declarantes, quod in hac electione attendere debent et eligere illos, quos maiori observantia nostrarum legum, charitate, discretione, prudentia et doctrina praeditos viderint et quos idoneos ad negotia publica pertractanda cognoverint; volentes, quod, si possunt haberi, eligantur semper illi, qui tam philosophicos quam theologicos in legendo cursus perfecerint; et decernentes, quod, postquam aliquis ex praedictis sic per diffinitorium approbatis per sex annos continuos integros laudabi-

liter functus fuerit praefato officio magistri novitiorum, et per diffinitorium capituli provincialis decretum fuerit, eum laudabiliter dictum officium exercuisse, habeat vocem ad omnes electiones et actiones capitulorum provincialium, ac si esset praedicator generalis vel pater provinciae. Declarantes, quod in potestate erit diffinitorii post expletum quadriennium approbare et admittere praefatos ad vocem ut supra habendam, dummodo postea sic approbatus compleat sexennium in praefato munere obeundo, et non aliter nec alio modo.

Declarationes.

1. Declaramus et ad lites et fraudes vitandas decernimus, quod in electionibus sic possint fieri protestationes et oppositiones, quod liceat quidem electoribus post electionem protestari et se opponere electioni quantum ad personam electi vel quantum ad defectus, qui in actu formali electionis evenerint, sed quantum ad ea, quae praecedunt actum formalem electionis scilicet collationem schedularum ut circa validitatem votorum, si aliquis excludi debeat vel admitti, sive quantum ad vim, si scilicet electoribus facta fuerit vis vel non facta, et similiter circa quaecumque ad materiam vel formam electionis spectantia, quae actum formalem electionis scilicet actualem collationem schedularum praecedunt, non liceat alicui electori post electionem protestari seu electioni se opponere, decernentes omnes similes protestationes et oppositiones nullas et pro nullis habendas nec earum aliquam rationem haberi debere, et opponentes hoc modo fore puniendos.

2. Ut in posterum omnis tollatur ambiguitas circa qualitatem et valorem schedularum albarum, quae in electione saepe ponuntur, declaramus huiusmodi schedulas accipi debere ac si, qui eas contulerunt, renuntiaverint voci suae pro illa electione, ac propterea quando fit collatio numeri ad numerum pro habendo excessu super medietate eligentium, non debere numerari, sed solum debere haberi rationem schedularum aliarum, ita ut verbi gratia, si sint decem electores, et postea enumeratis schedulis inveniatur una schedula alba, numerus denarius ad novenarium reducatur, et ille censeatur electus, si sit absens, qui ex decem schedulis, quarum una est alba, in quinque schedulis nominatus fuerit, quia in hoc casu censeri debent esse solum novem electores decimumque suae voci renuntiasse, numerus autem quinarius est maior medietate novenarii, et ita quot fuerint schedulae albae, tot ex electoribus censebuntur renuntiasse voci suae, et numerus earum schedularum non erit connumerandus numero eorum, qui electores actuales censeri debeant, quamvis in decreto electionis servari debeat forma ordinaria, ut scilicet numerentur etiam schedulae albae, ut confirmator scire possit, quot sint, qui schedulas dederunt, et qualiter in schedulis datis aliquis nominatus fuerit vel non fuerit.

3. Declaramus in electione diffinitorum capituli provincialis ubique servandam esse formam electionis prioris, ut scilicet fiat per vota secreta, et sit electus, qui habuerit plura vota ultra medietatem, ut declaratum fuit Bononiae 1564. Provinciae tamen, quae privilegium habent, ut alio modo eligant diffinitores, suis privilegiis uti valeant.

4. Declaramus, quando iuxta solitum capitula generalia fiunt de triennio in triennium, nisi supersedeatur tertio anno a capitulo generali et capitulum ultra triennium differatur, quod non licet provinciis, quae iam elegerunt socium provincialis vel diffinitoris ad capitulum generale, novum socium eligere, nisi prior socius mortuus fuerit vel ire ad capitulum renuerit; et quatenus elegerint, illum non esse legitimum socium, sed ius socii pertinere ad socium primo post capitulum generale immediate praecedens electum, quia tunc non supersedetur a capitulo generali, sed capitulum generale anno statuto celebratur; si vero capitulum generale ultra triennium differatur, ille erit socius, qui in ultimo capitulo provinciali erit electus, ut determinatur in const. dist. 2. cap. 5. § 5.

5. Declaramus, quod, ubi in capitulo Romano 1644 decl. 3. dicitur, quod priores conventuales eorum conventuum, qui absque sua culpa duodenarium numerum fratrum sustentare non possunt, nihilominus manere debeant in sua possessione, dummodo alant sex fratres capitulares, ita ut habeant vocem in capitulo provinciali, et quod dicti conventus habeant ius eligendi et mittendi socium prioris ad idem provinciale capitulum, sic intelligendum esse, ut in dicto numero senario comprehendi debeat prior ipse, sed cum discrimine, ita scilicet quod ad hoc, ut prior talis conventus habeat ipse ius vocis in capitulo provinciali, sufficiat, quod conventus alat quinque fratres capitulares et praeterea priorem ipsum; sed ad hoc, ut conventus ille habeat ius ad mittendum socium prioris pro capitulo provinciali, alere debeat quinque patres vocales, et qui de iure habeant vocem nedum in capitulo, sed in electione prioris et socii, et praeter eos priorem ipsum; qui tamen in electione socii non se ingerat iuxta ea, quae in const. habentur dist. 2. cap. 3. § 5. lit. E.

6. Declaramus, quod, dum dicitur, quod idem bis in anno non possit plures priores eligere, sic lex ista intelligatur de anno naturali, ut declaratum est in capitulo Romano 1629; quod tamen in illis provinciis, in quibus priores durant non biennium naturale, sed per biennium ecclesiasticum et adimplent suum tempus tempore capituli provincialis, quod in eisdem provinciis incipit celebrari dominica « Qui errantibus », eadem lex non de anno naturali, sed de ecclesiastico intelligatur.

7. Quoniam in constitutionibus habetur dist. 2. cap. 2. § 1. in glos. lit. D et ibidem § 8. lit. V, quod provincialis, mortuo vel amoto priore, potest mittere ex alieno conventu vicarium etiam supra suppriorem, qui

habeat votum in electione prioris, declaramus, quod hoc non debet intelligi de vicario, qui praecise mittitur, ut gubernet conventum; talis enim si mittatur, sicut mitti potest, non habebit vocem in electione prioris; vicarius vero missus, ut sit vicarius electionis, mitti non potest nisi in duobus casibus expressis in glossa in constitutionibus scilicet in casu magnae dissensionis inter vocales et in casu ignorantiae talis in electoribus inventa, ut nullus inter eos sit, qui sciat dirigere actionem; et tunc talis vicarius, sic propter alteram ex his causis missus, habebit vocem activam tantum in electione, etiamsi in litteris patentibus non exprimatur, quod vocem habere debeat.

8. Cum saepe contingat in provinciis habentibus alternativam in electione provincialium, ut aliquando vel eligatur vel instituatur provincialis aliquis, qui non est filius illius provinciae, ad tollendas occasiones litium declaramus, quod talis provincialatus non debet numerari pro rata alicuius partis illius provinciae, sed tali provincialatu completo ratam pertinere ad illam partem, ad quam pertinuisset, si aliquis filius provinciae electus fuisset tunc, cum electus fuit vel institutus provincialis alterius provinciae filius.

9. Declaramus textum constitutionum 2. dist. cap. 8. § 5. de appellationibus ab absolutione facta vel facienda ab officio, etiam praetextu gravaminis, non admittendis, habere vigorem nedum ex vi constitutionis, quam ex voto profitemur, sed ex approbatione et confirmatione felicis recordationis Iulii secundi per breve acceptatum in capitulo generali Genuensi anno 1513, denuntiatione septima per haec verba:

Denuntiamus omnibus, acceptatum esse unanimiter breve felicis recordationis Iulii papae secundi infrascripti tenoris, videlicet: Iulius papa secundus. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Exposuisti nobis, quod in ordine praedicatorum tuae curae commisso quandoque pax turbatur et regularis vita impeditur ob appellationes vel absolutionem ab officiis vel exemptionem ab iurisdictione priorum provincialium, quodque providere dignaremur de benignitate apostolica, humiliter supplicasti. Nos attendentes, quod non solum religionis communi rationi, sed dicti ordinis propriis statutis appellationes dissonant, tuis in hac parte supplicationibus inclinati auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, ut, si quis frater dicti ordinis aut soror sub cura et habitu eiusdem ob absolutionem ab officio prioratus provincialis vel conventualis seu monasterii a quocumque superiore dicti ordinis habente potestatem absolutionem huiusmodi faciendi facta vel facienda appellaverit, etiam praetextu gravaminis aut appellationis huiusmodi quocumque nomine interpositae inhaeserit, sit pro ipso facto absque alia declaratione absolutus aut absoluta ab huiusmodi officio, pro quo appellatum est etc. In contrarium

facientibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis dicti ordinis iuramento vel quavis alia firmitate roboratis, consuetudinibus, privilegiis in specie vel in genere quibusvis, quavis auctoritate concessis et in posterum concedendis cum clausulis derogatoriis et derogatoriarum derogatoriis fortioribus et insolitis, etiam si de eis eorumque tenoribus specialis, individua et expressa de verbo ad verbum et non per clausulas id importantes esset mentio habenda, aliisque non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 4. nov. anno 1611, pontificatus nostri anno 8.

Sic signatum: Sigismundus. *A tergo.* Dilecto filio Thomae de Vio Caietano magistro generali ordinis praedicatorum.

10. Quapropter idem breve, prout supra relatum est, de novo, quantum opus est, acceptantes et denuntiationem praefatam praedicti capituli confirmantes, ad tollendas lites et servandam pacem in ordine ordinamus eamdem constitutionem et breve omnino ponenda in viridi observantia, praecipimusque in casu appellationum omnia in ipsis contenta inviolabiliter observanda.

11. Quoniam ex mala intelligentia ordinationis nonae capituli generalissimi Romae 1644 multiplicati sunt valde lectores, declaramus sensum praefatae ordinationis fuisse, non ut institueretur specialis lector, qui legeret textum s. Thomae, sed quod lectores ordinarii ipsi textum explicarent diligenter brevibus notis et adnotationibus, non vero solas controversias aut quaestiones pertractarent, textu relicto; quod idem modo confirmamus, simul ordinantes, ut omnino multitudo lectorum tollatur, et ex lectoribus theologiae duo solum ordinarii lectores sint in conventu, et ex nunc omnem aliam lectionem et lectores theologiae alios cassamus. In minoribus autem conventibus iuxta morem patriae legantur vel casus conscientiae vel controversiae, vel si hoc non possit fieri, ad minus de his habeantur conferentiae iuxta pluries ordinata in diversis capitulis, ut habetur dist. 2. cap. 14. § 3. lit. G. Praeterea autem eamdem ordinationem nonam confirmantes mandamus, ut, quae ibi statuta sunt, executioni omnino mandentur, et praecipue quod lectores sub poena absolutionis ab officio habeant conferentias de suis lectionibus quotidie et suis temporibus alios scholasticos actus, et quod in omnibus et per omnia doctrinam sancti Thomae sectentur et textum eius sicut Aristotelis explicent et defendant.

12. Declaramus ad tollendas omnes controversias, quae circa officiales studii oriri solent, quod in studiis generalibus provinciarum Theutoniae, Bohemiae et Germaniae inferioris, in quibus solent esse duo regentes studii, qui simul docent, quod solus ille, qui per patentes institutus est primarius regens, deinceps semper sit caput studii, et quod illi

non modo studentes cuiuscumque facultatis, sed etiam omnes alii officiales studii et lectores subditi sint in omnibus illis rebus, quae ad studium pertinent, cuiusmodi sunt lectiones, disputationes et quicumque alii actus litterarii; et maxime pertinere ad eum terminare, resolvere et ultimo diffinire quaslibet quaestiones in omnibus disputationibus propositas, silentium imponendo omnibus hac lege, ut post datam ab eo resolutionem nulli omnino, exceptis admodum rr. pp. provincialibus, liceat quicquam in medium proferre, prout latius exprimitur in glos. const. dist. 2. de studentibus cap. 14. text. 4. Et hanc nostram declarationem perpetuo et inviolabiliter observandam in praedictis studiis generalibus praescribimus ac mandamus, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

13. Declaramus suffragia, quae secundum constitutiones nostras debentur magistro ordinis defuncto, eidem deberi, etiam si ex quacumque causa amotus vel extra ordinem constitutus in officiis generalatus non decedat.

Commissiones.

1. Attendentes, non parvam multitudinem fratrum reperiri, qui praetextu huius vel alterius infirmitatis se a sequela chori et observantia constitutionum eximunt, qui tamen se ad regendum et gubernandum alios potentes arbitrantur cum non parvo damno observantiae, confirmamus id, quod ordinatum fuit apud Tolosam 1372, ne scilicet illi eligantur in priores, qui sub quocumque praetextu quantum ad omnes observantias regulares chorum vel communitatem non sequuntur; et si aliquis talis electus fuerit, nullatenus confirmetur; aggravantes in hoc conscientiam patrum provincialium.

2. Cum charitas urgeat, ut infirmorum pia cura habeatur, confirmamus, quod sancitum fuit in capitulis Parisiis 1276 et Salamanticae 1551 et alias, scilicet quod instituatur unus p. sacerdos infirmarius discretus, qui provideat infirmis de cibariis, lectis, medicinis et omnibus aliis necessariis ad eorum relevationem. Volentes, quod huic patri infirmario deputetur aliqua pars pecuniae ex eleemosynis vel reditibus conventuum, et mandantes prioribus et syndicis seu procuratoribus conventuum, ut ubi aliquid qualitercumque et a quocumque relictum fuerit vel datum conventui pro infirmis, maxime reditus annui ad hunc finem constituti, in nulla alia re expendantur, sed dentur infirmario pro infirmorum usu. Priores autem vel syndici seu procuratores contrarium facientes in poenam a suis officiis absolvantur; quam poenam incurrant etiam priores in cura infirmorum negligentes.

3. Confirmamus ordinationem sextam capituli generalissimi Romae an. 1644; verum ulterius considerantes, aliquas quaestiones singulares ob materiae dignitatem, obscuritatem et periculum promptius errandi in

illis, quales inter alias sunt quaestiones de conceptione beatae Virginis et de praescientia futurorum, praedestinatione electorum, efficacia divinae motionis et universaliter de auxiliis divinae gratiae, indigere maturiori examine, ordinamus et omnino praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, necnon sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, et privationis omnium graduum ipso facto incurrenda, ne aliquis aliquid imprimere audeat, spectans ad quaestiones praedictas, nisi prius Romam ad reverendissimum patrem generalem vel vicarium generalem seu qualitercumque vices generalis ibi tenentem mittat vel totum librum, si in eo per totum agitur de aliqua vel aliquibus illis quaestionibus, vel si totus liber non est de illis materiis, quaternos illos, in quibus specialiter de eisdem quaestionibus tractat; prohibentes, ne omnino vel minimum quid spectans ad quaestiones illas edat, quod ut supra prius non miserit Romam, et ibi non fuerit approbatum.

4. Confirmamus ordinationem capituli generalis 1513 infrascripti tenoris videlicet: Mandamus, quod magistri etiam cum licentia ordinis promoti, qui insufficientes adeo sunt, ut non sint tolerabiles in magisterio theologiae, pro non magistris in ordine habeantur in omnibus et per omnia. Baccalaurei autem, etiam cum licentia ordinis incorporati in universitate quacumque, qui adeo ignorantes sunt, ut nunquam sciverint legere sententias, pro non baccalaureis habeantur in ordine in omnibus et per omnia. Praedicatores quoque generales, qui non iuxta tenorem constitutionum nostrarum in capitulo de praedicatoribus instituti sunt, et similiter numerum conventuum excedentes contra tenorem constitutionum pro non praedicatoribus habeantur. Hoc autem dicimus de iis, qui iam pro magistris, baccalaureis aut praedicatoribus generalibus sunt acceptati in ordine; illos siquidem qui semel a praelatis ordinis refutati sunt, semper pro refutatis habemus; adiicientes, quod huiusmodi refutatos nullatenus prior provincialis aut conventualis aut vicarius audeat admittere ad exemptiones vel loca, tamquam si essent promoti; sed ac si non essent promoti, sicut non sunt in veritate quantum ad nostrum ordinem, tractentur in omnibus et per omnia sub poena absolutionis ab officio, quam ipso facto incurrant.

5. Huic ordinationi inhaerentes, mandamus primo, ut numerus praedicatorum generalium non excedat numerum conventuum. Secundo quod iuxta ordinata in capitulo Romae 1629 nullus praedicatorum generalium habeat vocem in capitulo provinciali, si maneat extra conventum, pro quo est praedicator, nisi ratione alicuius officii, ad quod exercendum fuerit missus. Tertio quod teneatur ex officio ad praedicandum in ecclesia eius conventus, pro quo est praedicator generalis, non quidem taliter,

quod non possit provincialis mittere ad illum conventum alium concionatorem, qui ordinarie ibi conciones habeat, vel quia non possit prior alteri committere, ut aliquando praedicet, sed quia ipse praedicator generalis debeat esse praeparatus ad praedicandum in eo conventu, toties quoties sibi vel a provinciali vel a priore id munus iniunctum fuerit. Quarto quod in iis provinciis, in quibus numerus praedicatorum generalium excedit numerum conventuum, qui sunt supra numerum, scilicet qui institutione sunt posteriores, non habeant vocem nec privilegiis praedicatorum generalium fruantur, donec gradatim iuxta ordinem antiquitatis institutionis illorum in numerum, conventuum numerum non excedentem, non fuerint admissi; revocantes omnes licentias cuicumque datas, ut possint manere extra conventum, pro quo est praedicator generalis, et subreptitias declarantes omnes dandas, nisi in illis huius decreti fiat expressa mentio et dispensatio; et insuper declarantes, praedicatores generales supranumeratos ad hoc, ut ingrediantur loca decedentium iuxta antiquitatem suae institutionis, non indigere ad hoc nova institutione, sed sufficere, quod in proximo capitulo provinciali a vacantia sui loci ostendant et dictam loci vacantiam et antiquitatem suae institutionis; quibus visis admitti debebunt ad suffragium ferendum absque alia institutione.

6. Quantum autem ad magistros in theologia seu alios graduatos in illis provinciis, in quibus numerus magistrorum est taxatus sive per sedem apostolicam sive per capitulum generale, decernimus, ut, si in illis de facto magistri sunt in maiori numero, numerus excedens ad taxatum numerum reducatur, nec interim possit in illis provinciis fieri aliquis magister vel graduatus, usquequo numerus magistrorum et graduatorum fuerit adeo diminutus, ut sit infra numerum taxatum aliquisque locus de facto vacet; declarantes irritas et nullas institutiones quascumque, quae in posterum supra numerum taxatum fient, sicut declaramus quascumque institutiones graduatorum et praecipue magistrorum factas vel fiendas eorum scilicet, qui non habent requisita secundum constitutiones, irritas et nullas, nisi de praeterito cum aliquo specialiter et expresse in litteris patentibus fuerit dispensatum. Monentes reverendissimum magistrum ordinis, ne in posterum super his cum aliquo dispenset, et renovantes id, quod habetur in constitutionibus dist. 2. cap. 14. § 9., quod scilicet sit facultas in quolibet diffinitorio, constito notorie de insufficientia promoti sibi subditi, declarandi ipsum pro non promoto in nostro ordine; quod sicut executioni mandatum fuit in praefato capitulo generali 1513, ita nunc, si opus fuerit, executioni mandari volumus.

7. At ne in futurum aliquis fraudulenter et per falsas informationes se inter magistros vel graduatos reponat, ordinamus, quod in capitulo coram diffinitoribus, si sint electi, et coram pp. magistris et patribus pro-

vinciae legantur litterae patentes magistri ordinis seu etiam quaecumque aliae litterae sive brevia pontificia, in quibus aliquis ad gradum promovetur, quatenus sic cum humili reverentia praedictae litterae et maxime brevia pontificis audiantur, quod tamen liceat capitulo uti suis privilegiis vel ad minus, si subreptitia videantur, recursum legitimum ad superiorem, a quo litterae emanarunt, habere.

8. Cum paragraphus « Quamobrem » capituli generalis Romae 1589, in qua denuntiatur superioribus, ex decreto felicis recordationis Gregorii XIII. prohibitum fuisse superioribus, ne ad instantiam saecularium aliquid fratribus concedant, et fratribus praecipitur sub formali praecepto et sub poena excommunicationis latae sententiae, ne per personas extra ordinem gratiam vel poenarum remissionem procurent, et ne ob hanc causam aliqua munera saecularibus exhibeant vel promittant; prout latius in dicta paragrapho continetur, fuerit confirmata a felicis recordationis Clemente VIII. per litteras datas die 13. maii 1600 et Paulo V. per litteras datas die 7. ianuarii 1608, et cum etiam per reverendissimos magistros ordinis antecessores et per praesentem praefatum decretum intimatum et renovatum fuerit pluries, ad maiorem eiusdem vim omnia in dicta paragrapho et in litteris summorum pontificum Gregorii XIII., Clementis VIII. et Pauli V. contenta approbantes et venerantes et, quantum sit ex nobis, innovantes, praecipimus omnibus et singulis fratribus nostrae curae subiectis in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, nec non sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, ne quisquam directe vel indirecte per se vel per alium, pro se vel pro aliis ordinis nostri fratribus apud personas extra ordinem constitutas et ex nostro ordine non assumptas gratiam aliquam vel poenarum remissionem a praelatis nostri ordinis obtinendam procuret; mandantes omnibus patribus provincialibus et prioribus, ut servata forma iudicii omnino privilegiata, quam concessit et statuit felicis recordationis Clementis VIII. in praefata bulla contra transgressores procedant.

9. Confirmamus et innovamus ordinationem saepissime factam contra deferentes subuculas lineas ad carnem sub poenis in ea ordinatione contentis, mandantes prioribus seu conventuum praesidentibus sub poena absolutionis ab officio, ut ordinationem hanc servare faciant, et patribus provincialibus, ut priores seu praesidentes in hoc negligentes ab officiis absolvant.

10. Confirmamus ordinationem saepius editam, ut habetur dist. 2. cap. 1. § 7. lit. M., et mandamus admodum rr. pp. provincialibus, ut unusquisque in sua provincia unum vel duos conventus iuxta qualitatem et numerum fratrum deputet, in quibus regula et constitutiones ordinis

nostri cum omni rigore ab omnibus illic degentibus observentur, nec cum aliquo ibi commoranti in carnibus vel aliis regulari vitae repugnantibus quoquo modo aut quovis praetextu vel colore, nisi propter actualem infirmitatem dumtaxat, dispensari possit; in quibus conventibus et locis nemo invitus cogatur manere, nec aliquis nolens a suo retrahatur fervore, nisi quem iam arrepti propositi et coeptae observantiae poenituerit; volentes tamen, ut omnes et singuli in praefatis conventibus commorantes in omnibus et per omnia suis provincialibus censeantur et sint subditi, qui eos visitare, assignare et removere possint, sicut antea consueverunt, et omnia alia in dictis conventibus vel circa fratres eorumdem facere valeant, quae dicto vivendi modo et regulari observantiae non repugnent; districte etiam mandantes, ne fratres in talibus conventibus commorantes quovis modo possint habitum ordinis vel formam eius transmutare.

Ordinationes.

1. Cum teste experientia videamus, quod in pluribus provinciarum conventibus irrepserit, immo et creverit abusus, ut fratres debitis horis, et maxime matutinum media nocte non dicant contra praescriptum nostrarum constitutionum et legum, aequum autem iudicantes, ut illi conventus privilegio conventuum non fruantur, qui collegialiter statutis horis divinum officium non recitant, ordinamus et districte mandamus, ut in omni conventu, qui sit prioratus, fratres surgant et media nocte in ecclesia matutinum persolvant, decernentes et privantes et hoc statuto privatos decernentes voce activa in electionibus et actionibus capitulorum provincialium priores et socios illorum conventuum, in quibus fratres regulariter non surgunt de nocte ad matutinum dicendum, exceptis quantum ad hoc prioribus desolatis provinciarum Galliae et Germaniae superioris et Bohemiae; volentes, quod tam priores quam socii deferre debeant ad capitulum fides testimoniales iuratas fratrum sui conventus, in quibus reddatur testimonium de observantia istius ordinationis, nec admittantur ad ferendum suffragium, si prius non ostenderint in suis conventibus regulariter per fratres matutinum media nocte dictum fuisse, et insuper aliis poenis, etiam absolutionis ab officio, ad arbitrium provincialium puniantur.

2. Quoniam, ut ait apostolus 1. Tim. 4., « corporalis exercitatio ad modicum utilis est », praestat vero mentem ad pias in Deum affectiones habendas et fovendas exercere, unde Caietanus II^{a} II^{ae} q. 83. art. 12. admonebat, quod errant, qui numerum tot vocalium orationum propriarum explendum quotidie praeponunt meditationibus et orationibus mentalibus; relinquunt namque finem propter ea, quae sunt ad finem. Propterea hortantes omnes, ut meditationibus diligenter vacent, confirmamus, quod Bononiae 1564, Romae 1571 et Barcinonae 1574 ordinatum fuit, ut bis

in die, scilicet post completorium, et hiberno tempore post matutinum, aestivo vero tempore post nonam, ad minus per quadrantem horae habeatur oratio mentalis; volentes, quod priores, qui in hoc fuerint negligentes, severe puniantur; hortantesque omnes in Domino, ut sanctam illam consuetudinem in aliquibus provinciis maximo cum fructu excultam, satagant introducere, ut scilicet fratres aliquibus diebus se recolligant et meditationibus piis se ad perfectiorem vitae puritatem disponant.

3. Cum ordo noster ad inserviendum populis in iis, quae ad salutem pertinent, sit institutus, salus autem proximorum in administratione sacramenti poenitentiae maxime procuretur, ordinamus patribus provincialibus et prioribus, ut ecclesiis suis provideant de confessariis, qui sint probae vitae, prudentes et docti, et qui patienter et charitative poenitentes audiant; volentes, ut, si opus fuerit, ad hoc officium etiam graduatos et magistros cuiuscumque conditionis per poenas sibi bene visas compellant.

4. Considerantes, quod nonnulli postquam semel approbati fuerint ad audiendas confessiones, non amplius student casibus conscientiae, unde et minus habiles in dies magis ac magis redduntur, ordinamus, quod, qui in posterum approbandi erunt ad audiendas confessiones tam fratrum quam saecularium et monialium, nisi alias sint graduati vel in studio generali praedicatores vel lectores instituti, tribus vicibus de triennio in triennium in aliquo conventu, ubi vigeat studium theologiae, examinentur, et solum post tertium examen simpliciter approbati esse censeantur; declarantes, quod alias quantum ad formam et locum examinis servetur usus provinciarum.

5. Cum pro impressione librorum choralium legitima cum licentia vendita sint capitalia multorum redituum spectantium ad commune bonum religionis, quae tamen capitalia reimplicari debent, ne religio fructus eorum deperdat, ordinamus, ut quidquid pecuniae recipietur pro praefatis libris, totum in fundo fructifero implicetur; volentes, quod quando sic fuerit implicatum, non possit aliquo modo alienari nec etiam per magistrum ordinis nisi de licentia capituli generalis.

6. Ut recipiendorum imprudens et inconsiderata electio et approbatio vitetur, nec tam de facili inepti admittantur, ordinamus, ut nullus ad habitum clericorum recipiatur, qui non calleat linguam latinam et in grammaticalibus sit sufficienter instructus; quae sufficientia examinari debeat et approbari vel in aliquo conventu, ubi viget studium theologiae, vel si alibi, praesente p. provinciali vel alio patre gravi, cui provincialis circa hoc vices suas commiserit, et insuper a patribus examinatoribus, a toto capitulo electis, fiat hoc examen in consilio patrum coram omnibus

patribus a consiliis, nec liceat prioribus fraudulenter expectare, quod aliqui ex patribus a consiliis sint absentes a conventu, et tunc recipiendum ad examen admittere, sed expectetur tempus, in quo omnes patres sint in conventu, nisi forsan aliquis eorum esset extra dietam. Volentes, quod, si a tempore septuagesimae usque ad octavam paschae notabilis pars patrum a consiliis sit extra conventum, quod in eo tempore non possit aliquis recipi ad habitum tam clericorum quam conversorum; et ordinantes, quod provinciales in visitatione diligenter inquirant, an haec observata fuerint in recipiendorum examine, et quatenus aliquos inveniant alio modo receptos, privent habitu et receptionem nullam declarent; volentes insuper, quod, qui in uno conventu non fuit admissus ad habitus receptionem, non possit in alio conventu admitti et recipi; decernentes irritam et inanem professionem cuiuscumque, qui semel qualitercumque et quacumque de causa reiectus in uno conventu et ad habitum non admissus in alio sine licentia magistri ordinis fuerit admissus; praecipientes in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae, sub formali praecepto, hac una pro trina canonica monitione praemissa, nec non sub poena excommunicationis latae sententiae patribus examinatoribus et patribus a consiliis, ne aliquem ad recipiendum habitum approbent, qui secundum nostrarum constitutionum et ordinationum praescripta non sit idoneus. Quod sub eodem praecepto et poena mandamus omnibus examinatoribus eorum, qui mittuntur ad ordines suscipiendos et qui vel pro confessionibus audiendis vel pro concionibus habendis approbantur.

7. Inhaerentes iis, quae pluries fuerunt sancita, ordinamus, quod novitii educentur solum in conventibus magnis et ubi viget observantia et in novitiatu seorsum, ubi ad minus sit regulariter senarius numerus novitiorum vel in provinciis desolatis quaternarius; praecipientes omnibus et singulis praelatis in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, necnon sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, et graduum et officiorum privatione, ne aliquem novitium ad professionem admittant, qui iuxta tenorem istius decreti non fuerit educatus; et ut intra mensem a collatione habitus novitium transmittant ad aliquem conventum magnum, in quo ut supra religiose instituatur; ubi autem conventus pro educandis novitiis non sunt determinati, per provinciale capitulum determinentur.

8. Laudabilem consuetudinem multarum provinciarum approbantes, in quibus pro defunctis fratribus seu monialibus speciales preces habentur, mandamus, ut in conventibus vel monasteriis, ubi frater vel soror aliqua mori contingat, fratres vel moniales respective per octo dies a die mortis post gratias, quae habentur post prandium, cantent responsorium

« Libera me Domine » super sepulchro defuncti vel defunctae; in provinciis tamen, in quibus aliae consimiles preces haberi consueverint, usus earum servetur.

9. Ordinatis in capitulo Bononiae 1615 inhaerentes et ordinationem ibi factam extendentes, decernimus, quod scrutinia electionis priorum et praecipue provincialium non mittantur ad confirmatorem nisi per tabellarios, et nullo modo per fratrem aliquem; mandantes cuicumque fratri clerico sub poena privationis vocis activae et passivae, ne missus a quocunque aliquod electionis scrutinium ad locum, ubi est confirmator, deferat; et volentes, quod, si aliquis a quocunque et qualitercunque missus scrutinium alicuius electionis detulerit vel confirmatori vel alteri, sit ipso facto privatus voce activa et passiva, et nihilominus poenis latis contra itinerantes sine licentia puniatur; et praeter ea statuentes, quod, si vocales aliter quam per tabellarios de consensu maioris partis eorum scrutinium electionis miserint, sint ipso facto pro prima vice et electione futura privati voce. Quod si in electione aliquae fuerint difficultates, scribant et proponant confirmatori, qui illis visis, si necesse fuerit, ut aliquis nomine electorum ad ipsum accedat, pro sua prudentia concedet licentiam illi, quem opportunum ad id cognoverit.

10. Attendentes, quod constitutiones nostrae cap. de studentibus decernunt, quod fratres nostri studeant in bibliis et glossis, unde modo etiam in aliquibus studiis servatur usus antiquus religionis, ut scilicet in studiis generalibus detur lector seu baccalaureus biblicus ad legendum sacram scripturam deputatus, quod etiam fieri mandavit sacrum concilium Tridentinum sess. 5. cap. 1. de reformatione, ideo antiquum usum renovandum censuimus ac propterea ordinamus, ut in quolibet studio generali detur unus lector, qui legat sacram scripturam singulis diebus profestis, in quibus alii lectores non legunt, excepto studio Parisiensi, in quo unus regentium munere legendi scripturam hora sibi competente fungetur; volentes huiusmodi lectores assumi debere ex numero eorum, qui in legendo cursum artium et theologiae perfecerint, et quod haec lectio valeat praefatis lectoribus, ac si theologiam speculativam legerint; mandantes patribus provincialibus, ut de institutione praefati lectoris reverendissimum patrem generalem admoneant.

11. Cum experientia teste compertum sit, scripta doctissimorum virorum, quae praelo non sunt mandata, in morte eorum perire cum maximo damno religionis, ut huic malo occurramus, omnibus ac singulis prioribus et conventuum seu locorum praesidentibus praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, necnon sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, ut, dum aliquis frater in suo conventu obierit,

summopere curent habere scripta omnia illius et ut illa in communi deposito sub custodia et clavibus reponant nec ea perire permittant; volentes, ut statim admoneant magistrum ordinis, si aliquid dignum, ut evulgetur, in praedictis scriptis invenerint.

12. Quoniam codices impressi disperguntur et tempore vel consumuntur vel ad exteras manus perveniunt, ita ut, cum religioni sunt necessarii, non inveniantur, omnibus et singulis, qui vel propria vel aliena scripta impriment, mandamus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, ut impressione terminata exemplar unum reponant in principaliori conventu suae provinciae vel congregationis, aliud vero Romam mittant asservandum, ut religio eo occurrente occasione uti possit; volentes, ut, si quis praesenti ordinationi non obtemperaverit, subiaceat poenis omnibus imprimentium sine licentia.

13. Ad historiam ordinis totius tam intense ab omnibus desideratam plene et perfecte disponendam, cum sit necessarium, ut provinciae omnes propria singulorum conventuum sedulo perquirant et ordinent totique communicent religioni, inhaerentes iis, quae ordinata fuerunt a reverendissimo magistro generali praedecessore nostro fr. Hippolyto Maria Beccaria de anno 1597, mandamus et districte praecipimus patribus provincialibus et vicariis congregationum, ut unusquisque illorum alicui viro docto et prudenti et iudicii perspicacis committat, ut historiam suae provinciae seu congregationis ordinet, imprimat, sicut in effectu factum fuit in provinciis Hungariae, Aragoniae et Philippinarum; mandantes insuper, ut statim de huius decreti executione et dicta commissione admoneant magistrum ordinis. Eisdem etiam committimus, ut unusquisque deputet aliquem patrem, qui colligat auctores omnes, qui in sua provincia et congregatione ab initio ordinis usque ad haec tempora scripserunt de quacumque materia, et Romam mittat exprimendo distincte, quidquid scripserint, et quando et sub quo generali et in quo loco editi libri, si sint impressi, vel ubi scripta reperiantur, cum aliis circumstantiis, quae opportunae videbuntur. Et quia ad fidelium excitandam devotionem erga Deiparam dominam nostram Rosarii Reginam Mariam maximam vim habere constat, si gratiae, favores et miracula per eius intercessionem patrata saepius legantur et fidelibus evulgentur, committimus eiusdem patribus provincialibus seu vicariis, ut curent, quod miracula praefata in idiomate suae provinciae seu congregationis imprimantur. Quod ob eandem causam volumus fieri de illis, quae per intercessionem sancti patris nostri Dominici in Suriano Dominus tam abunde operatur.

14. Quoniam experti sumus, quod maxima causa relaxationis conventuum est priorum negligentia in providendo fratribus de necessariis, ordinamus et districte praecipimus singulis prioribus, ut dent fratribus

necessaria ad victum et vestitum; quod vestimenta in specie ministrent, non vero pecuniam, et quod ad capitulum provinciale deferant litteras testimoniales, in quibus appareat, quod ipsi vestimenta secundum usum provinciae dederint suis subditis; statuentes et mandantes scrutatoribus vocum, ut ante quamcumque electionem huiusmodi litteras examinent, et si priores negligentes fuisse in dandis vestibus, praecipue tunicellis, suis fratribus invenerint, in eo capitulo ad vocem in electionibus non admittant; eos enim voce in praedictis electionibus praesenti statuto ex nunc prout ex tunc privamus.

15. Quoniam in aliquibus provinciis irrepsit intolerabilis abusus, ut priores aliqui toto tempore Adventus et Quadragesimae absint a suis conventibus, ut in aliis locis conciones habeant etiam sine licentia patris provincialis, et hoc non ad sublevamen conventuum, sed ad proprias utilitates procurandas, quo fit, ut in conventibus, temporibus, quibus arctior vigere deberet observantia, propter absentiam praelati fratres laxent habenas libertati nec divino assistant officio, ideo prohibemus omnibus prioribus sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, et ad quam declarandam et exequendam sola notorietas facti legitime probata sufficiat, ne temporibus praedictis quacumque causa et sub quovis quaesito colore sive pro alio negotio gerendo absint a suis conventibus, sed tunc regulari observantiae strictius promovendae invigilent; excipiuntur tamen iustis de causis priores provinciae Tolosae, Franciae, Indiarum et Parisiensis.

16. Ut eam reverentiam et submissionem, quae ordini nostro est congenita, Dei parenti nostrae advocatae [exhibeamus], ordinamus, ut in Salve Regina post completorium ad illa verba « Eia ergo, Advocata nostra» usque ad illa « Post hoc exilium ostende » inclusive etc. fratres genua flectant vel verso vultu ad altare vel chorus contra chorum, servata consuetudine cuiuscumque provinciae; dum autem pulsantur organa, sic vices cantus fratrum et soni organorum disponantur, ut fratres totam praefatam partem genuflexi ut supra cantent.

17. Considerantes magnam martyrem Catharinam suis intercessionibus sedulo semper ordini nostro patrocinatam fuisse, ordinamus, ut sub ritu simplici eius octava per totum ordinem celebretur.

18. Cum seraphica sancti patris Francisci religio nostrum ordinem charitatis fraternae brachiis amplexa in ultimis comitiis, quae patres minores de observantia Toleti habuere, serio ordinaverit, quod magister ordinis, provinciales, priores caeterique nostri ordinis praelati et fratres ad instar propriorum in suis conventibus recipiantur et respective honorentur, idque cum effectu summa cum charitate praecipue erga personam reverendissimi patris generalis nostri executioni demandaverint, ideo ut

et debitum gratitudinis officium rependamus et foveamus illum divinae charitatis ignem, quem in cordibus nostris ardere erga praefatos sanctus pater Dominicus praecepit, alias ordinata a nostris constitutionibus innovantes, omnibus et singulis prioribus seu conventuum et locorum praesidentibus mandamus, ut fratres omnes minores et praecipue de observantia, sicuti nostros charitative in suis conventibus recipiant, eorumque praelatos et praecipue reverendissimos patres generales cum omnibus reverentiae et charitatis indiciis honorent ac venerentur; atque interim ordinamus, ut, quotiescumque in tertiis feriis fit officium de sancto patre Dominico, fiat etiam memoria de sancto patre Francisco.

19. Ut magister ordinis cognitionem eam habeat omnium provinciarum et congregationum ordinis, quae pro bono eiusdem regimine omnino est necessaria, innovantes, quae statuta sunt in capitulo de visitatoribus, mandamus patribus provincialibus seu vicariis congregationum, ut post completam visitationem suarum provinciarum seu congregationum, si quae gravia et periculosa invenerint a tempore visitationis ultimo factae, licet correcta sint, studeant denuntiare magistro ordinis; cui etiam referre debebunt de his, quos visitaverint, fratribus, si in pace continui, in studio assidui, in praedicatione ferventes; quae de eis fama, quis fructus, si in victu et vestitu et aliis secundum tenorem institutionum ordo servetur; volentes insuper, quod, si qui casus singulares acciderint, statim de eisdem eumdem magistrum ordinis admonere curent, ut ille possit in omnibus, quae accidunt, ea quae pro bono ordinis regimine necessaria sunt, disponere; mandantes insuper, ut patres provinciales et vicarii sua officia complentes relinquant novis provincialibus seu vicariis plenam notitiam status provinciarum suarum seu congregationum; quod, si praestare neglexerint, moderni patres provinciales et vicarii ad id praestandum eos sua auctoritate compellant; et praeterea ordinamus patribus provincialibus, ut acta capitulorum provincialium ad eumdem magistrum ordinis mittant, ab eodem videnda et approbanda.

20. Cum etiam secundum constitutiones nostras cap. 14. § 8. solus magister ordinis vel capitulum generale approbare possit et licentiare fratres ad legendum pro gradu et forma magisterii, mandamus patribus provincialibus, ut statim quod aliquis designatus fuerit ad legendum in studiis, in quibus consuevit legi pro gradu et forma, de hoc quamprimum admoneant reverendissimum, ut ipse habita cognitione eorum, qui ad dictam lecturam designantur, huius notitiae rationem habere possit in distribuendis gradibus; ordinantes, quod, si aliqui deputati fuerint ad praefatam lecturam et non fuerit admonitus magister ordinis, (quod) ipsa deputatio sit irrita, et dicta lectura non sit admittenda pro gradibus consequendis.

Pro provincia Hispaniae.

1. Acceptamus conventum sancti Dominici de Orense et erigimus ipsum in prioratum cum omnibus gratiis et privilegiis, quibus conventus nostrae provinciae Hispaniae gaudere solent.

2. Acceptamus studium conventus sancti Pauli Conchensis, fundatum a domina Maria Chavarria, eis conditionibus, modo et forma, quibus receptum est a capitulo provinciali praedictae nostrae provinciae.

3. Concedimus ad petitionem dictae provinciae, ut numerus graduum praesentaturae titulo praedicationis, qui usque adhuc fuit in numero quaternario, sit in senario, et qui ad talem gradum promoti fuerint, gaudeant omnibus privilegiis et gratiis, quibus gaudere solent, qui praesentaturae gradu in praedicta provincia perfruuntur.

4. Concedimus, quod studium conventus nostri s. Vincentii Placentini praedictae nostrae provinciae Hispaniae inter studia generalia computetur, ita ut in ipso possint examinari fratres ad audiendas confessiones et ad verbum Dei praedicandum, sicut in aliis generalibus studiis eiusdem provinciae fieri consuevit.

5. Confirmamus praesentaturas titulo lecturae pro rev. p. fr. Martino de Alvenda sacrae theologiae lectore conventus s. Petri Martyris regalis Toletani et pro rev. p. fr. Ioanne Garcia de Duegnas lectore sacrae theologiae conventus s. Stephani Salmantini; et simul confirmamus praesentaturam titulo praedicationis pro p. Francisco Riojano, praedicatore conventus s. Thomae Matritensis.

Pro provincia Tolosana.

1. Confirmamus unionem factam conventuum congregationis sancti Ludovici, qui sunt cis Ligerim, cum provincia Tolosana cum conditionibus contentis in decreto unionis, dato per reverendissimum magistrum ordinis Tolosae sub die septima novembris 1646, moderandis ad arbitrium eiusdem reverendissimi magistri ordinis quantum ad auctoritatem et retentionem vicarii conventuum, qui non sunt deputati pro strictiori observantia, et explicandis quoad alia hoc modo, scilicet quod nullus possit eligi in provincialem nisi ex patribus viventibus et assignatis in conventibus destinatis pro strictiori observantia, sive isti patres fuerint ex provincia sive ex congregatione. et quod recipiendi approbentur quidem a patribus conventuum, pro quibus suscipere debent habitum, sed tamen non induantur nisi in conventibus, in quibus vigeat stricta observantia et pro ea destinatis, ibique maneant nec ad conventus suos revertantur, donec illi ad observantiam strictiorem fuerint deputati. Confirmamus item institutionem admodum rev. p. fr. Vincentii Bosside in provincialem eiusdem provinciae Tolosanae, volentes, quod super conventibus ad strictiorem observantiam non deputatis habeat omnem au-

ctoritatem, quae statutis praedicti decreti unionis non contradicit; ordinantes quoque, quod verba omnia ex decreto illo expungantur, quae aliquod praeiudicium honoris inferre videbantur patribus in conventibus non deputatis ad observantiam strictiorem manentibus, et quod praedicti patres ubique in tota provincia gaudeant privilegiis competentibus illis gradibus, quos habent; et quod si voluerint transire ad conventus pro strictiori observantia deputatis, possint statim assignari per solum provincialem, et non teneantur manere sub cura magistri novitiorum; et ordinamus etiam, quod tempore capituli socius provincialis vel diffinitoris sumatur ex patribus manentibus in conventibus, non deputatis ad strictiorem observantiam.

2. Confirmamus ordinationes factas a rev. admodum p. provinciali Tolosano in visitatione monasterii Iuniarum caeteraque ab eo ibi statuta pro bono et pace sanctimonialium, mandantes illis, ut exactissime ea servent, ac si a nobis emanata fuissent.

Pro provincia Franciae.

1. Declaramus erectionem congregationis Gallicanae in provinciam sub titulo provinciae Parisiensis nullo modo praeiudicare iuribus provinciae Franciae in conventu Parisiensi sancti Iacobi, ita ut omnia iura, quae dicta provincia Franciae in dicto conventu habebat ante erectionem praedictam, illaesa prorsus et intacta maneant.

2. Cum provincia Franciae nullum Parisiis habeat conventum aut hospitium, ibique saepius immorari rev. admodum p. provinciali Franciae pro gerendis suae provinciae negotiis necesse sit, ordinamus iuxta antea statutum per reverendissimum patrem generalem, ut in conventu s. Iacobi Parisiensis specialis deputetur camera pro hospitio rev. admodum p. provincialis Franciae pro tempore, in qua nullus nisi ipse habitare possit, et quae sibi sit specialiter affecta.

3. Confirmamus ordinationes, quas fecit reverendissimus pater generalis in sua Galliarum visitatione pro bono ipsius provinciae vitaeque regularis incremento, ita tamen quod omnes conventus observantiae et patres et fratres in eis degentes sub vicario ad eos regendos, deputato a patre reverendissimo generali, plenissime subsint auctoritati et iurisdictioni rev. admodum p. provincialis, ut fertur in constitutionibus dist. 2. cap. 1. in declarationibus.

4. Confirmamus decretum et sententiam latam per reverendissimum magistrum ordinis pro restitutione conventus Ambianensis eidem provinciae Franciae, cuius decreti tenor infra sequitur:

Nos fr. Thomas Turcus, sacrae theologiae professor ac totius ordinis praedicatorum humilis magister generalis ac servus, salutem.

Cum ex speciali commissione capituli generalissimi Romae celebrati

anno 1644 nobis fuerit demandatum, ut in nostra Gallicana visitatione decerneremus in causa vertente inter provincias et congregationem s. Ludovici circa repetundas aliquorum conventuum nobisque pater provincialis provinciae Franciae exposuerit, conventum nostrum Ambianensem non esse a sua provincia separatum, sed solum patri vicario praefatae congregationis ad tempus commendatum, ac proinde petierit instanter huiusmodi commendationem terminari et sibi praefatum conventum in praesenti restitui, nos auditis prius hinc inde utriusque partis, scilicet patris provincialis praefati et patris vicarii congregationis sancti Ludovici, rationibus, visisque omnibus videndis et mature consideratis, harum serie nostrique auctoritate officii declaramus, praefatum conventum Ambianensem de iure pertinere ad praefatam nostram provinciam Franciae, ac proinde eidem esse incorporatum et unitum et nonnisi ad tempus fuisse commissum patribus congregationis nostrae sancti Ludovici, ideoque, ut ius reddatur dictae nostrae provinciae, volumus, declaramus et ordinamus, hanc commissionem durare usque ad quinquennium a datis praesentium computandum et numerandum; quo elapso decernimus, finitam esse ac terminatam huiusmodi commissionem et actualem dicti conventus curam et dispositionem plene exercendam fore a patre provinciali praefatae nostrae provinciae Franciae, dummodo tamen in eadem provincia competens fuerit numerus conventuum, in quibus vera et realis vigeat observantia, secundum arbitrium nostrum iudicandus. Ordinantes interim, ut dicta nostra congregatio teneatur in compensationem recipere seu educare quatuor fratres dictae nostrae provinciae Franciae, ut magis in eadem florescere valeat regularis observantia, ita tamen ut haec obligatio statim cesset post redditam provinciae eidem possessionem praefati conventus. Ut autem pax inter praefatas provinciam et congregationem servetur et foveatur, inhaerentes decreto capituli generalissimi Romae anno 1644 celebrati prohibemus et praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, necnon sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, ne quis in posterum aliquem vel aliquos conventus dictae nostrae provinciae sub quocunque praetextu, etiam reformationis factae aut faciendae, praesumat sine nostra licentia invadere aut a iurisdictione dicti patris provincialis pro tempore seu a nostra provincia separare, sicut neque sub quovis praetextu fratres dictae provinciae ab obedientia eiusdem patris provincialis fugientes et sine licentia ad ipsos recurrentes recipere, fovere aut defendere, quibuscunque in contrarium non obstantibus. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. In quorum fidem his officii nostri sigillo munitis manu propria subscripsi-

mus. Datum Parisiis in nostro conventu s. Iacobi die 17. mensis iulii anno Domini 1646.

Fr. Thomas Turcus qui supra.

Fr. Petrus Maria de Sextula
Magister et socius.

Registrata fol. IX.

5. Declaramus, conventum Ruppellensem ad dictam Franciae provinciam pertinere eidemque esse incorporatum, cum eiusdem provinciae sit antiquum membrum iamque per curam rev. patrum provincialium Franciae fere in pristinum statum sit restitutus, idque iuxta declarationem iam a reverendissimo patri generali factam; cui declarationi non obstabit capitulum Romanum anni 1629, ubi inter conventus congregationis s. Ludovici dictus Ruppellensis conventus per inadvertentiam est annumeratus.

6. Transferimus affiliationes rr. pp. ff. Renati Vaillard magistri a conventu Aurelianensi, et Dominici Morin a Tuarcensi ad conventum sancti Ioannis de Angelis, Ioannis Fesquet a Lexoviensi ad Belnensem, Antonii Gavuin ab Ambianensi ad Pontensem, supplendo consensum conventuum, a quibus recedunt, dummodo accedat consensus maioris partis filiorum actu existentium in conventibus, ad quos deputantur, aut saltem reverendi admodum patris magistri provincialis, si non sint ibi filii proprii eius conventus, in quo cupiunt affiliari.

7. Affiliamus rev. p. fr. Iordanum Tiquet in conventu Cadomensi sub eisdem conditionibus.

8. Confirmamus et approbamus affiliationes rev. p. mag. fr. Antonii Birsot in conventu Matisconensi, et p. fr. Petri Visdegreaim in conventu Andegavensi, et p. fr. Danielis Bebau in conventu Engolismensi, quae iam factae et acceptatae sunt secundum formam in constitutionibus praescriptam.

9. Approbamus magisteria rev. p. fr. Ludovici Pele et rev. p. fr. Stephani Raveneau in facultate Parisiensi, et rev. p. fr. Petri Thibandeau et rev. p. fr. Francisci Guiton in facultate Pictaviensi, et rev. p. fr. Ioannis Cartus in facultate Rhemensi, et rev. p. fr. Ioannis Gabouin in facultate Bituricensi, et rev. p. fr. Dominici Barbier et rev. p. fr. Matthaei Dufosse et rev. p. fr. Francisci Farconet.

10. Ordinamus, quod deinceps in quolibet capitulo provinciali unus tantum nominetur baccalaureus ad lecturam sententiarum pro qualibet facultate, et quod nullus sit capax nominationis, qui examinatus rigorose non fuerit et approbatus per quinque magistros, a rr. admodum pp. provinciali et diffinitoribus capituli deputandos. Item quod nullus

possit laurea doctorali insigniri, qui non transmiserit ad reverendissimum generalem litteras testimoniales facultatis theologicae, pro qua deputatus est, quibus constat eum omnes ex integro perfecisse actus in ea fieri solitos, et etiam litteras testimoniales iuratas rev. admodum p. provincialis et patris prioris conventus, in quo pro gradu est assignatus; in quibus litteris aperte constet, eundem et probatis splendere moribus et eosdem actus universitatis ex integro perfecisse.

11. Praecipimus rev. patribus magistro priori caeterisque magistris et patribus et fratribus conventus Gratianopolitani, ut collegium humanarum litterarum, philosophiae et theologiae, quod hucusque in praedicta civitate feliciter rexerunt, ardentiori desiderio deinceps prosequantur, ipsisque sub formali praecepto prohibemus, ne dictum collegium derelinquant, sed in procuranda gloria ordinis seculariumque educatione diligentius invigilent; quod ut fructuosius et libentius fiat, ordinamus, quod in promotione baccalaureorum habeatur ratio eorum, qui in dicto collegio cursum perfecerint, et ita ut nullus filius dicti conventus promoveatur ad gradum magisterii, nisi prius cursum philosophicum in eo perlegerit.

12. Ordinamus, quod per provincialem et diffinitores capituli provincialis proxime futuri deputentur maiores conventus, in quibus novitii secundum rigorem constitutionum educentur; qui quidem conventus erunt novitiatus, dummodo sex aut saltem quatuor in eis sint novitii.

Pro provincia utriusque Lombardiae.

1. Ordinamus, quod in posterum nullus ad habitum clericorum recipiatur, qui a p. provinciali personaliter non fuerit de consilio patrum approbatus; novitiatusque simplicium, quantum fieri potest, non interrumpatur per novas vestitiones, sed omnes simul in eodem novitiatu recipiantur, omnibus professis exclusis a dicto novitiatu; qui tamen non amoveantur a conventu, pro quo professionem emiserunt, quoadusque totum cursum philosophicum expleverint.

2. Confirmamus ordinationem factam in capitulo provinciali 1645, quod nullus conversus ad professionem possit admitti, nisi actualiter manserit per annum continuum in eo conventu, pro quo profiteri debet; numerus vero conversorum excedere non possit taxam a sacra congregatione et a nostris constitutionibus praefixam; irritantes, quidquid in contrarium factum fuerit, et volentes, quod reducatur ad praxim ordinatio capituli generalissimi Romae anno 1644, videlicet quod in singulis annis approbentur ac examinentur de sufficientia morum ac vitae christianae a patribus a consiliis, et qui inventi fuerint deficientes, puniantur, etiam privatione scapularis.

3. Ordinationes a reverendissimo patre generali in visitatione con-

ventus Bononiensis factas confirmantes, mandamus priori provinciali et patri priori eiusdem conventus Bononien., ut eas omnino servari faciant; decernentes, quod, si aliquis contra formam in praefatis ordinationibus statutam in studentem formalem vel lectorem seu etiam praedicatorem examinatus fuerit et approbatus, totum sit irritum et nullum, sicut de facto id irritum et nullum esse decernimus, talesque contra formam ut supra examinatos et approbatos pro non examinatis et approbatis haberi volumus; verum easdem ordinationes pro ea parte, in qua respiciunt studium, extendentes ad studentes et novitios totius provinciae, ordinamus, quod studentes, qui sunt extra studium Bononiense, singulis annis examinentur tam de moribus quam de litteris; et quod nullus possit admitti ad examen studentatus formalis, qui conferentias non frequentaverit et qui conclusiones publicas de toto cursu philosophico laudabiliter non sustinuerit; et similiter quod non possit aliquis in lectorem promoveri, qui conferentiis non adfuerit et annuale examen non subierit et conclusiones de auditis in triennio sui studentatus laudabiliter non defenderit; de quibus omnibus litteras testimoniales iuratas examinandus deferre debebit; quod de graduandis gradu praedicatoris intelligi volumus, saltem quantum ad conferentias et examen; volentes insuper, quod studentes formales, quibus assignatus est conventus pro triennio sui studentatus extra Bononiam, non possint admitti ad examen lectoratus, nisi de facto in eisdem conventibus triennium expleverint absque interruptione. Conventus autem, in quibus manere poterunt studentes formales extra Bononiam, erunt Cremonensis, Faventinus, Neapolitanus et Papiensis, usquequo Boschensis sit in meliori statu et absque bellorum periculo possit studentes admittere; et examinatores studentium extra Bononiam erunt magistri in theologia et lectores theologiae actu legentes; et si ex istis non completur numerus quinnarius, qui fuerunt lectores primi eiusdem vel alterius conventus, et in horum defectum lectores theologi, et his deficientibus actuales lectores artium; quod si contra formam in hac ordinatione statutam aliquis vel in studentes vel in lectorem seu praedicatorem fuerit examinatus, totum sit irritum et nullum, et ut pro irrito et nullo habeatur, praesenti decreto decernimus; novitii etiam non admittantur in studio Bononiensi, nisi per litteras testimoniales ostendant, se pro sua parte hic ordinata adimplevisse.

4. Ordinamus, quod lectores philosophi teneantur intra spatium ad minus trium et ad summum quatuor annorum totum cursum explevisse, nempe logicam, physicam, animam, metaphysicam usque ad septimum librum inclusive, et legendo non solum quaestiones, verum etiam textum Aristotelis, nec possint celerius nec tardius; si quis autem lectorum inventus fuerit, spatio supradicto non perfecisse suum cursum, amoveatur

ab officio lecturae et inhabilis sit ad amplius legendum; nullus autem promoveri possit ad lecturam theologiae moralis, qui praefato modo non legerit; nec adhuc aliquis ex lectura morali ad primam elevari possit, nisi per tres annos moralem docuerit, quacumque dispensatione non obstante; irritantes et annullantes quascumque assignationes contra decretum huius ordinationis factas, quas praesenti statuto de facto irritas et nullas quantum ad omnia declaramus et haberi volumus.

5. Ordinamus conformiter ad ea, quae in capitulo provinciali 1644 ordinata sunt, quod pro iustitia distributiva servanda nulli deinceps monialium confessarii, qui per quadriennium hoc munere perfuncti fuerint, possint in biennio sequenti ad idem officium assumi sive in eadem sive in aliena civitate, irritantes quidquid in oppositum factum fuerit; quod si tempore interstitii in officio prioratus vel supprioratus vel syndicatus non fuerint occupati, non possint amplius ad confessiones monialium admitti, magistris in theologia exceptis.

6. Renovamus, quod alias fuit in pluribus capitulis ordinatum, quod quilibet prior, antequam proponat in consilio patrum negotium pertractandum, invocato Spiritu sancto, admoneat patres de sigillo et silentio observando sub poena privationis paternitatis; consiliaque graviora registrentur a secretario non privatim, sed coram priore et patribus, notatis eorum nominibus.

7. Admonemus admodum rr. pp. provinciales, eorum conscientias in diem Christi aggravantes, ut postquam semel novitios seu studentes sub uno lectore assignaverint, eos non amoveant nisi ex gravissima et urgentissima causa.

8. Ordinamus, quod nullae unquam in posterum transferantur affiliationes a conventu s. Catharinae de Formello Neapolis ad alios conventus provinciae, revocantes licentias hactenus datas et executioni non demandatas, et subreptitias declarantes dandas, nisi in licentia, quae dabitur, de hac nostra prohibitione expressa et individualis fiat mentio.

9. Revocamus omnes assignationes hactenus pro primo loco datas cuicumque et a quocumque pro quibuscumque officiis; quae vero in posterum conceduntur, subreptitia censeantur, nisi infra duos menses notificentur admodum rev. p. provinciali.

10. Ordinamus, quod fratres extranearum provinciarum, si alia requisita iuxta nostras constitutiones habeant, admittantur ad electiones canonicas, revocantes quidquid alias in contrarium ordinatum est, exceptis tamen studentibus formalibus conventus Bononiensis, quibus ex immemorabili consuetudine et ex concessione apostolica facultas ferendi votum est denegata.

11. Approbamus magisteria rr. pp. ff. Augustini de Corregio inqui-

sitoris Regiensis, Petronii de Bononia, Iulii Mariae Zachariae de Cremona, Eustachii de Brixia, Innocentii de Bononia, Petri Angeli de Callio et Thomae Mariae Corbelli de Fano.

12. Approbamus et confirmamus affiliationes infrascriptas rev. admodum p. magistri fr. Petronii de Bononia a conventu sanctae Catharinae de Neapoli ad conventum Bononiensem, rev. p. lectoris fr. Ludovici Mariae de Tridino a conventu de Tridino ad conventum Ferrariensem sanctae Mariae Angelorum, rev. p. lectoris fr. Vincentii de Sondrio a conventu suo originali Morbinii ad conventum Comensem, rev. p. lectoris fr. Vincentii Mariae de Tridino a conventu sanctae Catharinae Tridini ad conventum sancti Dominici Casalis, fr. Dominici Mariae de Luca a conventu suo originali ad conventum sancti Martiani de Terdona et fr. Ioannis Baptistae de Eugubio a conventu Eugubino ad conventum s. Thomae Papiae.

13. Damus in baccalaureum studii nostri Bononiensis admodum rev. p. mag. fr. Ioannem Dominicum de Mutina pro prima vacantia, et in eius defectum admodum rev. p. mag. fr. Thomam Valle de Venetiis, et in lectorem biblicum admodum rev. p. mag. fr. Ludovicum Mariam Calchum.

14. Committimus reverendissimo p. generali, ut curet omnino observari privilegium apostolicum, quod habet provincia in acceptandis magistris in theologia, et quod procuret apud sanctissimum, ut dictum privilegium confirmare dignetur.

Pro provincia Romana.

1. Ne cura monasteriorum monialium, propter absentiam casualem sive praevisam et saepe necessariam prioris et confessarii monialium, ad quos minus decet devolvatur, ordinamus, quod, ubi sunt plura monasteria monialium, si contingat priorem simul abesse et confessarium unius monasterii, remaneat tunc vicarius monasterii destituti priore et confessario confessarius alterius monasterii. Quod si plura duobus monasteriis in eadem civitate fuerint, tunc confessarius in religionis professione antiquior, curam suscipiat; ubi vero unum tantum monasterium est, si contingat abesse confessarium, instituet, ut sibi bene visum fuerit et placuerit, prior; qui si impraemeditato casu mori vel amoveri contingat, ad consilium patrum spectet instituere, prout sibi placuerit, donec per priorem provincialem provideatur.

2. Quia cultui ecclesiae impedimento est bina festorum sancti Hyacinthi et sanctae Catharinae de Senis celebratio in multis provinciae locis, idcirco concedimus omnibus conventibus liberam potestatem altero ex his diebus dumtaxat vel utroque die celebrandi praedicta festa, dummodo choro et conventui unusquisque se conformet.

3. Pro maiori devotione erga sanctum Ambrosium Sansedonium

ordinis nostri concedimus conventui et fratribus sancti Dominici Senarum potestatem celebrandi eius octavam solemnem.

4. Confirmamus et approbamus denuntiationem factam in capitulo provinciali in conventu Florentino s. Mariae Novellae hoc praesenti anno celebrato, in qua conventus sancti Dominici de Suriano in terra sancti Felicis ab illustrissimo et excellentissimo d. d. Caietano, Sermonetae duce, structus et complete exstruendus supradictae provinciae incorporatur, cum hac tamen conditione, ut assignentur reditus sufficientes pro alendis fratribus.

5. Approbamus affiliationem factam ex provincia s. Petri martyris ad conventum s. Agnetis de Monte Politiano rev. p. baccalaurei fr. Nicolai Barberii (1).

6. Approbamus regentiam studii generalis provinciae sanctae Mariae de Quercu Viterbii admodum rev. p. mag. fr. Angeli Sardini, ex dispensatione cum eo facta de tempore, quod supererat ad complendum triennium, ita ut gaudere possit et gaudeat loco et voce et omnibus aliis privilegiis, quibus gaudere solent et gaudent omnes, qui fuerunt in praedicto studio regentes.

7. Damus in regentem eiusdem studii generalis provinciae s. Mariae de Quercu Viterbii admodum rev. p. mag. fr. Ambrosium Bandinum et in baccalaureum ordinarium rev. p. lectorem fr. Ludovicum Barati.

Pro provincia Regni.

1. Confirmamus, quod in capitulo generalissimo Romae celebrato sancitum est, quod scilicet in processionibus generalibus, quae in civitate Neapolitana habentur, provincialis provinciae Regni dispositioni omnes nostri religiosi, licet aliarum provinciarum, sint subiecti.

2. Hortamur et, quantum opus est, mandamus prioribus nostrorum conventuum, in civitate Neapolis existentium, ut, quando reliquiae sanctissimi patriarchae nostri Dominici et sancti doctoris Thomae Aquinatis ab archiepiscopatu ad nostram ecclesiam conventus sancti Dominici Regalis asportantur, fratres suorum conventuum ad illas processiones convenire faciant.

3. Ordinamus, ut, quando contigerit, quod admodum rev. p. provincialis vel rr. pp. priores conventuum s. Dominici, s. Petri Martyris et ss. Rosarii de Neapoli quadragesimali tempore in ecclesiis praefatorum conventuum conciones habeant, eisdem pro eleemosyna solum quinquaginta ducata a praefatis conventibus concedantur, nec talis numerus quovis modo augeri possit sub quocumque praetextu aut colore vel scilicet titulo cibi seu vestimentorum vel per quaestus aut capsulas a confessariis, vil-

(1) De fr. Nicolao Barberio cf. SSOP. II, 673.

licis aliisque conventuum officialibus sub poena absolutionis ab officio et restitutionis pecuniarum.

4. Confirmamus, quod in capitulo generali Bononiae anno 1615 celebrato pro provincia Regni decretum est, quod scilicet provincialis pro tempore officiales conventuum eiusdem provinciae, qui nonnisi de consilio patrum institui solent, sine tali consilio illos instituere non valeat, et in casu contrario talis institutio nulla sit et irrita, et hoc sub poena suspensionis per tres menses.

5. Praesenti decreto praecipimus omnibus prioribus et fratribus eiusdem provinciae, cuiuscumque sint conditionis et auctoritatis, ut per illos nullae erigantur congregationes aut conventiones saecularium utriusque sexus cum impositione alicuius pecuniae, sive implicita sive explicita sit talis impositio et exactio, et erectas praesenti statuto annullamus et cassamus, iis exceptis, quae per praedecessores nostros sunt firmatae; et ut hoc inviolabiliter servetur, huiusmodi executionem committimus patri provinciali vel priori conventus, ubi hoc contigerit, sub poena absolutionis ab eorum officiis.

6. Ordinamus conventuum prioribus et praesidentibus, ut de morte fratris sui conventus moneant p. provincialem et omnes provinciae conventus.

7. Ordinamus, quod in conventibus s. Dominici, s. Petri Martyris et ss. Rosarii de Neapoli ultra lectiones theologiae ordinarias non sint nisi duae aliae, physicae scilicet et logicae; cassantes lectores tituli lectoris textus s. Thomae, controversiarum et casuum conscientiae, ut supra ordinatum, et declarantes, quod duo lectores philosophiae et logicae, qui modo in praefatis conventibus legere debent, illi sint, quorum assignatio est antiquior, et, qui remanent exclusi, secundum ordinem assignationis illorum pro officio lectoratus admittantur in illis conventibus ad legendum, expleto tamen cursu illorum duorum lectorum, qui ex vi praesentis statuti remanent ad legendum.

8. Ut visitatio sit proficua conventibus et minime onerosa ordinamus, ut provincialis pro tempore per se ipsum visitet conventus extra Neapolim, et quam citius poterit, a visitatione se expediat; in conventibus vero intra civitatem Neapolim existentibus ad summum intra spatium 25 dierum visitationem claudat.

9. Erigimus prioratus cum omnibus privilegiis vicariatos nostros sanctae Catharinae virginis et martyris de Reciliano, Iesu Mariae civitatis Puteolis, s. Crucis civitatis de Castromaris et ss. Rosarii de Afragola, dummodo alant duodenarium numerum fratrum.

10. Damus in regentem pro primo loco vacante nostri studii generalis sancti Dominici de Neapoli admodum rev. p. fr. Gregorium Cippullum sacrae theologiae magistrum, in baccalaureum ordinarium eiusdem

studii generalis pro primo loco p. baccalaureum fr. Gregorium de sancto Marco et pro secundo loco p. baccalaureum fr. Ignatium de Balneolo et in magistrum studentium pro hac vice p. lectorem fr. Stephanum de Fontana Rosa, cum primo hoc officium vacaverit.

5 **Pro provincia Poloniae.**

1. Erigimus in prioratum conventum nostrum Kaniensem, fundationis illustrissimi ducis Sanguseo.

2. Cum in capitulo intermedio Climuntoviensi anno Domini 1636 celebrato pro manutenenda pace et concordia iurata statutum fuerit, in 10 casu mortis vel amotionis provincialis sequens rata devolvatur ad aliam partem, quantumvis provincialis mortuus vel amotus dimidium sui officii non attigerit, quantumcumque etiam brevissimo tempore post confirmationem et possessionem acceptam mortuus vel amotus fuerit, declaramus, ut id in casu non confirmationis minime observetur, sed, quotiescumque 15 contigerit provincialem ex aliqua parte non confirmari, sive id fiat ob errorem electionis sive ob defectum electi vel quacumque alia de causa, electio devolvatur ad eamdem ratam, ex qua non confirmatus assumptus fuerat.

3. Concedimus licentiam admodum rev. p. provinciali pro tempore 20 existenti, quatenus fratribus minutiora opuscula imprimere et praelo mandare cupientibus, praecipue vero sermones varios et funebres et alia huiusmodi devotionem excitantia et quae vulgari lingua imprimuntur, facultatem dare possit, servatis servandis et salva confirmatione tertia praesentis capituli et ordinatis semper in ea.

25 4. Ut autem commodius in hac provincia capitulum provinciale celebrari possit, statuimus, ut in futurum dictum provinciale capitulum celebretur dominica « Deus qui errantibus », ac propterea decernimus, quod praesens pater prior provincialis post expletum suum tempus duret in gubernio eiusdem provinciae, usquequo provincialis in capitulo ut supra 30 tempore dominicae « qui errantibus » celebrato electus et confirmatus fuerit et praesens in provincia extiterit.

5. Confirmamus sententiam in materia praecedentiae datam a iudicibus causarum civilium et decernimus admodum rev. p. fr. Arnolphum Praezinii magistrum praecedere debere admodum rr. pp. magistros fr. Mat- 35 thaeum Borovicum et fr. Dominicum Krasuski.

6. Damus in regentem studii nostri generalis Cracoviensis admodum rev. p. fr. Hyacinthum Mijahovski magistrum, modernum priorem Torrunensem. Quod si forte ob debilem valetudinem vel ex alio impedimento a tali munere praedictus fuerit impeditus, in locum eius regentis 40 officium subeat admodum rev. p. fr. Dominicus Krasuski magister, modernus prior Gedanensis.

7. Damus in baccalaureum praedicti studii pro prima rata duorum annorum rev. p. baccalaureum fr. Stephanum Pipybylo, pro secunda vero rata rev. p. baccalaureum fr. Carolum Kuropatnoa.

8. Monemus admodum rr. pp. huius provinciae, quatenus unicum studium generale Cracoviense manuteneant et foveant; priori vero provinciali eiusdem provinciae pro tempore existenti serio praecipimus, ut patres lectores actu non legentes ad sequelam chori et ad hebdomadariam cogat et contrafacientes poenis statutis puniat. Similiter rr. pp. conventus Cracoviensis hortamur in Domino et, si opus est, mandamus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae, ut patres et fratres aliorum conventuum filios in suo studio assignatos charitative recipiant, amore prosequantur nec eos sine causa perturbent, ne scilicet ob turbationes ac molestias ab ipsis illatas studia sua relinquere compellantur.

9. Approbamus baccalaureatum rr. pp. fr. Alberti et fr. Francisci Gabrieski (1) pro hac provincia volumusque, ut loco lecturae in ea provincia habeatur.

Pro provincia Aragoniae.

1. Ordinamus, quod in omni studio theologiae sint decem vel ad minus octo studentes, et in quolibet cursu artium octo studentes vel ad minus sex; si autem per tres menses continuos minor numerus fuerit et non reparetur, lectiones horum lectorum nullo modo ad obtinendos gradus computentur; et si hoc contingat in studiis generalibus, talis conventus ex tunc privilegiis universitatis sit privatus.

2. Ordinamus, quod cursus artium nulla ratione vel causa ponatur in conventibus, ubi non est formalis domus novitiorum, et tales lectores, ac si non legissent, in ordine ad gradus obtinendos iudicentur.

3. Ordinamus, quod ad lectores omnes sive artium sive theologiae examinentur solum in quatuor praecipuis conventibus, videlicet Barcinonensi, Caesaraugustano, Maioricensi et Valentino, et si in aliis conventibus examinentur, pro non lectoribus habeantur. Idem dicimus de praedicatoribus et confessoribus exponendis, auferentes circa hoc auctoritatem dispensandi ab admodum rr. pp. provincialibus.

4. Acceptamus in civitate Barcinonensi collegium sub titulo ss. Vincentii et Raymundi fundatum ab illustri domina Eulalia Ferrer et Iordá, de nostra religione valde benemerita, ex cuius liberali manu 300 circiter millia ducatorum accepimus.

5. Confirmamus sententiam ab admodum rev. p. magistro fr. Baltasare Anglois, visitatore et commissario rev. p. n. generalis in principatu Cathaloniae, latam in favorem rev. admodum p. fr. Pii Vives sacrae theo-

(1) De fr. Francisco Gabrieski cf. SSOP. II, 574.

logiae magistri, [qua] restituitur ad prioratum nostri conventus s. Catharinae martyris Barcinonae.

6. Promovemus ad praesentaturae gradum titulo lectionis pro locis actualiter vacantibus et non aliter in regno Aragoniae rr. pp. ff. Petrum Martyrem de Maya, Petrum Miravete, Petrum Palacios, Petrum la Villa, Bernardum Aguirre, Blasium del Fau et Iosephum Grañena.

7. Pro locis actualiter vacantibus et non aliter in regno Valentiae promovemus ad praesentaturae gradum rr. pp. Vincentium Trecens et fr. Thomam Gonçalez.

8. Instituimus praedicatores generales pro locis actualiter vacantibus in principatu Cathaloniae rr. pp. fr. Michaelem Broca pro conventu Tarraconae loco rev. p. fr. Ildephonsi de Vera praesentati praedefuncti, Petrum Martyrem Valent, priorem Dertusae, pro conventu Illerdensi loco p. fr. Ioannis Baptistae Companijs praedefuncti.

9. In regno Aragoniae instituimus praedicatorem generalem pro conventu de Caspe rev. p. fr. Laurentium Sevilla loco p. fr. Matthaei Almor praedefuncti.

10. In regno Valentiae instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Petrum Febrer pro conventu Luchentino per renuntiationem rev. p. fr. Petri Torres, Raymundum Samper pro collegio Oriolae loco p. fr. Dominici Capracio praedefuncti, Petrum Gil pro conventu Castillionis de la Plana loco p. fr. Mauritii Gomez praedefuncti.

11. In conventu nostro s. Catharinae martyris Barcinon. damus in magistrum studentium p. fr. Dominicum Pujol, expleto biennio p. fr. Petri Martyris Sementer.

12. In conventu nostro praedicatorum Caesaraugustae damus in regentem studiorum rev. admodum p. fr. Felicianum Uberte magistrum; in lectorem ordinarium theologiae pro primo loco vacante p. fr. Dominicum Pujol et pro secundo loco vacante p. fr. Franciscum Latas.

13. In conventu sancti Dominici Maioricarum damus in lectores ordinarios sacrae theologiae duabus primis vacantiis rr. pp. fr. Raymundum Vincentium Maymò et Michaelem Cerralta; in conventu nostro praedicatorum Valentino damus in lectorem theologiae, pro primo loco vacante rev. p. fr. Thomam Lapis, qui laudabiliter in hoc capitulo pro hac provincia conclusiones defendit; et in conventu nostro Luchentino damus in lectorem theologiae pro prima vacante rev. p. fr. Ioannem Canet.

Pro provincia Bohemiae.

1. Erigimus pro novitiatu in hac provincia conventum sanctae Mariae Magdalenae in civitate Pragensi, cui applicamus omnia bona, quae S. C. Maiestas Ferdinandi secundi conventui Litomericensi pro novitiatu

concessit et S. C. Ferdinandi tertii conventui sanctae Mariae Magdalenae ad duodennium applicavit, ut ibi formatus conventus et novitiatus erigi posset; siquidem bella et militum invasiones id fieri in conventu Litomericensi impediunt.

2. Confirmamus ordinationem factam in capitulo generalissimo in Urbe celebrato anno 1644, in quo prohibetur, ne ullus frater particularis parochum agat praeter priores conventuum, qui de licentia admodum rev. p. provincialis parochias recipere possunt, dummodo eas administrare commode valeant et sine damno animarum in conventu pernoctare, fructusque ex illis provenientes in usum conventuum convertant.

3. Promovemus ad praedicaturam generalem rev. p. fr. Hyacinthum Burgart priorem Clatoviensem pro conventu Znoymensi et p. Albertum del Rosario praedicatorem Pilznensem pro conventu Pilznensi.

4. Concedimus rev. p. fr. Dominico Georgio, ut simul cum gradu praedicaturae generalis titulum lectoris retineat.

5. Admittimus affiliationem rev. p. fr. Ludovici Guelfii ex provincia Teuthoniae ad hanc provinciam pro conventu Budovicensi.

6. Recipimus ad omnes gratias et beneficia ordinis rev. p. fr. Theophilum de Ostropoli nostrae provinciae Russiae.

Pro provincia provinciae Angelorum.

1. Concedimus, quod in conventu Aquensi dumtaxat festum sanctae Catharinae Senensis celebrari possit die trigesima aprilis ob augendam populi devotionem.

2. Ordinamus et inviolabiliter observari mandamus, quod in eodem conventu Aquensi, utpote in quo viget unicum studium generale provinciae, necnon deputata est strictissima observantia, non eligantur nisi viri graves, in litteris periti ac zelosi in priores iuxta praescriptum sacrarum nostrarum constitutionum, de quibus verisimiliter praesumatur, quod observantiae ac studiorum augmento operam dabunt efficacem, secus autem electi minime confirmentur.

3. Confirmamus ordinationem ultimo capitulo provinciali Toloni die 6. maii 1645 celebrato latam, qua statuitur, ne aliquis quantumvis examinatus et approbatus ad praedicandum possit per integrum quadragesimae vel adventus decursum conciones extra nostras ecclesias habere, nisi prius praedicatoris ordinarii munus per duos annos ad minus in provinciae conventibus laudabiliter exercuerit.

4. Approbamus et executioni omnino mandari volumus, quidquid pro communi bono ac pace provinciae necnon studiorum promotione circa graduatos et praedicatores generales determinatum fuit a reverendissimo patre generali pro tunc, Nicolao Rodulphio, per suas litteras patentes sub datum Romae die ultima novembris 1636 et ab eodem in

actis capituli provincialis Arelatensis Romae die 5. decembris 1637 necnon in capitulo generalissimo Romae 1644 atque etiam a reverendissimo p. nostro generali in suo transitu per provinciam Aquisestiis die 21. octobris 1645 approbatum et confirmatum.

5. Promovemus ad magisterii gradum rev. p. baccalaureum fr. Petrum Begou pro loco actu vacante rev. p. magistri fr. Hyacinthi Taeij, et ad gradum baccalaureatus rr. pp. lectores fr. Hyacinthum Ditenaud, Antoninum Fort, Honoratum Flamenque (1) et Iacobum de Bartholem pro locis actu vacantibus rr. pp. fr. Dominici Cravesan, Ioannis Michaelis de Iudicibus, Augustini Champosin et Petri Begou, salvis huius provinciae iuribus ac servatis servandis.

6. Declaramus conventus Valentinum et Diensem iuxta decreta capitulorum generalium Romae 1629 et 1644 non esse ab hac provincia separatos, ideoque eidem effective decernimus restituendos secundum decretum reverendissimi p. n. generalis et secundum conditiones in eo contentas post quinquennium a die lati decreti videlicet Parisiis 12. iulii 1646 computandum.

7. Confirmamus restitutionem conventus Briansonii factam huic nostrae provinciae una cum unione et incorporatione perpetua conventus Pignerolii in eadem, salvis conditionibus praesertim manutenendae observantiae expressis per decretum reverendissimi p. n. generalis sub datum Parisiis die 12. iulii 1646.

Pro provincia Trinacriae.

1. Confirmamus declarationem illam in capitulo provinciali in conventu sancti Dominici de Sacca anno nuper elapso celebrato factam, quod scilicet sequens capitulum provinciale celebretur in conventu s. Dominici de Messana sabbato praecedenti dominicam « Deus qui errantibus » anno 1646, et quod provincialis eligatur de fratribus Vallis Neti; sequens vero capitulum celebretur in aliquo conventu Vallis Neti, et provincialis eligatur de Valle Nemorum, et sic successive iuxta modum alternative factum in capitulo generalissimo Romae celebrato anno 1644; si tamen reverendissimus pater noster generalis auditis partibus non videat emergere aliquid, quod sit contrarium praefatae ordinationi capituli generalissimi Romae 1644, quae per breve sanctissimi domini nostri Innocentii X. est confirmata.

2. Declaramus, quod regentes in nostris studiis generalibus sint triennales, baccalaurei ordinarii biennales et magistri studentium annuales.

3. Assignamus in regentem studii generalis sancti Dominici de Messana pro primo loco p. mag. fr. Petrum Lupo, pro secundo loco p. fr.

---

(1) De fr. Honorato Flamenque (Flament) cf. SSOP. II, 587.

Ferdinandum Vulpium; in baccalaureum ordinarium p. fr. Franciscum de Arces; in magistros vero studentium, quos elegerit admodum rev. p. provincialis, dummodo in aliquo conventu legerint sacram theologiam, et lector sacrae bibliae providebitur ab admodum rev. p. provinciali.

4. Assignamus in regentem studii generalis s. Dominici de Panormo pro primo loco p. mag. fr. Hyacinthum Canizzaro, pro secundo loco p. mag. Hyacinthum Mancuso; in baccalaureum ordinarium pro primo loco p. fr. Ioseph Labella, si fuit magister studentium, pro secundo loco p. fr. Hyacinthum Macca Pagani de Neto, qui in hoc capitulo generali theologicas theses pro loco suae provinciae defendit; in magistrum vero studentium pro primo loco p. fr. Iacobum Scivolone, pro secundo p. fr. Ioseph Arina, et pro tertio p. fr. Raymundum la Rocca; in lectorem vero bibliae cum omnibus gratiis et privilegiis iuxta ordinationem huius capituli generalis assignamus p. fr. Vincentium Romano de Bibona (1).

5. Confirmamus, quod alias statutum fuit, scilicet quod ad vitandas expensas conventuum insulae Melitensis provincialis eosdem conventus vel visitet per se ipsum vel per visitatorem, qui sit ex fratribus insulanis.

Pro provincia Bethicae.

1. Ordinamus et praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub praecepto formali rev. patri provinciali dictae nostrae provinciae Bethicae et priorissis conventuum monialium, ut nullo modo recipiant neque concedant licentiam recipiendi moniales laicas pro inserviendis monialibus particularibus; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

2. Ordinamus, ut, quando novitiae exeunt a clausura ad ecclesiam conventus pro examine suae libertatis ab ordinario loci faciendo, finito examine redeant recto tramite ad clausuram conventus; quod si quae diverterint ad domos saecularium etiam parentum vel consanguineorum, ipso facto ipsas declaramus praesenti decreto exclusas esse a suo conventu et expoliatas habitu religionis, sicut de facto eas ex nunc pro tunc expoliamus, praecipientes omnibus praelatis et priorissis supradictae nostrae provinciae respective sub poena absolutionis ab officiis ipso facto incurrenda, ut dictas novitias nullo modo nullaque causa, occasione vel praetextu vel quaesito colore intra clausuram recipiant nec recipi faciant.

3. Ordinamus et sub eadem poena ipso facto incurrenda praecipimus tam rev. admodum p. provinciali quam caeteris praelatis et priorissis, ut nullatenus recipiant nec ingredi permittant mulieres saeculares, cuiuscumque status, dignitatis vel conditionis existant, pro visitandis monialibus consanguineis vel amicis, sive sint professae sive novitiae, neque etiam

(1) De fr. Vincentio Romano cf. SSOP. II, 600.

praetextu litterarum apostolicarum, quibus iuxta privilegia nostri ordinis adstringi non possunt moniales.

4. Declaramus, nullam monialem recipi posse ad habitum vel ad professionem nisi de speciali et expressa licentia admodum rev. p. provincialis in scriptis obtenta; quod si quae moniales, sive quae vocantur de velo nigro sive laicae, hucusque receptae sunt ad habitum sive in posterum recipientur sine praedicta licentia ad habitum recipiendum, eas tam receptiones ad habitum quam professiones inde sequutas vel sequendas declaramus esse nullas, invalidas nulliusque roboris vel momenti, neque earum professiones posse firmari, revalidari, nisi de novo de licentia expressa admodum rev. p. provincialis recipiantur ad habitum, servatis de iure servandis, et post integrum annum probationis recipiantur ad professionem per vota secreta iuxta nostras sacras constitutiones, et sic de novo professionem emittant.

5. Declaramus pro praedicta nostra provincia, quod in illis verbis, quae habentur in actis capituli generalis Romae 1589 confirmatione 4. scilicet: extra conventum quacunque occasione, praetextu et causa ordinarie commorantes nullatenus in conventibus, in quibus sunt assignati, activam vocem habeant in aliqua electione, comprehenduntur illi, qui extra conventum suae assignationis sunt a provinciali depositati absque praefictione termini suae depositationis.

6. Declaramus eos, qui promoti sunt vel fuerint ad gradus praevia petitione provinciae non egere nova acceptatione provinciae, sed gaudere loco et voce statim a die suae promotionis ad gradum, id est a die subscriptionis litterarum praedictae promotionis; eos vero, qui sine praedicta praevia petitione provinciae promoti fuerint, non gaudere loco et voce, quoadusque a provincia acceptentur; nomine autem provinciae intelligimus diffinitorium simul cum provinciali vel vicario generali illius.

7. Concedimus dictae nostrae provinciae Bethicae, ut cursus magistri studentium quoad quatuor annos tantum valeant pro consequendis gradibus, prout ordinatum est in capitulo Valentino 1596 et auctoritate apostolica praedictae provinciae concessum in actis Bononiae 1615; quoad cursus autem regentis concedimus eidem provinciae, ut eis lectoribus, qui per sex annos cursus theologiae perfecerunt, valeant duo cursus regentis postea habiti pro gradu magisterii consequendo, non obstante ordinatione in contrarium facta in capitulo generalissimo proxime celebrato.

8. Concedimus conventui nostro Regali sancti Dominici Murciensis, ut pro hac vice possit habere cursum integrum artium, summularum logicae et philosophiae, etiamsi praecedens lector artium cursum suum non expleverit.

9. Concedimus dictae nostrae provinciae, ut possit celebrare festum dulcissimi Nominis Iesu sub toto duplici post octavas Epiphaniae, quo die celebratur iuxta praescriptum ordinarii Romani; quod si forte talis dies iuxta nostrum kalendarium fuerit impeditus, in aliam feriam vacantem transferatur.

10. Committimus admodum rev. p. provinciali dictae nostrae provinciae, ut circa petitiones speciales conventuum, fratrum, monialium pro aliquibus b. Virginis et sanctorum festis celebrandis provideat iuxta suam prudentiam, prout sibi in Domino videbitur expedire, dum tamen officium beatae Virginis nunquam omittatur in choro.

11. Committimus admodum rr. pp. provincialibus pro tempore dictae nostrae provinciae, ut, si eis visum fuerit, possint in solemni capitulorum provincialium et congregationum, invariato divino officio pro festis occurrentibus, disponere, ut missae conventuales et conciones ad populum de sanctis nostri ordinis habeantur, quo eorum sanctitas, mirabilia opera insolitaque miracula populis innotescant, eorumque devotio erga religionem nostram magis magisque augeatur; et insuper quod quoties festa sanctorum nostri ordinis extra dominicam occurrunt, in dominica immediate sequenti supradicto modo eorum solemnis memoria habeat, addita etiam per claustra processione, saltim in maioribus et gravioribus conventibus.

12. Acceptamus et confirmamus translationem affiliationis p. fr. Laurentii de Herrera a conventu suo originali s. Dominici de Portacaeli Hispalensis ad conventum nostrum s. Pauli Regalis eiusdem civitatis, a r. p. n. m. generali per speciales suas litteras concessam et iam executioni mandatam.

13. Approbamus licentias omnes concessas a r. p. n. m. generali in hoc capitulo generali Valentino patribus et fratribus nostrae dictae provinciae pro transferendis suis affiliationibus a suis conventibus originalibus ad alios eiusdem provinciae conventus, easque ratas habemus et praecipimus executioni mandari, servatis de iure servandis iuxta cuiusque licentiae tenorem.

14. Promovemus et promotos acceptamus ad gradum baccalaureatus pro lectura ex filiis conventus s. Pauli Cordubensis p. fr. Hieronymum de Castro, priorem conventus nostri s. Mariae de Guadalupe de Vaena, loco p. fr. Ioannis de Brenna, praesentati numeralis et iam ad gradum magisterii promoti, p. fr. Ioannem de Ossorio loco p. fr. Francisci Ximenez, praesentati numeralis defuncti, et titulo praedicationis p. fr. Bernardum de Munnera loco vacante p. fr. Andreae de Almoguera, praesentati numeralis defuncti, et p. fr. Dominicum Sandoval loco p. fr. Ildephonsi Munio, praesentati numeralis defuncti; pro filiis conventus Regalis

sancti Pauli Hispalensis titulo lecturae p. fr. Marcum de Aguilar loco p. fr. Didaci de Atocha, praesentati numeralis defuncti, p. fr. Hieronymum Calvo loco p. fr. Melchioris de Alcaçar, praesentati numeralis et iam ad gradum magisterii promoti.

15. Pro filiis provinciae titulo lecturae p. fr. Ferdinandum de Bustos Zeldran loco p. fr. Petri Martinez, praesentati numeralis et iam ad gradum magisterii promoti, p. fr. Petrum Ponce de Leon loco p. fr. Ildephonsi Ayala, praesentati numeralis et iam ad gradum magisterii promoti, p. fr. Ioannem Montañez loco p. fr. Gabrielis de Lara, praesentati numeralis defuncti, et p. fr. Hyacinthum Valrano loco p. fr. Francisci de Contreras, praesentati numeralis defuncti.

Pro provincia Germaniae inferioris.

1. Promovemus ad magisterii gradum pro rata nationis Brabantiae rev. p. fr. Gasparem Dinghens pro loco vacante de numero provinciae admodum rev. p. mag. fr. Hyacinthi Cuoquetij piae memoriae defuncti, cum obligatione, ut perficiat impressionem operum p. mag. fr. Thomae de Malvenda, in qua hactenus strenue laboravit.

2. Restituimus ad gradum licentiaturae de numero rev. p. fr. Franciscum Cosijn per reverendissimum ordinis magistrum Nicolaum Rodulphium olim promotum cum eisdem gratiis et retentione praedicaturae generalis sicut ante, et prout fuit in possessione simul cum baccalaureatu.

3. Promovemus ad gradum baccalaurei pro loco vacante rev. p. fr. Francisci Cosijn, assumpti ad gradum licentiae, rev. p. fr. Alexandrum Sibilla (1), regentem primarium studii nostri generalis Lovaniensis, cuius lectiones acceptamus et approbamus pro gradu et forma magisterii.

Pro provincia s. Thomae.

1. Acceptamus conventum in civitate Molfetti sub titulo sancti Dominici de Suriano constructum et magnifice dotatum ab illustrissimo et reverendissimo domino fr. Hyacintho Petronio Romano, eiusdem civitatis episcopo ex ordine nostro assumpto, cui conventui affiliamus rev. p. lectorem fr. Antoninum de Trano, quem etiam instituimus priorem eiusdem conventus et insuper praedicatorem generalem pro eodem conventu, cui etiam affiliamus fr. Iacobum de Vigiliis conversum.

2. Erigimus in prioratum locum nostrum sancti Ioannis civitatis Bitetti dotatum ab illustrissimo domino marchione, dummodo possit alere duodecim fratres, provideat pro hac vice de priore admodum rev. p. provincialis.

3. Confirmamus erectionem in prioratum factam in capitulo Ro-

(1) De fr. Alexandro Sibilla (Sebille) cf. SSOP. II, 585.

mano 1629 et, quatenus opus est, de novo erigimus locum nostrum sanctissimi Rosarii civitatis Ruborum, dummodo alat duodenarium numerum fratrum, damusque in priorem pro hac prima vice rev. p. lectorem fr. Stephanum de Rubis, quem etiam instituimus praedicatorem generalem pro eodem conventu. 5

4. Confirmamus erectiones factas in prioratus in capitulo Romano praecedenti locorum ss. Rosarii Aviliani et Casalis Novi, dummodo alat duodennarium numerum fratrum, provideatque de priore pro hac vice tantum admodum rev. p. provincialis.

5. Concedimus, ut in conventu s. Ioannis de Rutiliano possit reeligi in priorem rev. p. fr. Thomas de Rutiliano praedicator generalis. 10

6. Approbamus concessionem factam conventui nostro s. Mariae Lauretanae de Ferandina a reverendissimo p. Rodulphio, olim generalis ordinis, ut scilicet possit sibi eligere priorem ex actualiter existentibus prioribus in aliis conventibus. 15

7. Approbamus affiliationem factam in conventu s. Mariae de Barletta admodum rev. p. fr. Ioannis Baptistae de Vigiliis magistri et rev. p. lectoris fr. Dominici de Messapia pro conventu Messapiae.

8. Affiliamus in loco nostro s. Severi rev. p. Petrum Martyrem de Barletta, cum ibi nullus adsit filius. 20

9. Affiliamus in conventu s. Dominici de Ferandina ad petitionem admodum rev. p. provincialis fr. Dominicum de Acceptura conversum.

10. Ordinamus, ut capitulum provinciale celebretur iuxta antiquum morem provinciae, ut alias ordinatum fuit in capitulo generali Neapoli 1600, sabbato ante dominicam « Deus qui errantibus », et priores vocales omnes expleant suum biennium in sero dominicae sequentis, ut alias ordinatum fuit in capitulo generali Venetiis 1592 etiam auctoritate apostolica; quapropter ad illud usque tempus prorogamus officium provincialatus admodum rev. p. provincialis praesentis fr. Vincentii de Ferandina magistri cum eadem iurisdictione et auctoritate. 25 30

11. Ordinamus, ut nullus possit eligi in priorem conventus s. Ioannis de Lytio, nisi sit quadraginta annorum, cum habeat curam annexam monialium.

12. Approbamus erectionem collegii nostri conventus sancti Dominici de Foggia, factam a reverendissimo nostro patri generali cum conditionibus in eius litteris appositis, videlicet quod lectores primi legant pro gradu et forma etc.; et dum actu exercent hoc officium, gaudeant titulo regentis, et quod studentes formales examinentur in studio generali sancti Dominici de Andria, et expleto triennio in praefato collegio iterum examinentur in studio Andriensi pro lectoratu cum fide de vita et moribus a conventu Foggiarum. 35 40

13. Concedimus fratribus conventus nostri sancti Augustini de Luceria, ut possint anticipare vigiliam sancti patris nostri Dominici die 2. augusti, cum die 2. celebretur solemniter festum eiusdem beati Augustini, cuius corpus ibidem servatur et celebretur etiam in eadem civitate solemniter.

14. Confirmamus concessionem factam eidem provinciae in capitulo generali Bononiae 1615, ut scilicet, quando celebrandum est capitulum provinciale a feria secunda post septuagesimam, possit fieri electio socii prioris pro capitulo provinciali, quamvis capitulum intimatum non fuerit.

15. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Hyacinthum de Casalinovo, fr. Ambrosium de Altamura (1), fr. Dominicum de Trigiano, fr. Laurentium de Ferandina baccalaureos, fr. Thomam de Bario lectorem primum collegii Foggiarum, fr. Stephanum de Trano praedicatorem generalem et fr. Dominicum de Messapia lectorem pro complemento numeri provinciae, dummodo loca sint vacantia, et examinentur vel coram reverendissimo vel Romae.

16. Instituimus praedicatores generales rev. p. fr. Antoninum de Trano lectorem pro conventu Melficti rev. p. fr. Stephanum de Rubis pro conventu Ruborum et p. fr. Guilielmum de Ferandina pro conventu Ferandinae.

17. Damus in regentem nostri studii sancti Dominici de Andria p. fr. Hyacinthum de Casalinovo et in defectum p. fr. Ambrosium de Altamura, magistros in hoc capitulo promotos.

18. In baccalaureum ordinarium rev. p. fr. Leonardum de Gravina, qui fuit magister studentium, et in defectum rev. p. fr. Vincentium Perseum de Matera (2) baccalaureum.

19. In magistros studentium rr. pp. fr. Thomam Sylos, fr. Dominicum de s. Petro, fr. Thomam de Gravina secundum ordinem professionis.

Pro provincia utriusque Calabriae.

1. Ordinamus, ut in posterum nullus affiliari possit conventui Salutis civitatis Neapolis.

2. Ordinamus, ut in posterum nullus conversus admittatur ad professionem, nisi prius per sex annos a 16. aetatis anno computandos in aliquo conventu in habitu tertiarii vixerit; et si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

3. Concedimus, ut qualibet alia ordinatione non obstante cives terrae sancti Dominici de Suriano nomine conventus Suriani ad habitum clericorum seu conversorum recipi possint.

---

(1) De fr. Ambrosio de Altamura cf. SSOP. II, 660.

(2) De fr. Vincentio Perseo de Matera cf. l. c. pag. 668.

4. Concedimus, quod p. mag. fr. Dominicus de sancto Georgio possit reelegi in priorem conventus Neocastrensis.

5. Ordinamus, ut casale Graecorum Albanensium non possit alienari nec etiam ad breve tempus locari, nisi servatis servandis et de licentia capituli provincialis vel generalis.

6. Promovemus ad gradum magisterii p. fr. Vincentium a Balnearia, si tamen locus actu vacat, et dummodo examinetur Romae.

7. Instituimus in praedicatores generales pro locis actu vacantibus et non aliter rr. pp. fr. Guilielmum de Dasa pro conventu Trioli et p. fr. Paulum de Agropterea pro conventu Bissiani.

8. Damus in regentem studii Cossentini p. mag. fr. Thomam de Seminaria, et in regentem Regii p. mag. fr. Antonium de Catanzaro, et in baccalaureum Cossentinum p. fr. Thomam de Rusano baccalaureum pro primo loco, et p. fr. Seraphinum de Filogasio pro secundo loco, et in quartum moderatorem p. fr. Thomam Pavaro, et in baccalaureum Regiensem p. fr. Augustinum de Suriano (1) pro primo loco et pro secundo p. fr. Ludovicum de Polia, et in quartum moderatorem p. fr. Vincentium Rodino, et in magistros studii Cossentini p. fr. Seraphinum de Grotarea, p. fr. Iacobum a Poliano, et p. fr. Philippum a sancto Procopio, et in conventu Regiensi p. fr. Ambrosium Aspatula et p. fr. Ioannem Agerani et p. fr. Franciscum a Filogasio, attenta habitus antiquitate a patre provinciali cognoscenda.

Pro provinciis Indiarum.

1. Ut communi bono provinciarum, quae sunt in Indiis, provideamus, et abusus introducti in praeiudicium profectus praedicationis fidei et instructionis Indorum tollantur, ordinamus et sub poena gravioris culpae ipso facto incurrenda et maxime sub poena privationis vocis activae et passivae et carceris et sub poenis contra fugitivos statutis ipso facto incurrendis praecipimus omnibus et singulis, qui expensis regiis ad aliquam provinciam Indiarum mittuntur, ut, quo missi fuerint, vadant, mandantes pp. provincialibus et prioribus aliarum provinciarum et conventuum sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, ne eos retineant, sed ad loca suarum missionum ire compellant; et nihilominus irritum decernentes, si quid in contrarium factum fuerit; decernimus et declaramus omnes licentias, deputationes et assignationes a quocunque datas cuicunque ex praedictis pro conventu quocunque extra provinciam seu partem, ad quam praefati missi fuerint, esse nullas et irritas ac proinde praefatos nullam habere posse vocem in aliqua electione, quae fiet

(1) De fr. Augustino de Suriano cf. SSOP. II, 632.

in provinciis seu conventibus, in quibus contra formam istius ordinationis detenti fuerint.

2. Ordinamus, quod, si aliquis cum licentia vel assignatione ad determinatum tempus iverit ad aliquam provinciam Indiarum, completo termino in licentia seu assignatione aut deputatione expresso, omnino statim redeat ad suam provinciam et conventum, auferentes facultatem a patribus provincialibus eum retinendi, et mandantes eisdem patribus provincialibus et prioribus sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, ne aliquem ultra terminum sibi concessum retineant, sed ad sua redire faciant, irritum et inane decernentes, si quid in contrarium factum fuerit, et declarantes assignationes datas cum determinato tempore sic eo tempore finito finiri, ut nec in vi illarum nec aliarum, si dent, et quas dari prohibemus, sic assignati vocem in electionibus habere possint.

3. Ordinamus et omnino inviolabiliter servari volumus, ut nullus recipiatur in aliquo conventu Indiarum nisi ad carceres, qui sine legitima licentia accesserit, innovantes super hoc, quae in nostro ordine contra itinerantes sine licentia statuta sunt, et mandantes conventuum praesidentibus sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, ne aliquem sine licentia venientem recipiant nisi ad carceres, et ordinantes sub eadem poena patribus provincialibus, ut praefatos sine licentia venientes poenis statutis puniant et peracta poenitentia redire ad sua compellant, et ab eisdem patribus provincialibus auferentes facultatem aliter operandi; irritum et nullum ut supra decernentes, si quisquam ex praedictis contra formam praesentis statuti retentus fuerit.

4. Attendentes inconvenientia, quae oriuntur ex eo, quod indiscriminatim quicunque admittuntur ad habitum, praecipue mestici et mullati, ordinamus, ut in nulla provincia Indiarum istis mesticis aut mullatis concedi possit habitus, irritam et nullam decernentes receptionem tam ad habitum quam ad professionem, si aliquis contra formam huius decreti fuerit receptus. Quod sic intelligendum volumus, ut ex mesticis non possit quis recipi intra quartum gradum, ex mullatis autem nullus absolute, quacumque alia ordinatione seu licentia data caeterisque quibuscumque in contrarium non obstantibus.

5. Ut facilitas exuendi fratres habitu religionis, quae in aliquibus provinciis irrepsit, auferatur, revocamus ad memoriam et simul districte mandamus omnibus patribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, ut in hoc servent formam a felicis recordationis Urbano papa VIII. statutam sub poenis in bulla pontificis contentis.

6. Ne fratribus pro cuiusque arbitrio liber pateat aditus recedendi a provinciis Indiarum et veniendi ad Hispanias, confirmamus ordinatio-

nem capituli Valentiae 1596 et Romae 1601, ac propterea in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae necnon sub poena excommunicationis latae sententiae, ac una pro trina canonica admonitione praemissa, mandamus omnibus et singulis fratribus in dictis provinciis existentibus, ne ab ipsis sine magistri ordinis speciali licentia discedere sub quovis praetextu vel colore, procuratoribus vero, ne ultra unum socium sibi a diffinitorio consignatum, quemlibet alium secum ducere praesumant, provincialibus denique, ne vel permittant vel licentiam aliquam ad hunc effectum fratribus concedant, siquidem nec possunt, et quatenus opus esset, talem ab eis auferimus facultatem et simul etiam a diffinitorio capituli provincialis; praeter autem excommunicationem latae sententiae, quam incurrent contrafacientes, respective dabunt et poenas omnes in capitulo gravioris culpae contentas. Verumtamen ad temerarios, si qui erunt, compescendos rr. pp. prioribus pro tempore conventuum s. Pauli Hispalensis, s. Dominici de san Lucar de Barrameda et s. Dominici Ulyssiponensis per praesentes mandamus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae, necnon sub poena absolutionis ab eorum officiis, ut, ubi navigia ab Indiarum partibus ad praefatarum civitatum portus respective appulerint, omni cum diligentia perquirant, an fratres aliqui cum eisdem venerint, quive quotque sint, et si repererint, qua licentia id egerint; quod si non fuerint procuratores a provinciis legitime instituti vel reverendissimi p. generalis licentiam non habuerint, omnino in carceres illos coniiciant et omnia eorumdem bona sequestrent, praemissoque examine praefatam censuram ac poenas ipsos incurrisse declarent nostra auctoritate; quas et subire cogant nec liberos illos dimittant, nisi praemonito magistro ordinis vel eius vicario, et per alterius rescriptum intellexerint, quid de illis agendum sit. Porro admodum reverendis patribus provincialibus Hispaniarum et reverendis patribus prioribus ac praesidentibus conventuum earumdem provinciarum sub eadem virtute et praecepto et poena absolutionis a suis officiis mandamus, ne ullum fratrem a praefatis Indiis venientem sine approbatione suarum licentiarum ab uno ex tribus patribus prioribus praenominatis sancti Pauli Hispalensis, sancti Dominici Ulyssiponensis et sancti Dominici de san Lucar de Barrameda habita et ostensa in suis provinciis, conventibus aut locis respective recipere aut detinere audeant, in poenas alioquin taxatas omnino incursuri.

Pro provincia s. Crucis Indiarum.

1. Instituimus in praedicatores generales pro conventu sancti Dominici insulae Hispaniolae loco rev. p. fr. Roderici de Cordua iam defuncti rev. p. fr. Gasparem de Cases; et pro conventu sancti Antonii de Cumana loco rev. p. fr. Ioannis de sancto Hyacintho iam defuncti rev. p. fr. Petrum de sancto Ioseph, priorem Montis Argenti; et pro con-

ventu sancti Thomae Aquinatis de Puertorico loco rev. p. fr. Petri de Lorençana rev. p. fr. Barnabam de Camora; et pro conventu sancti Hyacinthi de Caracas loco rev. admodum p. provincialis fr. Hyacinthi Martin praesentati, qui suam praedicaturam renuntiavit, rev. p. fr. Antonium del Rosario vicarium de Truxillo.

2. Promovemus ad gradum magisterii titulo praedicationis loco rev. p. fr. Francisci Clavijo defuncti rev. p. fr. Franciscum de sancto Ioanne, praesentatum et priorem Margaritensem, et ad praesentaturae gradum titulo praedicationis loco p. fr. Francisci de s. Ioanne ad magisterium promoti p. fr. Petrum de Lorençana et loco rev. p. fr. Hyacinthi Ximenez defuncti rev. p. fr. Didacum Sarmiento.

3. Erigimus conventum s. Thomae Aquinatis de Puertorico in studium generale huius provinciae, volentes, quod lectores ibi legentes legant pro forma et gradu magisterii; et confirmamus concessionem eidem conventui factam in capitulo generalissimo Romae 1644, ut scilicet in eo possint recipi ad habitum et professionem novitii et ibi educari.

Pro provincia s. Iacobi de Mexico.

1. Confirmamus, quod in capitulo generalissimo fuit acceptatum et denuntiatum nempe breve apostolicum, quo cavetur, servandam esse alternativam inter duos principaliores conventus Mexicanum et Angelopolitanum ea forma, qua in duobus capitulis praecedentibus fuit postulata, scilicet quod unum quadriennium pertineat ad filios conventus Angelopolitani, et alia duo quadriennia successive ad filios conventus Mexicani, servata in huiuscemodi electionibus alternativa provinciae inter natos in Indiis et Hispania; et declaramus praedictam alternativam intelligi debere in omnibus officiis a provincialatu usque ad minimam exemptionem atque de vicariatu generali provinciae, vacante provincialatu, et de electionibus diffinitorum capituli generalis, ita quod detur tertia pars filiis conventus Angelopolitani; volentes, quod in proxima vacantia provincialatus prior Angelopolitanus sit vicarius generalis, et successive in aliis duabus vacantiis immediate sequentibus prior Mexicanus; quod si secus factum fuerit, nullius esse roboris vel momenti declaramus.

2. Confirmamus ordinationes, quae in actis capituli provincialis anno praeterito in conventu Mexico celebrati continentur sub titulo illo videlicet: Ista sunt praecepta.

3. Declaramus, nullo modo impleri ordinationem 18. capituli Romani 1629 de modo, quo debent fieri postulationes graduatorum per compromissionem diffinitorum factam in persona p. provincialis, sed debere eandem ordinationem servari ad litteram, et postulationes fieri per provincialem et diffinitores et magistros et patres provinciae, ut ibi statuitur.

4. Confirmamus electionem provincialis factam in persona p. praesentati fr. Lazari de Prato.

5. Instituimus in magistrum theologiae rev. p. fr. Franciscum Gomez, servatis servandis et pro loco actu vacante, et qui non potest impleri nisi ex natione Hispanorum.

6. Promovemus ad gradum praesentaturae rr. pp. fr. Nicolaum de Contreras pro loco p. Antonii de Amaya ad magisterium assumpti, et fr. Ildephonsum de Barrera loco p. fr. Christophori de Pocasangre ad magisterium assumpti, et fr. Thomam Beltran loco p. fr. Augustini Godinez ad magisterium assumpti.

Pro provincia s. Ioannis Baptistae del Perù.

1. Confirmamus ordinationes factas ab admodum rev. p. provinciali magistro fr. Francisco de la Cruz (1) et datas in doctrina s. Dominici de Guari die 15. martii 1646.

2. Pro hac provincia confirmamus ordinationem capituli Valentini 1596, prout habetur in glossa constitutionum dist. 2. cap. 3. § 12. lit. K., in qua statuitur, ut provinciales finito officio sui regiminis debeant subire iudicium suae administrationis, prout latius ibidem continetur; volentes insuper, ut executioni mandetur id, quod in constitutionibus habetur dist. 1. cap. 14. § 5. lit. K., scilicet quod provinciales reddant diffinitoribus capituli provincialis rationem rerum omnium, quas habuerunt, sive ad officium sive ad personas eorum spectent.

3. Ordinamus, ut examen narrativae litterarum patentium eorum, qui ad aliquem gradum promoventur, pertineat ad duodecim magistros antiquiores existentes in aliquo ex conventibus vel collegio civitatis Limensis.

4. Sub immediata cura magistri ordinis reponimus collegium s. Ludovici Limae, volentes, quod provincialis ut delegatus eiusdem magistri ordinis illud visitet duabus vicibus in suo quadriennio, sed ita tamen, ut infra spatium 8. dierum visitationem terminare teneatur, et his transactis expiret eius auctoritas.

5. Concedimus provinciis de Chile et de Quito, ut quaelibet earum possit mittere duos studentes ad dictum collegium, sed ita tamen, ut illae provinciae teneantur ad solvendas expensas pro victu et sustentatione dictorum studentium.

6. Concedimus licentiam p. provinciali dictae provinciae pro tempore existenti, ut possit fratribus suae provinciae concedere licentiam, ut servatis servandis possint in lucem edere scripta eorum, salvis semper ordinatis in confirmatione tertia praesentis capituli.

---

(1) De fr. Francisco de la Cruz cf. SSOP. II, 578.

7. Sub praefata conditione et forma damus licentiam p. m. fr. Francisco de la Cruz moderno provinciali, ut, praemisso examine et approbatione per duos magistros et servatis alias servandis, possit imprimere tractatus de iustitia distributiva et virtutibus politicis et cursum philosophicum, quos composuit.

8. Approbamus magisterium p. m. fr. Augustini de Leon a multis annis iam instituti in magistrum.

9. Ex provincia sancti Laurentii de Chile affiliamus et incorporamus huic provinciae p. m. fr. Baltasarem de Valençuela cum retentione sui magisterii, prout placuerit provinciae.

Pro provincia s. Vincentii de Chiapa.

1. Ordinamus, ut congregatio intermedia omnino fieri debeat nec possit a provinciali praetermitti; quae congregatio eamdem in omnibus auctoritatem habebit, quam solebat habere capitulum intermedium maxime circa correctionem provincialis; volentes, quod deputentur illi, qui ad dictam congregationem debent pertinere, ita ut non sit liberum provinciali vocare hos vel illos; sed semel deputetur numerus et personae, quibus competere debeat ad dictam congregationem pertinere, et his tantum in posterum competat habere vocem in dicta congregatione. Huius vero numeri et personarum designationem committimus p. provinciali et duodecim patribus provinciae antiquioribus, quibus mandamus, ut citius praefatum numerum et personas designent, quatenus in proxime futura congregatione, quod modo ordinatur, possit exerceri.

2. Pro hac provincia confirmamus ordinationem capituli Valentini 1596, prout habetur in glossa const. dist. 2. cap. 3. § 12. lit. K., in qua statuitur, ut provincialis finito officio sui regiminis debeat subire iudicium suae administrationis, prout latius ibidem continetur; volentes insuper, ut executioni mandetur id, quod habetur in const. dist. 1. cap. 14. § 5. litt. K., scilicet quod provinciales diffinitoribus capituli provincialis reddant rationem rerum omnium, quas habuerunt, sive ad officium sive ad personas eorum spectent.

3. Ordinamus, quod provinciales liberum exercitium suorum officiorum permittant prioribus praecipue principaliorum conventuum tam in temporalibus quam in spiritualibus, nec se intromittant in promovendis vel amovendis officialibus, vicariis villarum seu administratoribus bonorum quorumcunque; et si aliquando graves defectus praedictorum officialium exigant, ut ab officio deponantur, praecipiatur hoc priori, ad quem ulterius pertinebit de alio vel aliis officialibus providere.

4. Prohibemus, quantum in nobis est, ne provinciales in hac provincia possint uti privilegio « Omnimodae » ad dispensandum cum fratribus in hoc, quod ante tempus praescriptum a iure possint ad aliquem

ex sacris ordinibus promoveri, cum huius dispensationis non sit necessitas in provincia ista.

5. Ordinamus, quod provincialis non possit aliquam electionem cassare vel confirmare nisi in conventibus praecipuis vel nisi ad se vocatis patribus gravioribus provinciae.

6. Declaramus, quod provincialis non potest aliquem nomine alicuius conventus recipere ad habitum vel professionem, nisi supposito et habito consensu capituli eius conventus, nomine cuius ille ad habitum vel professionem recipitur.

7. Admonemus p. provincialem, priorem et patres Guatimalae, ut attendentes, quae per felicis recordationis Clementis VIII. et nostras constitutiones sancita sunt circa recipiendos ad habitum, ineptos non admittant nec ob privatas causas huic vel illi faventes minus idoneos approbent.

8. Ordinamus, ut in conventu Guatimalae nullus possit eligi in priorem, qui vel non sit pater provinciae vel theologiae cursum non legerit.

9. Inhaerentes iis, quae in communi sancita sunt de examine confessariorum, statuimus, quod in posterum nullus exponatur ad confessiones audiendas, nisi prima vice fuerit examinatus et approbatus in conventu Guatimalae, aliis autem duabus vicibus vel in conventu Guatimalae vel in conventu civitatis Regalis de Chiapa, in quo capitulum provinciae designabit quinque examinatores ex doctioribus patribus existentibus vel ibi vel in conventibus propinquis; sicque res ordinabitur, ut examen fiat vel tempore visitationis patris provincialis vel alio certo et statuto tempore, et usque ad hoc tempus durabunt licentiae praecedentes pro audiendis confessionibus obtentae, usquequo examinatus in tertio examine, de triennio in triennium habendo, fuerit simpliciter approbatus.

10. Cum contingat ob maximam distantiam, quod patres vicariatus de Otzololam occasione eligendi priorem in conventu de Chiapa relinquant Indos sine sacerdote, sacramentorum ministro, cum periculo gravi et damno illorum, praesenti statuto privamus eos voce in electionibus habendis in praefato conventu; magis enim praestat, ut electiones sine ipsis fiant, quam quod populi eorum curae commissi derelinquantur.

11. Declaramus, in electionibus illos solos posse admitti ad praestandum suffragium, qui in conventu realiter et bona fide sunt assignati iuxta formam a legibus nostris institutam, nec licere vocalibus, etiam omnibus consentientibus, aliquem non assignatum ut supra inter vocales recipere et ad electionem admittere.

12. Confirmamus et ordinamus, quod tempus celebrationis capituli provincialis sit dominica prima post octavam Epiphaniae, et quod provincialis semper duret usque ad illud tempus, nec prius eius auctoritas

expiret, nisi quando instante diffinitorum electione ipse ultimum valedicit provinciae. Quod si contingat provincialatum vacare per mortem vel ammotionem provincialis, in hoc casu vicarius provinciae statim intimabit novi provincialis electionem.

13. Ordinamus, ut confessarii pro Indis ad minus semel examinentur, nec indifferenter quicumque admittatur.

14. Ne gradus in hac provincia multiplicentur, tollimus et removemus gradus magisterii et praesentaturae titulo praedicationis.

15. Promovemus ad praedicaturam generalem pro locis actu vacantibus scilicet rev. p. fr. Petrum de Antecana loco p. fr. Ildephonsi Ortiz et rev. p. fr. Antonium Gomez loco p. Rodriguez.

Pro provincia s. Antonini de Novo Regno.

Promovemus ad gradum praesentaturae p. lectorem fr. Ioseph de Miranda pro loco vacante p. fr. Angeli Seraphini defuncti, et ad praedicaturam generalem pro loco actu vacante ad titulum linguae Indorum p. fr. Antonium Zambranum.

Pro provincia Occitana.

1. Conventus Tolosanus vel alii a provincia Occitana separati gratis alere tenebuntur sex fratres huius provinciae, vel in novitiatu non professos vel in studiis professos, eisque de necessariis providere, et hoc sub poena absolutionis ab officio prioribus conventuum, ad quos a provinciali Tolosano mittentur, et novitiatus s. Germani Parisiensis quatuor.

2. Damus conventus Aniciensem et Auxensem in studia theologiae et sacrae scripturae, ubi lectores sive saecularibus sive fratribus legentes legant pro gradibus, ad quos per viam ordinis promoveri poterunt, servatis servandis.

3. Designamus pro novitiatibus huius provinciae conventus Aniciensem et Altivillarensem, dummodo in illis sex vel quatuor novitii sub cura magistri instruantur, ibique vigeat vita regularis perfecta et non aliter.

4. Volumus, ut in posterum in hac provincia sint tantum duodecim magistri et octo baccalaurei.

5. Approbamus magisteria sub titulo praedicationis rr. pp. ff. Ioannis Philippi Podensan provincialis, Hyacinthi Bon, Petri Luguerchois et Antonii Vallete, in ultimo capitulo provinciali acceptata.

6. Promovemus sub eodem titulo praedicationis ad magisterium pro locis actu vacantibus rr. pp. Raymundum Cantalupa patrem provinciae et Paulum Nicot, et ad baccalaureatum sub titulo lectionis pp. ff. Ludovicum Haloc, Iordanum Afrium, Bernardum Gras, Thomam Salac; damusque in lectores theologiae et scripturae pp. ff. Franciscum Pandelle et Hilarium Iourde baccalaureum et Ludovicum Nalot, Iordanum Afrium et Thomam Salac pro gradibus primo vacantibus.

7. Confirmamus omnes affiliationes alias datas fratribus, qui ad hanc provinciam ex congregatione transierunt, et de novo servatis servandis affiliamus in conventu Malevicini p. fr. Alexandrum Franc, e provincia Tolosana in istam a reverendissimo translatum, fr. Ioannem Delpy filium conventus Tolosani in conventu Limosi, et p. Antonium Desclaux conventus sancti Maximini in conventu Amiliani, in quo illum instituimus et damus priorem pro triennio.

8. Confirmamus prorogationem datam a reverendissimo p. generali Tolosae p. fr. Petro Bonneton pro prioratu Aniciensi.

9. Confirmamus ordinationem factam in ultimo capitulo generalissimo et Tolosae anno praeterito a reverendissimo patre confirmatam, qua tenetur conventus Tolosanus nutrire gratis syndicum generalem huius provinciae ad procurandas causas provinciae et conventuum ipsius in parlamento Tolosano, ne cogantur miseri conventus provinciae aut nullas causas movere [adversus] iniustos usurpatores aut incoeptas ob extremam paupertatem deserere.

10. Declaramus ff. Hyacinthum Charlois et Antonium Vallacy filios conventuum, pro quibus professionem emiserunt.

11. Denique confirmamus decreta reverendissimi p. generalis Romae 1644, quibus statuitur, ut conventus a provincia separati teneantur solvere provinciali Occitano contributiones tam ordinarias quam extraordinarias pro eius et socii viatico ad capitula generalia, iuxta ordinationes in variis capitulis generalibus factas, in quibus etiam data fuit facultas provincialibus compellendi per poenas et censuras dictos conventus separatos ad solutionem viatici et partis pro rata contributionum reverendissimi p. generalis et procuratoris ordinis.

Pro provincia s. Catharinae Martyris de Quito.

1. Confirmamus in provincialem huius provinciae admodum rev. p. praesentatum et praedicatorem generalem fr. Henricum Rosero, cum hoc tamen reverendissimus magister ordinis in futura electione provincialis proponat, quos viderit idoneos, exclusis aliis, ad regendum in pace et cum observantia regularis hanc provinciam.

2. Confirmamus omnes ordinationes pro bono huius provinciae a reverendissimo p. generali datas Romae 1645, excepta quinta, quam moderandam duximus quoad institutiones praedicatorum generalium. Cum enim in ea provincia capitula intermedia non sint in usu seu congregationes intermediae dumtaxat celebrari soleant, volumus, ut in capitulo electionis praedicatores generales possint instituti pro locis actu vacantibus, dummodo magistro ordinis pro tempore proponantur et ab eodem approbentur; volentes, quod interim gaudeant voce caeterisque privilegiis, nisi aliter per magistrum ordinis dispositum fuerit. Insuper tamen

decernimus, quod praedicatores generales ad titulum alicuius linguae Indorum instituti expirent ipsis mortuis, quodque tales institutiones ad solum magistrum ordinis pertineant; et si aliquae repertae fuerint aliis fratribus a provincialibus concessae, qui illud idioma Indicum non perfecte calleant, ratione cuius promoti fuerunt, irritae sint et nullae; et amplius decernimus, quod non instituantur in posterum praedicatores generales nisi servatis ad unguem constitutionibus et cum omnibus requisitis, prout habetur in capitulo Romae 1629 ordinatione 15.

3. Declaramus, quod in concessione secunda et confirmatione capituli generalissimi Romae 1644 non comprehenduntur ordinationes factae a p. magistro fr. Ioanne de Spinosa, quondam vicario generali.

4. Confirmamus, quod statutum fuit multoties a reverendissimo magistro ordinis fr. Seraphino Sicco et Nicolao Rodulphio, scilicet quod capitulum provinciale semper celebretur die 20. septembris, non obstante concessione facta per capitulum generalissimum Romae 1644, et hoc tam quoad iura et libertatem eius quam quoad alternativam inter fratres in Hispania natos et in Indiis, iuxta quod est decretum regium; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

5. Revocamus omnes licentias et facultates a quocumque datas cuicumque, ut possit promoveri ad prioratus et doctrinas, etiamsi cursus artium et theologiae non perfecerit, cum poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda tam provincialibus quam prioribus, si tales ad prioratus seu doctrinas promoverint.

6. Acceptamus capellaniam dominae Mariae de Locano defunctae pro conventu nostro del Rosario de Cuenca, declarantes censum dictae capellaniae ad ipsum in omnibus pertinere.

7. Ut evitetur, ne fratres accipiant occasionem recurrendi ad tribunalia saecularia, quod tam severe est prohibitum, ordinamus, quod diffinitores, magistri et patres provinciae determinent dubia, quae oriuntur circa gubernium provinciae, et quod horum determinationi omnino stetur, donec perveniat declaratio magistri ordinis, vel fiat electio provincialis, non secus ac quando contingit oriri aliquod dubium in ipsa electione provincialis iuxta ordinationem capituli generalis Parisiis 1611; et qui ad tribunalia saecularia in posterum recurrerint, omnibus poenis et censuris ecclesiasticis contra tales praescriptis ipso facto sint subiecti.

8. Quia deprehendimus ex actis capituli provincialis ultimo celebrati, plures patentes datas a reverendissimo p. generali pro gradibus fuisse, suppressis nominibus, acceptatas, ideo illam acceptationem sic factam irritamus et annullamus, de facto irritam et nullam declaramus; quod idem declaramus de patentibus, suppressis nominibus, a capitulo acceptatis circa restitutionem et rehabilitationem ad gradus, quarum nul-

lam volumus sortiri effectum aut ullam vim habere, nisi sigillatim et nominatim de novo examinentur et approbatae dignae censeantur, idque per capitulum provinciale proxime futurum et iuxta formam praescriptam in ordinatione 7. ex datis a magistro ordinis Romae 1645, et in praesenti confirmatis ut supra, et quae est infrascripti tenoris: Ut scilicet omnes patentes datae et a nobis quomodolibet emanatae circa distributionem graduum a provinciali et diffinitoribus capituli vestri examinentur; et si alicui concessas patentes deprehendatis, in quarum narrativa aliqua falsitas contineatur, subreptitie aut obreptitie testificantes, quod legerit, praedicaverit vel alia huiusmodi exercitia fecerit per plures annos, quam in rei veritate probetur, vel quod ad petitionem provinciae et vere petitionem communem provinciae non habuerit, quarum vigore aliquos gradus vel praedicaturam generalem consecutus fuerit, eo ipso gradus ipse aut praedicatura nullatenus a capitulo admittantur, et hi qui falsam informationem capitulo generali vel nobis dederunt, a suis officiis absolvantur et sint perpetuo inhabiles ad praelaturas, ut habetur in capitulis generalibus Vallisoleti 1605 et Romae 1601 et 1608.

9. Ordinamus, ut prior quicumque seu doctrinarius, qui tempore sui prioratus seu doctrinae aliquod incrementum non dederit conventui seu doctrinae in aedificio aut in reditibus, in poenam per quadriennium non possit ad alium prioratum seu doctrinam promoveri, auferentes ab omnibus auctoritatem super hoc dispensandi.

10. Ordinamus, ut in conventu de Popayan instituatur lector artium et casuum moralium.

11. Ordinamus, quod non alienentur bona immobilia conventuum, sed omnino serventur decreta apostolica circa hoc; irritum et inane decernentes, quidquid in contrarium contigerit attentari; volentes, quod priores, qui in hoc delinquerint, ultra poenas in sacris canonibus et bullis pontificum contentas poenam gravioris culpae subeant.

12. Ordinamus, quod capitulum provinciale electionis congregationis seu intermedii nullatenus fiat nisi in conventu sancti Petri Martyris de Quito iuxta ordinem reverendissimi p. Rodulphii; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

Pro provincia s. Laurentii de Chile.

1. Confirmamus tres ultimas ordinationes, quartam scilicet, quintam et sextam capituli provincialis anno praeterito in conventu sanctae Mariae del Rosario celebrati.

2. Promovemus ad gradum praesentaturae titulo lectionis rev. p. fr. Hyacinthum de Aranguiz regentem loco rev. p. fr. Antonii del Breviz ad magisterii gradum promoti, et rev. p. fr. Victorianum Nigrete loco rev. p. fr. Hyacinthi Maldonado ad magisterium promoti, et rev. p. fr. Fran-

ciscum de Cea loco rev. p. fr. Ludovici Hurtado defuncti, et rev. p. fr. Vincentium de Bustamante loco rev. p. fr. Bernardini de Morales.

3. Instituimus praedicatorem generalem rev. p. fr. Ildephonsum de Lizeras priorem conventus civitatis de Mendoça pro conventu civitatis s. Ioannis de la Frontera loco rev. p. fr. Raymundi de sancta Cruz praesentati.

Pro provincia Philippinarum.

1. Cum ad civitatem Manilensem capitulares non possint convenire nisi cum magno labore et periculo, et nisi pastores ovium suarum curam per multum tempus relinquant, ordinamus, ut capitula in posterum tali ordine celebrentur, ut primum capitulum provinciale cum intermedio sequenti celebretur in civitate Manilensi, sequens autem capitulum provinciale in parte nationali Novae Segoviae, et sequens intermedium in parte nationali Pangasinam, et postea retrogrediendo incipiantur ut supra, et servetur in perpetuum haec alternativa.

2. Committimus p. provinciali Mexico, ut instante vicario conventus sancti Hyacinthi Philippinarum fratres ad eamdem provinciam Philippinarum deputatos ad illam provinciam ire compellat, seu etiam ab ea provincia remissos ad suas provincias redire cogat et non permittat eos manere in Nova Hispania sub quocumque praetextu.

3. Institutionem rectoris collegii sancti Thomae delegamus p. provinciali et capitulo tam provinciali quam intermedio; quod si contingat dictum rectorem mori vel amoveri extra tempus capituli, possit provincialis cum assensu lectorum dicti collegii instituere novum rectorem, et non aliter nec alio modo.

Pro provincia Aprutina.

1. Ordinamus proximum capitulum provinciale celebrandum fore sabbato ante dominicam « Deus qui errantibus » 1648, volumusque admodum rev. p. magistrum fr. Antonium Tortelli praesentem provincialem, etiam expleto biennio sui provincialatus, perseverare usque ad praefatum tempus in eodem munere provincialatus et cum eadem auctoritate, et insuper ab hoc tempore decernimus eum fore vicarium generalem provinciae et capituli usque ad confirmationem novi provincialis; volumusque electionem provincialium in futurum semper eodem tempore fieri, ita ut, si per amotionem vel mortem provincialis contigerit celebrari capitulum pro nova electione, provincialis noviter electus, etiam expleto biennio provincialatus, eodem modo perseveret usque ad confirmationem novi provincialis.

2. Ordinamus, quod, quando eligendus est provincialis ex natione Neapolitana, capitulum provinciale celebretur in partibus Aprutinis, scilicet in civitate Sulmonensi, Aquilana, Theatina et Pinnensi; quando vero

est eligendus provincialis ex natione Aprutina vel Etrusca, capitulum celebretur in partibus Neapolis, scilicet in conventu Iesu Mariae, sancti Severi et sanctae Mariae ab Arcu.

3. Ordinamus, ut affiliationes nullomodo fiant a tempore septuagesimae usque ad octavam paschae, et si factum fuerit, totum sit irritum et inane.

4. Revocamus ad provinciam omnes fratres eiusdem provinciae, quovis titulo extra ipsam commorantes, ita ut teneantur intra spatium duorum mensium ad obedientiam sui provincialis rêdire sub poena privationis vocis activae et passivae et aliarum arbitrio admodum rev. p. provincialis.

5. Erigimus in conventum formalem conventum nostrum sanctae Mariae de Francavilla instituimusque in priorem pro hac prima vice rev. p. fr. Thomam Cantarinum.

6. Approbamus affiliationes rev. p. baccalaurei fr. Ludovici Troiani pro conventu sanctae Mariae ab Arcu, et rev. p. lectoris fr. Dominici Asculani pro conventu sancti Petri Martyris de Asculo, easque ratas et firmas perpetuo haberi volumus, dicimus, declaramus, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

7. Damus in regentem studii nostri generalis sanctae Mariae ab Arcu pro primo loco immediate post praesentem regentem admodum rev. p. mag. fr. Evangelistam Colangelum admodum rev. p. mag. fr. Antonium Tortelli, et pro secundo loco rev. p. baccalaureum fr. Seraphinum Grasi; in baccalaureum ordinarium pro primo loco rev. p. fr. Davidem Canalem et pro secundo loco rev. p. baccalaureum fr. Ludovicum Troianum; in magistrum studentium rev. p. fr. Reginaldum de Matthaeis baccalaureum.

8. Damus in baccalaureum in conventu sancti Dominici Guardiae de Calabria pro primo loco rev. p. fr. Consalvum de Tufo, et pro secundo loco rev. p. fr. Carolum Capecelatro baccalaureum.

9. Damus in lectorem biblicum in conventu s. Mariae ab Arcu rev. p. fr. Petrum Rosella (1) baccalaureum.

Pro provincia Russiae.

1. Ne pax communis fratrum per inordinatos discursus perturbetur, et vita religiosa in hac provincia relaxet, ordinamus et in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto ac poena excommunicationis latae sententiae mandamus omnibus patribus prioribus et aliis praesidentibus conventuum, ut, si aliquem ex fugitivis fratribus illorum declinare conventum contigerit, statim ad carceres eos recipiant, ut declaratum fuit in capitulo Romae celebrato anno 1569, eosque ad suos con-

(1) De fr. Petro Rosella cf. SSOP. II, 576.

ventus vel provincias redire compellant, ut fuit ordinatum in capitulo generalissimo Romae 1644; et praesenti statuto omnes revocamus ad dictam provinciam; ex Italia p. fr. Cherubinum Leopoliensem baccalaureum, ex provincia Bohemiae p. Raphaelem Leopoliensem et p. Theophilum Ostropoliensem, ex provincia Lithuaniae p. Valemanum de Ostrzeszotvia et p. Raymundum Zimnicki.

2. Concedimus licentiam patri provinciali moderno p. mag. fr. Hieronymo Grocholski, ut habito patrum magistrorum suae provinciae maturo iudicio et expressa necessitate possit transferre studium generale suae provinciae ex conventu Leopoliensi sanctissimi corporis Christi ad conventum sanctae Mariae Magdalenae in suburbio eiusdem civitatis.

3. Damus in regentem studii Leopoliensis p. mag. Modestum de Camenecia, approbantes omnes actus illius in dicto studio, quos exercuit ab acceptatione per modum provisionis a patre provinciali suo; et si non acceptaverit, instituimus p. Iosephum Slomonski, et in baccalaureum eiusdem studii pro primo biennio p. Modestum Ambrosium Borhoroski, pro secundo biennio p. Ambrosium Dzinoloski, pro magistro studentium pro primo anno p. Antoninum Has, pro secundo p. Hyacinthum de Camenecia.

4. Declaramus rev. p. Isaiam de Buskaeo praedicatorem generalem, capituli generalissimi Romae celebrati diffinitorem, qui ex gratia speciali factus fuit baccalaureus, habere locum post omnes baccalaureos, qui in aliquo studio generali laboriose ac gloriose studuerunt actusque scholasticos honorifice exercuerunt, examinatos et examinandos, monentes eum, ut uni gradui omnino renuntiet; cui invigilabit p. provincialis dictae provinciae.

5. Acceptamus loca ad novos prioratus erigendos videlicet Prylucensem lautissime fundatum ab illustrissimo et excellentissimo d. Michaele Ieremia, duce in Wiszniovoiec palatino Russiae, Dyszoviensem ab illustrissima domina Anna Nitoroska cum optima fundatione, Lipovicensem a generoso et magnifico domino Adamo in Godzimirz Wilga cum pingui fundatione. Ut autem sortiantur suos effectus, quatenus possint insigniri nomine prioratus, id committimus admodum r. p. priori provinciali fr. Hieronymo Grocholski magistro ac caeteris patribus magistris provinciae, qui maturo iudicio, visis certis reditibus, quibus sufficienter possint fratres illorum locorum sustentari, si de eis visum fuerit, decernant de illis prioratibus.

6. Promovemus ad gradum magisterii pro locis actu vacantibus et non aliter p. Hieronymum Grocholski, p. Casimirum de Leopoli; ad gradum autem baccalaureatus p. Iosephum Slomoroski, p. Modestum Borkosiski, p. Ambrosium Dziroloroski, p. Antoninum de Leopoli, p. Stanislaum Sekoroski et p. Marianum Zaroisza.

Pro provincia Parisiensi.

1. Approbamus erectionem congregationis Gallicanae in provinciam sub terminis in decreto reverendissimi p. magistri generalis dato die 27. septembris in actuali visitationis celebratione contentis et institutionem rev. admodum p. mag. Antonii Mallet, antea vicarii generalis, in provincialem, volumusque, ut eius provincialatus sicut et successorum eius ad quadriennium extendatur, ut in aliis Galliae provinciis observatur.

2. Approbamus similiter ordinationes factas per reverendissimum p. magistrum ordinis pro bono regimine conventus Parisiensis s. Iacobi et conventus praefatae provinciae, volumusque, ut testimonia sufficientiae eorum, qui pro aulica responderint ad reverendissimum p. generalem transmittantur, alias ad cursum theologicum non poterunt promoveri.

3. Transferimus per affiliationes rr. pp. ff. Hyacinthum Gomer conventus Rhedonensis in conventum Cenomanensem, et Ivonem (1) conventus Dinanensis in conventum Valiacensem, dummodo duae partes fratrum praefatorum conventuum ex tribus consenserint, supplentes consensum fratrum, ex quorum conventu transferuntur.

4. Confirmamus affiliationes rr. pp. magistrorum Iacobi Durant conventus Tholosani et Zachariae Biré in conventu Turonensi.

5. Instituimus praedicatorem generalem conventus Credonensis admodum rev. p. fr. Petrum Griquet, et approbamus magisterium fr. Christophori Crochon in universitate Cadomensi.

6. Declaramus, omnes assignationes factas in praefata provincia ad quadriennium limitatas esse per praesens capitulum, quo expleto, hactenus factas vel posthac faciendas eo facto expirare vel expirasse decernimus.

7. Approbamus baccalaureatum rr. pp. Alberti Gabrieski et Francisci Gabrieski pro provincia Poloniae, volumusque, ut loco lecturae in ea provincia habeatur.

8. Strictiorem constitutionum nostrarum observantiam, quae in conventibus Britanniae provinciae Parisiensis introducta fuit, conservare et augere cupientes, praesenti statuto confirmamus omnia privilegia, quae per reverendissimum p. generalem et antecessores eius congregationi huic Britanniae praefatae provinciae Parisiensis fuere concessa et confirmata, sub cura tamen et moderamine p. provincialis Parisiensis iuxta decretum reverendissimi Sicci, ita ut per erectionem congregationis Gallicanae in provinciam Parisiensem nullum privilegiis huiusmodi iam concessis et confirmatis praeiudicium afferatur, et per eorumdem privilegiorum concessionem et confirmationem separatio a cura patris provincialis non praetendatur.

---

(1) De fr. Ivone (Pinsart) cf. SSOP. II, 571.

Pro provincia Lithuaniae.

1. Petitionibus ac instantiis iterato ac iterato porrectis nomine congregationis nostrae Lithuaniae decernimus, eam erigendam esse in provinciam sub nomine provinciae sancti Angeli Custodis, eamque de facto sic erigimus et instituimus cum omnibus gratiis et privilegiis, quibus reliquae provinciae frui consueverunt.

2. Quoniam tamen ratione huius erectionis insurgere possent novae lites circa limites provinciae praefatae sic erectae et Russiae et Poloniae provinciarum, ut in futurum tam antiquis quam novis litibus praecludatur aditus, confirmamus omnia, quae de his limitibus statuta sunt in capitulo Romano 1644, omnino prohibentes, ne aliquid circa huiusmodi limites immutetur; et mandantes in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto, nec non sub poena privationis vocis activae et passivae, ipso facto incurrenda, omnibus fratribus nostri ordinis et insuper p. provinciali pro tempore eiusdem provinciae Lithuaniae sancti Angeli Custodis sub poena absolutionis ab officio et privationis utriusque vocis in capitulo generali ipso facto incurrenda tam provinciali quam diffinitoribus, ne praesenti decreto et statutis in praefato capitulo Romano 1644 directe vel indirecte, per se vel per alium quocumque modo se opponere audeant.

3. In provincialem dictae provinciae instituimus admodum rev. p. mag. Petronium Kamienski (1); volentes, ut in posterum in hac provincia officium provincialatus duret per triennium.

4. Damus in regentem studii nostri Vilnensis rev. p. baccalaureum fr. Prudentium Gros et in baccalaureum ordinarium rev. p. baccalaureum fr. Adamum Tarnavski, et in magistrum studentium p. lectorem fr. Michaelem Woynilovicz.

5. Concedimus, ut in capitulo provinciali possit concedi licentia imprimendi opuscula fratrum tam latini quam vulgaris sermonis, salva semper confirmatione tertia praesentis capituli et in ea ordinatis, et servatis alias servandis.

6. Concedimus, ut in capitulis provincialibus magistri studentium designari possint, dummodo reverendissimus desuper moneatur.

7. Inhibemus sub poena gravioris culpae, ut nullus fratrum nostrorum in partibus Lithuaniae et Samogetiae missionarii munus accipiat sine licentia magistri ordinis.

Pro congregatione s. Ludovici.

1. Confirmamus separationem conventuum, qui sunt trans Ligerim, ab illis, qui sunt cis Ligerim, factam a reverendissimo p. generali, et

---

(1) De fr. Petronio Kamienski cf. l. c. pag. 554.

simul erectionem eorumdem conventuum in congregationem sub nomine congregationis sancti Ludovici, et institutionem p. fr. Ioannis Baptistae Guilielmi in vicarium dictae congregationis, prout in decreto talis separationis et erectionis dato per praefatum reverendissimum p. generalem Tolosae 7. novembris 1646 continetur, cum omnibus privilegiis et gratiis, quibus antea congregatio sancti Ludovici fruebatur; decernentes, ut iuxta decretum in hoc diffinitorio habitum de consensu p. vicarii generalis praedictae congregationis et p. prioris Parisiensis teneatur idem conventus Annuntiatae Parisiensis ratione studii vel negotiorum recipere et alere sine ulla pensione quinque fratres provinciae Tolosanae.

2. Erigimus in studium generale dictae congregationis praefatum conventum Annuntiatae Parisiensis.

3. Ordinamus, quod filii congregationis exeuntes sine reverendissimi licentia a praefata congregatione nullibi recipi possint, sed poena gravioris culpae aliisque poenis in fugitivos latis omnino puniri debeant.

4. Ordinamus, ut in posterum, qui per duodecim annos continuos in uno ex studiis generalibus dictae congregationis theologiam legerint, sint patres congregationis ad instar patrum provinciae gratiisque et privilegiis similibus patribus concessis a nostris constitutionibus, quantum approbatae consuetudines eiusdem congregationis patiuntur, perfruantur, dummodo tamen eorum lectura in capitulo congregationis et a magistro ordinis fuerit approbata, et ita ut anni praefati ab hoc anno incipiant numerari.

Pro congregatione Stiriae et Carinthiae.

1. Confirmamus et ordinamus, ut conventus Pettoviensis sanctae Mariae Superioris maneat deputatus pro strictiori observantia.

2. Damus in vicarium congregationis rev. p. lectorem fr. Paulum Merenda, quem etiam confirmamus in priorem eiusdem conventus Pettoviensis.

Pro congregatione Canariarum.

1. Confirmamus erectionem vicariae nostrae Canariensis in congregationem, factam in capitulo generalissimo Romae 1644, separatam a regimine et iurisdictione provinciae Bethicae et immediate subiectam reverendissimo magistro generali, prohibentes pro bono pacis omnibus et singulis dictae congregationis patribus ac fratribus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto, ne ullus quovis colore et praetextu attentet vel procuret divisioni factae contradicere, sed in vinculo charitatis ac mutuae dilectionis permanentes Deo, qui charitas est, devote servire studeant.

2. Confirmamus et inviolabiliter observari volumus omnia, quae concessa et ordinata sunt tam a praedicto capitulo generalissimo quam

a reverendissimo p. nostro magistro generali pro bono regimine dictae congregationis tam quoad concessiones et approbationes quam quoad ordinationes, earum tenorem hic pro expresso habentes etc.

3. Ordinamus, ut fratres huius congregationis filii ad alias congregationes vel provincias fugientes poenis a nostris legibus stabilitis puniantur et ab admodum rr. pp. tam provincialibus quam vicariis generalibus illarum, ad quae confugiunt, ad suam congregationem statim remittantur; prioribus vero aut locorum praesidentibus sub poena absolutionis ab officio mandamus, ne fratres sine licentia adventantes aliter quam in carceribus recipiant.

4. Confirmamus in studium generale conventus nostri sancti Dominici Lacunensis cum omnibus gratiis et privilegiis caeterorum studiorum generalium huiusmodi nostri ordinis iuxta constitutiones et acta.

5. Ordinamus et districte prohibemus, ut nullus in posterum ad quoslibet gradus promoveatur neque ad praedicaturas generales aliter quam ad congregationis petitionem factam in capitulo electionis vicarii congregationis per rev. adm. p. vicarium congreg. et patres diffinitores.

6. Concedimus ad vocalium congregationis petitionem rev. admodum p. fr. Dominico de Herrera, vicario generali eiusdem congregationis, ut futurum capitulum electionis vicarii congregationis celebret dominica « Deus qui errantibus » 1648, non obstante, quod triennium sui vicariatus die 17. februarii eiusdem anni expiret; et interim ordinamus et volumus auctoritatem ipsius durare usque ad dictum tempus capituli electionis vicarii congregationis.

7. Concedimus dictae congregationi, ut pro die assignata et statuta ad celebrationem capituli electionis vicarii dominicam « Deus qui errantibus » in posterum habeat; ut autem fides catholica et propagatio nostrae religionis amplificetur, concedimus facultatem rev. admodum p. vicario generali pro tempore fundandi de novo monasteria tam fratrum quam monialium et acceptandi quaecumque loca ad hunc effectum magis idonea, servatis servandis.

8. Erigimus vicariam nostram sancti Petri apostoli de Hermigua in prioratum cum omnibus gratiis et privilegiis, siquidem alere potest fratres secundum leges et constitutiones taxatos; et damus in primum priorem praefati conventus rev. p. fr. Thomam Rodriguez, et in praedicatorem generalem illius instituimus rev. p. fr. Matthiam Marrero, dummodo habeat requisita secundum constitutiones et acta.

9. Acceptamus conventus s. Petri Telmi portus Orotavae et sancti Ioannis de Ortega oppidi de Firgas, iam per aliquot annos erectos.

10. Promovemus ad praesentaturae gradum titulo lectionis ad congregationis petitionem rev. p. fr. Christophorum Cortes Laso, regentem

et lectorem primarium studii generalis conventus nostri sancti Dominici Lacunensis, cum omnibus gratiis pro loco vacante rev. p. fr. Iosephi de Avendaño, praesentati numeralis defuncti.

Pro monasterio Prulliani.

1. Confirmamus omnes et singulas ordinationes factas a reverendissimo p. generali in visitatione dicti monasterii, et simul declaramus, puellas in illo in posterum instruendas non posse in eo retineri post annum decimum sextum expletum, nisi habitum ordinis nostri sint quamprimum recepturae.

2. Concedimus, ut omnes fratres in eo conventu deputati vocem habeant in capitulis suarum provinciarum, si alias de iure sint vocales.

3. Concedimus, ut in hoc monasterio officium sancti Alexii celebretur sub ritu totius duplicis.

Pro novitiatu Parisiensi.

Confirmamus omnia, quae pro felici regimine novitiatus nostri Parisiensis statuit reverendissimus p. generalis, et praesertim quod nullus clericus possit recipi ad habitum et professionem nomine illius novitiatus; confirmantes decretum super hoc factum a reverendissimo, ac si de verbo ad verbum hic insertum haberetur.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro papa Innocentio X. et felici statu sanctae Romanae ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo imperatore Ferdinando et felici statu sacri Romani imperii quilibet sacerdos unam missam.

Pro catholico Hispaniarum rege Philippo IV. et serenissima infanta eius filia quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Galliarum rege et serenissima regina matre quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo rege Poloniae et Svetiae Vladislao IV. q. s. u. m.

Pro emimentissimis ac reverendissimis dd. cardinalibus protectore et comprotectore nostri ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Pro eminentissimo ac reverendissimo d. d. fr. Vincentio, cardinali sancti Clementis, ex ordine nostro assumpto, quil. sac. unam missam.

Pro universo sacro collegio eminentissimorum ac reverendissimorum dd. cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Pro excellentissimo ac reverendissimo d. d. fr. Isidoro Aliaga, huius civitatis archiepiscopo, ex ordine nostro assumpto, qui etiam valde pinguem eleemosynam pro hoc capitulo generali contulit, quil. sac. un. mis.

Pro omnibus praelatis ex ordine nostro assumptis quil. sac. un. mis.

Pro omnibus benefactoribus nostris, qui huic capitulo pias eleemosynas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro bono statu totius nostrae religionis eiusque capite reverendissimo patre magistro generali ac sociis collaborantibus quil. sac. unam missam.

Pro pace totius orbis christiani quilibet sacerdos unam missam.

Ubi patribus sacerdotibus missa, clericis litaniae, conversis vero decies pater noster et Ave Maria imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro animabus serenissimae reginae et serenissimi principis infantis Hispaniarum quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus bonae memoriae eminentissimorum dd. cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuam eleemosynam nostro generali capitulo in suis testamentis reliquerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri, qui a tempore postremi capituli generalis Romani in Domino obierunt, quil. sac. un. mis.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri quil. sac. un. mis.

Ubi patribus sacerdotibus missa, clericis officium defunctorum, conversis vero rosarium imponitur.

Damus reverendissimo patri generali omnem nostram auctoritatem circa praemissa omnia, ut ea declarare possit, sicut et reliqua, quae declaratione indigent, eisdem addere et minuere, omnia denique et singula facere, quae nos agere possemus, secundum quod eius prudentiae expedire visum fuerit.

Concedimus omnibus patribus provincialibus necnon etiam sociis, qui pro patribus provincialibus in praesenti capitulo diffinierunt, ut quilibet eorum possit unum ex fratribus suae provinciae poenis gravioris culpae ante huius capituli celebrationem addictum restituere ad omnes gratias ordinis, dum tamen ille post correctionem cautior sese capacem huius favoris exhibere sategerit.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus ac singulis fratribus ac sororibus ordinis nostri, toto orbe diffusis suaeque curae subiectis, ut semel aliquem in ordine approbatum patrem confessarium sibi deligere possint, qui eos ab omnibus peccatis ac censuris ante horum actorum publicationem quomodolibet contractis absolvere valeat, quantum ipse reverendissimus pater magister generalis posset, si ei personaliter confiterentur.

Capitulum sequens, quod erit diffinitorum primum, anno 1650 celebrabitur in Italia Romae, vel ubi reverendissimo magistro ordinis visum fuerit.

Praecipimus denique in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus et singulis provinciarum, congregationum

et vicariarum praesidentibus, ut huius capituli acta in omnibus conventibus suae curae creditis quamprimum legere et publicare faciant, omnemque operam adhibeant, ut inviolabiliter executioni mandentur et saltem quater in anno in cuiuslibet conventus refectorio legantur; volentes, ut exemplaribus impressis et sigillo reverendissimi magistri ordinis munitis eadem fides ubique habeatur, quae ipsamet originalibus esset adhibenda.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Fr. Thomas Turcus generalis
qui supra manu propria.

ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM ORDINIS PRAEDICATORUM CELEBRATI IN FESTO SS. PENTECOSTES DIE V. IUNII MDCL.

Sub reverendissimo patre fr. Ioanne Baptista de Marinis (1) sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, in eodem capitulo electo, diffinientibus pariter reverendis admodum patribus provincialibus et diffinitoribus, nempe:

admodum rev. p. magistro fr. Vincentio Bosside provinciali Tholosano,
admodum rev. p. magistro fr. Petro Chemin provinciali Franciae,
adm. r. p. m. fr. Guilielmo Foco provinciali utriusque Lombardiae,
admodum rev. p. mag. fr. Angelo Pacciuchello (2) provinciali Romano,
admodum rev. p. magistro fr. Gregorio de Vio provinciali Regni,
admodum rev. p. mag. fr. Alberto Rottenpuecher provinciali Teutoniae,
admodum rev. p. magistro fr. Raymundo Quirino provinciali Graeciae,
a. r. p. m. fr. Petro Maria Passerino de Sextula prov. Terrae Sanctae,
a. r. p. m. fr. Francisco Crespi de Valdaura et Borja prov. Aragoniae,
admodum rev. p. mag. fr. Dionysio a sancto Laurentio prov. Provinciae,
admodum rev. p. magistro fr. Vincentio Grimani prov. Dalmatiae,
admodum rev. p. magistro fr. Petro Martyre Iannonio prov. S. Thomae,
adm. rev. p. m. fr. Ludovico Rinaldo a Sarracena provinciali Calabriae,
admodum rev. p. magistro fr. Iacobo Cerchiari provinciali s. Dominici,

(1) De fr. Ioanne Baptista de Marinis cf. SSOP. II, 561, supra pag. 126.
(2) De fr. Angelo Pacciuchello cf. Masetti l. c. pag. 147, SSOP. II, 592.

a. rev. p. m. fr. Ludovico Allegrino prov. s. Catharinae Senensis,
admodum rev. p. magistro fr. Antonio Malet provinciali Parisiensi,
admodum rev. p. magistro fr. Alphonso Kaznowschi prov. Lituaniae,
admodum rev. p. magistro fr. Francisco de Aragona diffinitore Hispaniae,
5 admodum rev. p. magistro fr. Petro du Four diffinitore Tholosano,
admodum rev. p. magistro fr. Nicolao le Febvre (1) diffinitore Franciae,
admodum rev. p. mag. fr. Ioanne Baptista Spadio (2) dif. Lombardiae,
admodum rev. p. magistro fr. Cherubino Malaspina dif. Romano,
admodum rev. p. magistro fr. Blasio Mazzella diffinitore Regni,
10 admodum rev. p. mag. fr. Antonino Bentheim (3) diffinitore Teutoniae,
admodum rev. p. magistro fr. Alberto Bartochowschi dif. Poloniae,
admodum rev. p. magistro fr. Paulo Scarpa diffinitore Graeciae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Baptista Polo (4) dif. Aragoniae,
admodum rev. p. magistro fr. Petro Begou diffinitore Provinciae,
15 admodum rev. p. magistro fr. Ambrosio Caraumeo diffinitore Dalmatiae,
admodum rev. p. magistro fr. Petro Ravidà diffinitore Siciliae,
admodum rev. p. magistro fr. Antonio de Incarnatione dif. Portugalliae,
admodum rev. p. magistro fr. Marco Philippo Salazar dif. Bethicae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Desloix dif. Germaniae Inferioris,
20 admodum rev. p. magistro fr. Feliciano Donato a Polignano dif. Apuliae,
adm. rev. p. m. fr. Silvestro Theutonico a Tabernis diffinitore Calabriae,
admodum rev. p. magistro fr. Mauritio Tirellio diffinitore Hyberniae,
admodum rev. p. magistro fr. Francisco Muñiz diffinitore Mexicano,
a. rev. p. m. fr. Raymundo Peramato diffinitore s. Vincentii de Chiapa,
25 a. r. p. m. fr. Ioanne de Godoy diffinitore s. Antonini de Novo Regno,
a. r. p. praedicatore generali fr. Stephano Bellavera dif. s. Dominici,
a. r. p. m. fr. Francisco de la Torre dif. s. Catharinae Mar. de Quito,
admodum rev. p. magistro fr. Matthaeo Bermudez dif. Philippinarum,
a. r. p. m. fr. Iosepho de Robles dif. s. Hippolyti Martyris de Oaxaca,
30 admodum rev. p. magistro fr. Reginaldo Rubeo dif. s. Petri Martyris,
a. r. p. m. fr. Severo Barbino dif. s. Catharinae Senen. Aprutinae,
admodum rev. p. magistro fr. Modesto Borkowschi diffinitore Russiae,
admodum rev. p. magistro fr. Iacobo Durant diffinitore Parisiensi,
admodum rev. p. magistro fr. Prudentio Gros diffinitore Lituaniae.

---

(1) De fr. Nicolao le Febvre cf. SSOP. II, 576.
(2) De fr. Ioanne Baptista Spadio cf. l. c. pag. 598.
(3) De fr. Antonino Bentheim cf. l. c. pag. 577.
(4) De fr. Ioanne Baptista Polo cf. l. c. pag. 755.

Universis ordinis praedicatorum
patribus et fratribus fr. Ioannes Baptista de Marinis,
sacrae theologiae professor, eiusdem ordinis
humilis magister generalis et servus,
salutem in Domino sempiternam.

Ardens pectoris nostri desiderium solvendi debitum servitutis et pastoralis sollicitudinis obsequium vobisque palam faciendi, quae pro communi omnium bono salubriter instituta sunt in postremo capitulo generali, distulit hactenus recta ratio regiminis et graviorum patrum consilium iuxta ordinationem ultimi capituli Valentini, ut eo laetioribus et alacrioribus animis a vobis observentur, quo magis discussa videritis ad normam et limam sanctarum nostrarum constitutionum, cum nihil magis cupiamus quam vobis placere in visceribus Iesu Christi, ut charitas vestra magis abundet in scientia et in omni sensu probetis potiora. Coarctamur et angustiamur, fratres charissimi, sub iugo tantae curae et servitutis, angelicis humeris formidandae, dum intra secreta mentis nostrae die ac nocte meditamur, quod in districto die examinis pro vobis omnibus reddituri sumus rationem. Hinc quasi dolores parturientis concepimus et parturimus, donec formetur in vobis Christus, et tremorem, ne in ipso partu periclitemur, et qui concepimus dolorem, pariamus iniquitatem. Vae igitur mihi, si non evangelizavero; non est mihi gloria, necessitas mihi incumbit quasi tubam exaltandi vocem meam et convocandi omnia capita et membra religionis, ut mecum sint et mecum cum sollicitudine laborent ad sublevandam tantam sarcinam, ne pondere praegravatus vos et meipsum traham in periculum casus et ruinae.

Obaudite vocem meam, quotquot in hac vinea mystica ordinis praedicatorum constituti estis praepositi et pastores, quotquot in quocumque gradu auctoritatis et dignitatis reliquis praeeminetis; attendite et auscultate, eo maiorem gloriam vos expectare in coelis, quo forma subditorum effecti per exempla virtutum et sanctitatis, in observantia regulae et sanctarum nostrarum constitutionum ascenditis; tunc enim virga directionis recta est et decora, quando praelati prius in se cavent, quod in subditis corrigunt, et prius faciunt, quam alios doceant, prius in campo quasi in agone constituti, in bonis operibus seipsos exercentes, ut ad contemplationis arcem ascendant, ut subditos cum fructu in operibus utriusque vitae activae et contemplativae quasi ex adipe et pinguedine cordis ac interiori succo, cuius dulcedinem in se prius sentiunt, promoveant ad salutem, ne dicatur, quod imponunt aliis onera gravia et insupportabilia, quae digitis suis tangere nolunt, et occasionem praebent murmurandi pusillis atque dicendi: medice, cura te ipsum; talis enim occasio, ait s. Ber-

nardus, plurima damnatio praelati, plurima subditorum perditio est. Oportet irreprehensibilem esse hominem, qui praeest, et ea, quae arguit in subditis, oportet summopere evitare magistrum. Haec via conservandi disciplinam regularem, ubi per Dei gratiam stabilem fixit sedem illam altioribus radicibus firmandam, ubi imbecillis est aut antiquum remisit fervorem, et ad eam paulatim restituendam, ubi collapsa est et perdidit antiquae pulchritudinis maiestatem; si nempe unusquisque in gradu suo spectabile se praebeat exemplum vitae regularis, ut ex capitibus ad membra, ex superioribus ad inferiores concordibus animis diffundatur quasi oleum effusum et unguentum pretiosum, cuius odore currere faciant praelati subditos ad bravium supernae vocationis.

Ad vos etiam dirigo sermonem, fratres mei charissimi, quos matura aetas et veneranda canities ac experientia rerum magistra docuit et admonet, vanum esse, quod transivit, parum esse, quod deest, aeternum, quod superest, solidum et stabile, quod vos expectat. Iam tempus est ab omni somno teporis et oscitantiae vos surgere, maturate gradum eo velocius et securius, quo bos lassus fortius figit pedem, et quo magis appropinquatis ad centrum aeternae felicitatis ac requiei, ne inimicus vos inveniat otiosos et adveniens sponsus inveniat lampades vestras extinctas ac vacuas oleo devotionis, ne post tot labores exantlatos pro Christo, post tot agones et certamina velitis arma deponere et iugum observantiae levissimum prae torpore quasi grave abiiciatis et in periodo cursus quasi lassi coronam tot bonorum operum perdatis.

Exhortor vos, iuvenes et adolescentes, ut ea discatis in terris, quorum scientia manet in coelis, non quae inflant ad vanitatem, sed quae aedificant ad salutem, non quae rapiunt intellectum, sed quae inflammant affectum; haec sit continua vestra meditatio et studium indefessum, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, sicut estis in una spe vocationis vestrae. Attendite, quo fine, qua intentione ad hunc ordinem accesseritis, quibus gressibus et mediis sancti patres et fratres nostri ad tantam gloriam et splendorem omnium virtutum ac scientiarum pervenerunt, quibus per universam faciem terrae dilatatus fuit sonus eorum, quibus tot mirificos fructus et immarcescibiles flores honoris et honestatis collegerunt. Hic scopus vester sit, haec totius instituti ratio; apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta. Ecce viam regiam tot sanctorum passibus tritam, perviam et calcatam, nempe leges sanctissimas, quas ipsi stabiliverunt et fideliter observarunt, quibus itur ad Christum. Quid fingitis laborem in praecepto, in observantia regulae et constitutionum? Ecce eandem vitae formam, ecce homines coagulatos ex eadem carne et sanguine, quo vos, ecce eandem gratiam Spiritus sancti vobis oblatam, quae

fuit illis collata. Erigite, fratres charissimi, et levate oculos vestros in montes, intueamini tot religiosos ordinis sanguine nobilissimos, simplicitate admirabiles, doctrina praestantes, qui sine murmure aut contractione vultus parentes, patriam, divitias, dignitates, delicias huius mundi et voluptates universas contemnentes, per orbem terrarum dispersi Christi fidem praedicaverunt, qui in auditu auris obediverunt praelatis, in strictissima paupertate non curantes de crastino, innocentissimam vitam duxerunt per ieiunia multa, vigilias, labores corporis, meditationes et lectiones, per austeritates, quas susceperunt, ut sic ab universis cogitationibus noxiis illaesum praeparare cor et conservare possent atque ad perfectionem charitatis his gradibus innitendo conscenderent. Considerate, viri, tot in sexu fragili et delicato virgines ac puellas ex sanguine regum et principum, ex omni statu et in omni aetate, quae in sinceritate obedientiae sine velle aut nolle ad unguem observantes rigorem constitutionum nostrarum et plurima alia opera supererogationis exercentes angelicam vitam duxerunt in terra, ideoque hodie triumphant in coelis. Nolite iugum hoc quasi grave a vestris humeris excutere, quod tanta alacritate tot sanctae et sancti, tot venerandi senes et graves anus, tot iuvenes ac virgines in ipso aestu et fervore florescentis aetatis susceperunt, in odorem unguentorum Salvatoris fortiter et velociter currentes. Cur tempus accusatis et naturae fragilitatem seu inveteratam consuetudinem vitae laxioris, cum numquam sit sera ad poenitentiam et virtutem via in stricta observantia regulae et constitutionum, sicut in professione vovistis, quam per Dei gratiam plures fratres et sorores per totum ordinem fidelissime observant et totis medullis amplectuntur et colunt, nosque pro viribus intendimus, divino opitulante auxilio, promovere. Invitat vos dignitas et maiestas obedientiae, quam Christus suo sanguine consecravit; propter quod Deus exaltavit illum et dedit illi nomen, quod est super omne nomen; sine qua cassae sunt omnes orationes, ieiunia, corporis animique macerationes, frustraque sine ipsa quilibet sibi blanditur de nomine religiosi, quam pulchre describit sanctus Bernardus, inquiens: Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur neque contenta angustiis professionis largiori voluntate fertur in altitudinem charitatis et ad omne, quod iniungitur, spontaneo vigore liberalis alacrisque animi, modum non considerans in infinitam libertatem extenditur. Et pressius angelicus doctor docet, consistere eam in totali abdicatione et subiectione propriae voluntatis; inde deducens ex collationibus patrum, deterrimum fuisse genus monachorum Sarabaitas, qui suas necessitates curent, absoluti a seniorum iugo habebant libertatem agendi, quidquid libebat, et tamen magis hi, quam qui in coenobiis degebant, in operibus die ac nocte consumebantur.

Arridet nobis laeta facies paupertatis, digito nobis demonstrans innumeros thesauros in coelis et immarcescibile praemium aeternitatis his, qui omnia relinquunt propter Christum, qui nihil habent et omnia possident, qui habentes victum et quo operiantur, his contenti sunt. Invitat nos casta dignitas serenae continentiae, non dissolute hilaris, honeste blandiens, ut accedatis, et ostendens nobis tot victorias et triumphos, quos de carne et sanguine reportaverunt tot sancti et sanctae ordinis nostri, qui modo amicti stolis albis et palmas liliaque castitatis suaveolentissima gestantes manibus sequuntur Christum, quocumque vadit. Adhaerete igitur sociis tantae mercedis tantaeque militiae, quos, si piget imitari, nolite adversari.

Audite sanctissimum patrem nostrum Dominicum ex ore sancti Augustini vel potius Christi unumquemque vestrum admonentem et dicentem: Tu non potes, quod isti, et istae? An vero isti et istae in semetipsis possunt et non in Deo suo? Dominus Deus eorum dedit illis haec omnia observare. Quid in te stas et non stas? Proiice te in eum, noli metuere, non se subtrahet, ut cadas, proiice te, securus te excipiet et te sanabit.

De cetero, fratres charissimi, sic vos Dominus multiplicet et abundare faciat charitatem vestram in invicem et in omnes, quemadmodum et nos in vobis, ad confirmanda corda vestra sine querela, semper nostri memores in vestris sanctissimis precibus et orationibus.

Acta capituli generalis in conventu s. Mariae super Minervam ordinis praedicatorum celebrati in festo Pentecostes, die 5. iunii anno iubileo 1650, sub reverendissimo p. fr. Ioanne Baptista de Marinis, sacrae theologiae professore, magistro generali eiusdem ordinis, in dicto capitulo electo.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, et beatae Mariae semper Virginis et beati patris nostri Dominici omniumque Sanctorum.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus, vacante magisterio ordinis per obitum reverendissimi p. m. fr. Thomae Turci piae memoriae, in generalem totius ordinis magistrum rite canoniceque electum fuisse reverendissimum p. m. fr. Ioannem Baptistam de Marinis, s. congregationis indicis secretarium, eodemque die sanctissimo d. n. Innocentio X. solemni totius capituli processione oblatum atque ab eodem perbenigne exceptum.

2. Ut obedientiam et reverentiam erga s. sedem apostolicam in omni

occasione, uti par est, profiteamur, omnibus nostri ordinis religiosis, praesertim magistris, regentibus studiorum, lectoribus et praedicatoribus in memoriam revocamus, ut constitutionem fel. rec. Urbani VIII., qua liber Cornelii Iansenii, episcopi Iprensis, cui titulus *Augustinus*, proscribitur et prohibetur, omnino iuxta eius tenorem observent eique pareant, alias contra inobedientes ad poenas in eadem constitutione contentas procedemus.

3. In memoriam revocamus decretum ss. d. n. Clementis pp. VIII. circa litanias observandum, quod est tenoris sequentis:

Sanctissimus d. n. Clemens papa VIII.

Quoniam multi hoc tempore privati etiam homines praetextu alendae devotionis novas quotidie litanias evulgant, ut iam prope innumerabiles formae litaniarum circumferantur, et in nonnullis ineptae sententiae, in aliis, quod gravius est, periculosae et errorem sapientes inveniantur, pro sollicitudine sua pastorali providere volens, ut animarum devotio Deique ac Sanctorum invocatio sine ullius detrimenti spiritualis periculo foveatur, praecipit et mandat, ut retentis antiquissimis et communibus litaniis, quae in breviariis, missalibus, pontificalibus ac ritualibus continentur, nec non litaniis de b. Virgine, quae in s. Aede Lauretana decantari solent, quicumque alias litanias edere vel iam editis in ecclesiis sive oratoriis sive processionibus uti voluerint, eas ad congregationem sacrorum rituum recognoscendas et, si opus fuerit, corrigendas mittere teneantur; neque sine licentia et approbatione praedictae congregationis eas in publicum edere aut publice recitare praesumant sub poenis, ultra peccatum, arbitrio ordinarii et inquisitoris severe infligendis.

Praesens decretum factum fuit in generali congregatione s. Romanae et universalis inquisitionis, habita in palatio apostolico in monte Quirinali coram praedicto ss. d. n. ac illustrissimis et reverendissimis dd. S. R. E. cardinalibus adversus haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus, 8. id. sept. anno a Nativitate d. n. Iesu Christi 1601.

Quintilianus Adrianus *Not.*

Declarationes.

1. Quoniam usus media nocte surgendi ad matutinas non est unus in omnibus provinciis, declaramus, ordinationem capituli Valentini 1647 celebrati, qua praecipitur, ut in omni conventu, qui sit prioratus, fratres media nocte surgant ad matutinum, debere intelligi de media nocte circiter, iuxta provinciarum vel conventuum consuetudinem; parvos autem conventus sub poenis ibidem statutis obligari, matutinas saltim ante auroram persolvisse, exceptis illis, qui in borealibus regionibus utriusque

Germaniae, Poloniae, Bohemiae, Lithuaniae, Russiae etc. siti sunt parvi conventus, quibus tam hyeme quam aestate mane hora 4. horologii ultramontani ad matutinas surgendum esse decernimus sub iisdem poenis ut supra.

2. Decreto a sacra congregatione cardd. sacri concilii Tridentini interpretum emanato et a fel. rec. Urbano VIII. approbato, necnon Tholosae 1628 denuntiato inhaerentes, declaramus, quod priores, qui sua culpa non alunt fratrum numerum sufficientem ad electionem canonicam faciendam muniaque ordinis rite obeunda, vocem et locum in electionibus provincialium aliisque provinciae actis capitularibus non habeant, etiam quando alio titulo seu magistri seu patris provinciae aut praedicatoris generalis vocem alias fuissent habituri; insuper tales a prioratus officio absolvantur ac voce passiva per biennium careant; provinciales vero et vicarii generales, qui negligentes fuerint in providendo huiusmodi conventibus de sufficienti numero fratrum, per biennium ad quaecumque officia ordinis sint inhabiles. Censebuntur autem tunc sua culpa numerum fratrum sufficientem non alere, quando non constiterit autentice, factas fuisse a prioribus debitas instantias apud suos provinciales vel congregationum vicarios pro sufficienti fratrum numero obtinendo.

3. Ad tollendam omnem ambiguitatem nasci solitam ex assignationibus priorum sub cursu sui officii factis ad conventum, cui praesunt, insistentes vestigiis capitulorum generalium Romani 1601, Vallisoletani 1605 et Parisiensis 1611, declaramus, quod prior, qui durante suo officio assignatur per simplicem assignationem conventui, cuius est prior, non habet vocem in electione sui successoris neque censetur ibidem assignatus ad eum effectum nisi post duos menses ab expleto officio. Quod si durante officio assignatus fuerit ad alium conventum, non poterit in illo vocem activam praetendere, nisi post expletum prioratum duobus ante electionem mensibus realiter et bona fide illi conventui inservierit. Quod etiam observandum in electione socii aut electoris pro capitulo provinciali.

4. Ut pluribus aliis difficultatibus circa assignationem officialium occurratur, declaramus, assignationes suppriorum, lectorum, syndicorum, confessorum monialium aliorumque ad huiusmodi officia, exceptis assignationibus studentium, qui ex aliis provinciis assignantur in studiis generalibus, et moderatorum studii generalis ad certum tempus destinatorum, nec non institutionibus ac deputationibus priorum, vicariorum localium et praedicatorum generalium, non esse censendas assignationes ad officia, sed assignationes simpliciter, ita quod sic assignati post completa officia remaneant conventuales eorumdem conventuum, in quibus perfuncti sunt praedictis officiis, donec avocentur; salva tamen consue-

tudine conventus Bononiensis quoad studentes et provinciae Aragoniae quoad lectores et subpriores.

5. Declaramus iuxta nostras constitutiones dist. 2. cap. 14. tit. 6., quod, si fratrem ab aliquo conventu amotum contingat mori, priusquam ad conventum suae assignationis pertingat, censetur adhuc spectare ad conventum, unde recedit, ita ut hic teneatur ei tum ad suffragia tum ad solvendas expensas factas tempore infirmitatis pro victu et medicinalibus ipsisque funeralibus, si haec extra ordinis conventum aliquo cum sumptu fiant, eodem plane modo ac si a praefato conventu non fuisset amotus. Bona autem eiusdem fratris iuxta ibidem statuta debebunt dividi inter praefatum conventum et eius originalem; quod tamen intelligendum iuxta modificationem glossae const. ibidem lit. K.

6. Declaramus, fratres extra conventum suae assignationis deputatos in vicariatu aliove fratrum conventu adhuc habere vocem in conventu, cui manserunt assignati, posseque ad hunc conventum tempore electionis prioris sese transferre, nisi forte ab isto conventu suo ob scandalum fuissent remoti, nec posse quoad hoc a provincialibus aliisve superioribus impediri; irritum ac nullum declarantes, quidquid in contrarium fuerit attentatum. Insuper declaramus, quod instante electione etiam per mortem vel amotionem prioris debent huiusmodi vocales extra depositati admoneri de vacantia prioratus novaque instante electione, debent quoque expectari, dummodo non distent ultra pedestris itineris diaetam.

7. Declaramus, in consiliis conventuum praedicatores generales non habere vocem nisi secundum ordinem suae professionis; declarantes praeterea, prius ad consilium pertinere eos, qui de iure, quam alios qui in istorum supplementum sunt patres a consiliis, quosque ad complendum dumtaxat numerum duodenarium contingit advocari.

8. Declaramus, examinatores recipiendorum ad habitum et professionem debere esse alios a priore seu praesidente conventus; ipsum vero examen debere fieri coram patribus de consilio iuxta ordinationes factas Bononiae 1615 et Valentiae 1647, quas et confirmamus.

9. Declaramus, constitutionem illam dist. 1. cap. 13. text. 3., qua statuitur, quod conversus a priore provinciali aut aliquo de ipsius licentia non recipiatur nisi de consensu prioris et duarum partium fratrum, qui sunt de conventu, pro quo est induendus, non extendi ad sorores conversas, cum nihil de hoc in ipsarum propriis constitutionibus expressum habeatur.

10. Declaramus, poenam privationis vocis, quam capitulum Valentinum 1647 ordinatione 14. taxavit prioribus, qui suis fratribus in necessario vestitu etc. providere neglexerint, comprehendere quoque illos priores seu locorum praesidentes, quibus in capitulo provinciali ius suf-

fragii aliunde etiam v. g. titulo cuiuscumque gradus vel paternitatis provinciae competebat. Similiter alii superiores locales et vicarii, qui ad capitulum provinciale non accedunt, teneantur nihilominus eo transmittere testimoniales litteras, ex quibus appareat, quod ipsi vestimenta secundum usum provinciae dederint suis subditis; quod si omiserint, per illius capituli diffinitorium a suis officiis absolvantur. Denique si contingat aliquem priorem quomodocumque officio suo defungi, ideoque proxime instanti capitulo non intervenire, tunc eius successor, vel quem conventus miserit socium, capitulo tenebitur deferre huiusmodi testimoniales, e quibus diffinitorio constare possit, an praedecessor tempore sui regiminis sufficientem vestitum praebuerit fratribus; sique deprehendatur in hoc defecisse, per idem diffinitorium voce activa et passiva ad quadriennium privetur privatusque in actis publicis declaretur.

11. Cum in aliquibus Italiae provinciis abusus irrepserit circa baccalaureos titulares, qui exemptiones et locum statim a susceptione gradus captant ac praetendunt, antequam vel in aliqua universitate sententias legerint vel actus et functiones baccalaurei ordinarii in aliquo studio generali exercitarint, ideo pro dictis provinciis declaramus, huiuscemodi baccalaureis solum titulum, non vero locum aut ullam ab hebdomadaria et chori sequela exemptionem deberi; idem observari volentes quoad baccalaureos ordinarios quoad sequelam chori statim, ut officio suo perfuncti fuerint; rogantes reverendissimum p. magistrum ordinis, ne talibus baccalaureis titularibus locum vel exemptiones indulgeat.

12. Revocantes in memoriam ordinationem factam a capitulo Romano 1629, quae est infrascripti tenoris: Ordinamus et in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto mandamus omnibus provincialibus, diffinitoribus, magistris, patribus provinciae, ut petitiones provinciae quoad gradus fiant solum in capitulo provinciali una cum diffinitoribus, patribus magistris et patribus provinciae in ipso diffinitorio simul congregatis. Quod si extra capitulum disiunctim et privatim clam huiusmodi petitiones factae fuerint, sint omnino irritae et nullae; declaramus, nulli patrum vocalium comparentium in capitulo generali fas esse, pro suo arbitratu ibidem gradus petere pro aliis, quam qui a sua provincia modo supradicto expositi fuerunt, sub poena nullitatis aliisque arbitrariis a magistro ordinis infligendis; quem etiam rogamus, ut circa excessus varios hac in re sub praesenti capitulo factos tempore opportuno inquirat et effectus talium obreptitiarum petitionum rescindat.

13. Declaramus, quod cum litterae patentes eorum, qui promoventur ad gradus, antiquitatem et locum tribuant secundum ordinem et antiquitatem suae datae, ut decernitur Parisiis 1611, ideo, nisi aliud obstet,

prorsus eodem ordine ad eum effectum in provinciis et congregationibus sunt acceptandae, ita quod non liceat provinciali aut vicario generali suspendere aut distinere tantisper pro suo arbitrio vel affectu litteras unius promoti, ut interim recentiores litterae alterius promoti recipiantur et acceptentur in provincia cum postpositione illius, qui antiquiores patentes habet. Quod si secus factum fuerit, nolumus id antiquioris promoti loco praeiudicare.

14. Declaramus, prout iam olim per tria capitula nempe Venetum 1592, Romanum 1608 et Parisiense 1611 sancte severeque cautum fuit, nulli sive provinciali sive priori conventuali eam competere potestatem, qua valeat sub quocumque colore, praetextu aut urgentis causae obtentu admittere vel licentiare quemcumque novitium simplicem ante expletum integre probationis annum ad audiendas lectiones scholasticas sive artium sive theologiae; et qui secus fecerint, tamquam religiosae educationis, ex qua tota ordinis salus ac vita pendet, temerarii dissipatores in poenam a suis officiis absolvantur.

15. Ad abolendos perniciosos recursus, quibus interdum nonnulli pro evasione iustae correptionis, subterfugio poenae, declinatione suae assignationis aut cuiusvis alterius impositae obedientiae ab inferiori praelato, moderatore vel officiali leviter confugiunt ad superiorem pro relaxatione extorquenda, declaramus, non esse in potestate talium superiorum eiusmodi frivolos recursus, qui totius disciplinae pestes sunt, admittere, poenas ab inferiori praelato, moderatore vel officiali legitima cum auctoritate inflictas condonare, impedire, suspendere, iniunctam obedientiam cassare eiusve executionem retardare, quin potius ipsorum est, auctoritatem talium non secus ac propriam tueri, zelare et adiuvare, ne facilitate recursuum eludatur aut vilescat. Si quos vero absque urgentissima planeque evidenti causa viderint huiuscemodi refugio ac improba tergiversatione uti, v. g. si novitius a suo magistro, discipulus a lectore, subditus a priore etc. ad altiorem modo iam dicto recurrerit, teneantur ipsis poenam, quam effugere conabantur, duplicare, ut in posterum discant frivolis istis recursibus abstinere ac parere humilius.

16. Pro uniformitate nostrae religionis in oratione mentali post completorium et matutinas vel nonam pro tempore facienda, cuius spatium sive duratio varie a variis quondam capitulis, ut Mediolanensi 1505, Romano 1569, Barcinonensi 1574, taxata ac praefinita fuit, declaramus, eam ubique ad tertiam unius horae partem ad minus durare debere, idque ad clepsydram huic usui peculiariter adaptatam, neque esse in arbitrio vel potestate illius, qui choro tunc praeest, quod spatium hoc sine vera necessitate unquam abbreviet.

17. Declaramus, quotiescumque frater aliquis superiori suo praeci-

pue vero ipsi magistro ordinis quidpiam falsum scribere ausus fuerit, etiamsi materia non sit de aliquo detrimento tertii aut criminosa, sive ut locum habere possit poena talionis, de qua fuse dist. 1. cap. 18. de graviori culpa text. 5. lit. Q. et in capitulo Romano 1629 confirmatione 5., nihilominus talis ultra poenam gravis culpae, quae simplici mendacio debetur cap. 17. text. 1., incurrit perpetuam infamiam. Quisquis vero litteras criminosas ad superiorem dederit, proprio nomine maligne subpresso, meminerit se incurrisse poenam excommunicationis latae sententiae in capitulo Avenionensi 1561 et Romano 1580, quam hisce innovamus.

18. Declaramus, quod in electione provincialis soli tres priores antiquiores et non alii possint esse scrutatores vocum, ut habetur dist. 2. cap. 3. text. 6., ac proinde non licet vicariis generalibus seu praesidentibus, nisi sint de antiquioribus prioribus, ut statuitur Mediolani 1622, sedere ad bancum aut vota eligentium scrutari; quod sub poena nullitatis electionis ab omnibus observari volumus, nisi aliquae provinciae habeant super hoc speciale indultum apostolicum; non intendimus tamen prohibere, quin secundum nostras leges possit eligi quartus scrutator.

19. Declaramus, scrutatores seu iudices vocum in capitulis provincialibus non habere auctoritatem nisi ad examinandum litteras sociorum aliasque testimoniales, videlicet an priores alant sufficientem numerum fratrum, de quo supra, an dederint iis competens vestiarium, an in suis conventibus surgatur media nocte ad matutinum, de quibus in capitulo postremo Valentino et hoc Romano, ita tamen ut difficultates graviores, quae in iis occurrent, a provinciali aut vicario seu praesidente patribusque provinciae definiantur; nulloque modo licet iudicibus vocum iudicare, an priores, magistri et praedicatores generales sint legitime instituti debeantque esse vocales, sed haec atque similia ob praetensos defectus emergentia dubia circa validitatem vocum a praefato consilio provinciae per vota secreta et non aliter erunt determinanda.

20. Declaramus, esse officia simpliciter incompatibilia sociatum provincialis in provincia et simul actualem prioratum, non titularem alicuius conventus, ita quod, qui illum acceptat, teneatur ipsoque facto censeatur renuntiare isti, possintque vocales absque alia vacantiae declaratione ad novam electionem procedere.

Confirmationes.

1. Confirmamus ordinationes factas a magistris ordinis vita functis atque in specie illas omnes, quas rev. pp. fr. Nicolaus Rodulfius et fr. Thomas Turcus bonae memoriae pro bono regimine ac regularis observantiae studiorumque incremento diversis provinciis, congregationibus

et conventibus praescripserunt, maxime in eorum visitationibus, proinde, ut ea in omnibus et per omnia observentur, districte mandamus.

2. Confirmamus id, quod per modum inchoationis a postremo capitulo Valentino ordinatum fuit num. 3. his verbis: Ut internae animi submissioni exterior humiliatio respondeat, inchoamus, quod in choro ad illa verba invitatorii: « Venite, adoremus et procidamus ante Deum » fratres genua flectant, cantantes vero vel recitantes post expletum versum reverenter inclinent. Item illud, quod ibidem ordinatione 16. statutum fuit de flectendis ad illa verba antiphonae « Salve Regina », cum dicimus: « Eva ergo advocata nostra » etc. usque ad « O clemens » exclusive. Item ut iuxta capitulum Romanum 1629 in Confiteor dicatur « b. Mariae semper Virgini » et iuxta generalissimum ibidem 1644 « b. Dominico patri nostro »; cui ex nunc pro exactiori cum ritibus universalis ecclesiae conformitate censuimus adiungendum, ut in eodem Confiteor Deo addatur « Omnipotenti »; denique ut in missis de feria tempore Quadragesimae, quando canitur tractus « Domine non secundum » etc., ad illa verba « Adiuva nos, Deus salutaris noster » etc. usque in finem fratres devote genua flectant, prout iam in secularibus ecclesiis communiter observatur.

3. Confirmamus pientissimam ordinationem postremi capituli generalissimi de memorabili festo caelitus delatae miraculosae imaginis s. p. n. Dominici in Suriano per totum ordinem decimaquinta septembris sub ritu totius duplicis quotannis celebrando, sic tamen ut in primis vesperis sola de eo memoria fiat; officium vero idem esto, quod in altera festivitate die quarta augusti, hoc dempto, quod antiphona primarum vesperarum super psalmos et prima laudum sit « Pie pater Dominice, tuorum » etc., ad Magnificat in primis vesperis « Magne pater » etc., ad Benedictus in laudibus « Benedictus redemptor » etc. cum propriis lectionibus in 2. nocturno.

4. Insistentes sancto dictamini, quo tum reverendissimus bonae memoriae p. fr. Nicolaus Rodulphius tum ex eodem nuperrimum Valentinum capitulum universo ordini saluberrimum illud exercitium annuae per 10. dies instituendae recollectionis tam sollicite inculcavit, ille quidem litteris anno 1630 ad omnes provincias datis hoc tenore: Recollectionem vero decem dierum iuxta formam praescriptam in bulla Pauli quinti nostris constitutionibus recentioris editionis adiunctam cap. de indulgentiis saltem semel in anno de licentia superiorum ab unoquoque opportuno tempore captandam, utpote ad renovationem et fomentum spiritus apprime necessaria summopere commendamus, etc.; istud vero ordinatione 2. his verbis: Sanctam illam consuetudinem in aliquibus provinciis maximo cum fructu excultam satagant introducere, ut scilicet fratres aliquibus diebus se recolligant et meditationibus piis se ad perfectiorem vitae pu-

ritatem disponant. Eamdem consuetudinem toto virium impendio confirmamus, ubicumque introducta est, sicut illam in plurimis plerarumque ferme provinciarum religiosioribus utriusque sexus coenobiis inaestimabili animarum profectu et charismatum lucro iam vigere mira cum voluptate rescivimus. Ubi vero haec nondum forsitan locum invenit, accurent tam provinciarum et congregationum quam conventuum ac locorum superiores, ut uniformitatis saltim sanctaeque aemulationis studio quantocius introducatur et invalescat, nec patiantur subditos suos emolumentis ac solatiis tanti thesauri, cuius forsitan, dum ignoti minor est apud aliquos cupido, miserrime privari.

5. Recolentes iustoque animi sensu ponderantes concordem tot generalium capitulorum sollicitudinem, quà toti religioni quotidiana culparum, ut vocamus, capitula tam anxie commendarunt, ut Bisuntinum 1353, Savilianense 1439, Montispessulanum 1456, Noviomagense 1459 etc., eaque saltim ultra quindenam numquam differenda constituerunt, ut Avenionense 1470, Romanum 1501 et 1601, Venetum 1592, Valentinum 1596, Vallisoletanum 1605 ac Mediolanense 1505, cuius haec leguntur verba praegnantissima: Cum nostra religio merito et numero floruerit, quamdiu capitula quotidiana habebantur, ideo mandamus etc., ut saltim de quindena in quindenam capitulum de culpis teneant, quatenus ex frequentibus admonitionibus pravi mores extirpentur et fratres in melius reformentur. In horum conformitate statuimus et innovando confirmamus, ut, ubi studia literarum aliave evidentia impedimenta crebriorem, ut par esset, eiusmodi capitulorum celebrationem non facile permittunt, ad minus ea singulis quindenis indispensabiliter celebrentur; poenam vero suspensionis ab officio ibidem contra superiores hac in re negligentes taxatam augemus in poenam absolutionis ab officio irremissibiliter a provincialibus, quorum desuper conscientias aggravamus, infligendam; neque sat fuerit, obiter ad mensam sub fratrum refectione defectus aliquos corrigere, quem abusum magnopere detestamur ac serio inhibemus, sed peculiari signo in hunc finem convocanda est communitas ad locum idoneum, ubi commode per choros dici queant solitae orationes capitulares, fieri veniae ac prostrationes ac singulorum culpae audiri per ordinem cum impositione poenitentiae salutaris.

6. Confirmamus inchoationem quartam ultimi capituli Valentini, qua magistris novitiorum sexennio digne laudabiliterque in eo munere laborantibus prospicitur hoc tenore: Attendentes, quod in bona novitiorum educatione praecipua consistit ordinis observantia et sanctitas, et quod alia ex parte pauci inveniuntur idonei, qui praefati muneris labores libenter sustinere velint; attendentes insuper, quod qui talibus donis et prudentia sunt praediti, ut sancte iuventutem dirigere, educare et docere sciant, non

possunt non habere in agendis dexteritatem et in negotiis consilium seu in consulendo iudicium, inchoamus et ordinamus et volumus, primo quod in capitulo provinciali per diffinitorium eligantur aliqui, qui ad regimen novitiorum in tota provincia iudicati fuerint idonei ad magisterii novitiorum munus exercendum; declarantes, quod in hac electione attendere debent et eligere illos, quos maiori observantia nostrarum legum, charitate, discretione, prudentia et doctrina praeditos viderint, et quos idoneos ad negotia publica pertractanda cognoverint; volentes, quod, si possint haberi, eligantur illi, qui tam philosophicos quam theologicos in legendo cursus perfecerint, et decernentes, quod, postquam aliquis ex praedictis sic per diffinitorium approbatus per sex annos continuos integros laudabiliter functus fuerit praefato officio magistri novitiorum et per diffinitorium capituli provincialis decretum fuerit, eum laudabiliter dictum officium exercuisse, habeat vocem ad omnes electiones et actiones capitulorum provincialium, ac si esset praedicator generalis vel pater provinciae; declarantes, quod in potestate erit diffinitorii post expletum quadriennium approbare et admittere praefatos ad vocem ut supra habendam, dummodo postea sic approbatus compleat sexennium in praefato munere obeundo et non aliter nec alio modo, dum etiam tales magistri sex ad minus sub sua directione novitios habeant iuxta decretum Clementis VIII. vel quatuor in provinciis desolatis.

7. Confirmamus primam inchoationem eiusdem capituli Valentini circa fratrum clericorum sub cura magistri educationem usque ad sacerdotium, quae sic habet: Considerantes, quod in multis provinciis non parva relaxatio irrepsit, eo quod inchoatio et ordinatio facta Romae 1580 et confirmata Bononiae 1615 non fuit executioni mandata, ut scilicet novitii maneant in novitiatu usque ad sacerdotium, et non pro forma, sed in loco et in dormitorio a communi separato et clauso et sub cura non supprioris conventus, sed magistri ad hoc specialiter deputati; volentes, quod, ubi sunt novitii simplices, licet isti debeant esse ab aliis separati et separatim educati, si fieri potest, omnes tamen tam simplices quam professi sint sub cura eiusdem magistri; mandantes prioribus sub poena absolutionis ab officio, ut statim hanc ordinationem executioni mandent. Quam ordinationem observari et ubique executioni mandari volumus et statuimus et sub iisdem poenis absolutionis ab officiis conventuum superioribus mandamus.

8. Cum recursus ad favores principum, magnatum aliorumque extraneorum pro gratiis impetrandis, poenis evadendis aut superiorum praeceptis eludendis omnem monastici regiminis nervum destruant et, ut emphatice diffinivit capitulum Romanum 1589, inde religionis ruina oriatur, eiusdem status atque tranquillitas summopere perturbetur, distribu-

tivae iustitiae aditus intercludatur, ambitioni via aperiatur et demum indigni, utpote audaciores, virtute praeditis ac benemeritis, in sua se humilitate ac modestia continentibus, interdum praeferantur, ideo in tantae pestis remedium confirmamus et confirmando innovamus, quidquid praeceptorum, censurarum ac poenarum contra huiusmodi recurrentes aut adversus obedientiam ordinis favore saecularium et quorumcumque extraneorum, etiam principum, sese tuentes uspiam repetitur fulminatum a capitulis generalibus ac specialiter ab ultimo capitulo Valentino confirmatione 8.; quarum praecipuae sunt: excommunicatio latae sententiae Bononiae 1410, Friburgi 1419, Metis 1421, Barcinonae 1323, Avenione 1470, Venetiis 1437, Lugduni 1536, Romae 1589, denique Valentiae 1647, a qua nequit absolvere etiam is, qui alias generalem licentiam habet absolvendi a censuris et casibus reservatis Bononiae 1410; suspensio ab omnibus functionibus sacerdotalibus Ferrariae 1362; privatio omnium suffragiorum ordinis tam in vita quam in morte Parisiis 1269, Mediolani 1270; privatio omnium gratiarum, beneficiorum, officiorum, graduum, vocis activae et passivae, bonorumque ad usum concessorum Parisiis et Mediolani citt., Cadurci 1319, Rothomagi 1320, Romae 1501, Mediolani 1505, Venetiis 1437, Lugduni 1536; nomen infame destructoris ordinis in Montepessulano 1456; perpetua ac indispensabilis inhabilitas ad quemcumque gradum vel dignitatem ordinis Romae 1571, Barcinonae 1574, cui accessit decretum Gregorii XIII. denuntiatum Romae 1580 et 1589; poena gravioris culpae et carceris const. dist. 2. cap. 13. text. 9 inchoata in Montepessulano 1271, confirmata apud Pestum 1273 et declarata Virduni 1356, Coloniae 1301 et 1428, Lugduni 1318, Cadurci 1319, Rothomagi 1320, et iterum in Montepessulano 1350; denique contra induratos ac pertinaces maledictio omnipotentis Dei, divae virginis Mariae et s. p. n. Dominici Basileae 1473. Caveant ergo fratres a crimine, pro cuius eliminatione tot generalia ordinis capitula vident tam anxie concorditerque sudasse, ac suis deinceps consulant non tantum conscientiis ac internae saluti, sed et famae ceteraeque indemnitati.

Porro superiores quoque et praelati meminerint, prout iam pridem eos monuit capitulum Romanum 1589, se absque mortali peccato in supradictis non posse quidquam concedere ad interventum seu instantiam quarumcumque personarum extranearum, etiam cardinalatus vel regiae dignitatis honore fulgentium, maxime post mandatum in virtute sanctae obedientiae ipsis impositum a Gregorio XIII., quod a Clemente VIII. die 23. martii 1592 in constitutionem perpetuo valituram confirmatum, eodemque anno Venetiis denuntiatum, exinde a Paulo V. die 7. ianuarii 1608 roboratum fuit, ut denuntiatur Romae anno eodem et Ulyssipone 1618, quod ut accurate perpendant ac securitati suae conscientiae consulant,

admonentur Mediolani 1622, utque delinquentibus in hac materia poenas commeritas sine remissione infligant contraque transgressores servata forma iudicii per Clementem VIII. privilegiata procedant, adstringuntur citata confirmatione 8. capituli Valentini.

Rogamus autem reverendissimum magistrum ordinis, ut in exemplum ceterorum inferiorum ordinis praelatorum severissime et inflexibiliter observantiae huius apostolicae constitutionis insistat, fratres quorumcumque extraneorum interpositione apud ipsum utentes ex toto legis rigore castiget, ac provinciales aliosque superiores, quicumque ad extraneorum interventum quidquam eiuscemodi suis subditis indulserint, sine mora ac respectu officii privet.

Denique ne legis tam sanctae ac necessariae memoria obliterari aut ignorantia qualiscumque allegari queat, volumus, quod in unum collectis atque impressis omnibus, quae de hac materia vel a summis pontificibus vel a capitulis generalibus aut magistris ordinis statuta reperiuntur, eadem in omnibus nostris conventibus et religiosis communitatibus bis in anno scilicet prima hebdomada adventus et prima hebdomada post octavas Trinitatis publice coram omnibus praelegantur sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda priori vel superiori hoc negligenti. Ubi etiam inter alia cupimus illud cum primis attente notari, quod non tantum eiuscemodi favorum apud extraneos procuratio, sed et eorumdem vel sponte oblatorum acceptatio atque usus per citati Gregorii XIII. decretum a Clemente VIII. et Paulo V. confirmatum summa districtione inhibeatur.

9. Confirmamus ac serio inculcamus ea, quae in glossis const. dist. 2. cap. 1. text. 7. lit. M. ex capitulis generalibus Vallisoletano 1605, Romano 1608 et Parisiensi 1611 de regulis ac legibus communis depositi adferuntur, mandantes pp. provincialibus et prioribus sub poena privationis vocis activae et passivae ad quinquennium ipso facto incurrenda, ut eas non tantum accuratissime servent servarique faciant, verum etiam efficaciter procurent, quatenus eaedem per omnes conventus tam in camera communis depositi quam in officina procuratoris transcriptae loco conspicuo affigantur.

10. Confirmamus omnia et singula, quae de conventibus exactae observantiae per singulas provincias designandis praescribuntur tota confirmatione 10. ultimi capituli Valentini, et hortamur enixe pp. provinciales, quatenus tales conventus singulari studio accurent, sollicite foveant, crebrius in charitate visitent, eorum commodis et incrementis assidue intendant nec ullas in iis dispensationes aut relaxationes irrepere permittant.

11. Confirmamus et innovamus, quaecumque in variis capitulis ge-

neralibus de rasurae et vestitus uniformitate ac modestia sunt constituta, mandantes provincialibus et prioribus conventuum sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, ut quos invenerint comam vel barbam in labiis mentove contra const. cap. de rasura vane ac modo seculari nutrientes, vestes in materia, forma, colore, laxitate etc. contra praescriptum earumdem const. et capitulorum generalium portantes, indusiis lineis ad carnem utentes, vel si cum aliquibus titulo infirmitatis quoad hoc dispensatum fuit, eadem manifeste et cum scandalo gestantes, cappam, scapulare, tunicam ad terram usque defluam aut a cingulo deorsum patulam ac divisam deferentes, habitum ordinis palam ubique deferendum sub sago palliove seculari occultantes, interulas vestes alio quam albo colore aliave materia, quam quae Christi pauperes deceat, calceamenta, caligas, pileos, quae religiosam humilitatem et paupertatem minus sapiant nostrisque constitutionibus atque capitulis generalibus, praesertim Mediolanensi 1505, Senensi 1462 et Romano 1629 adversentur, cuiuscumque dignitatis, gradus aut conditionis ii fuerint, declarent privatos utraque voce, officiis et gradibus, ipsas vestes auferant, illosque, donec sese emendaverint, conventu egredi non sinant, prout ex nunc pro tunc eos utraque voce, officiis, gradibus ac vanis illis vestimentis privamus privatosque ad triennium declaramus, pertinaces vero damnamus ad poenas gravioris culpae et carceris; conversos denique in his delinquentes privamus ad idem tempus scapulari et caputio.

12. Ad coercendos vagos crebrosque fratrum discursus, ex quibus gravissima ordini damna et apud seculares scandala oriuntur, innovamus et confirmamus, quaecumque adversus huiuscemodi ambulones ac negotiosos errones in diversis generalibus capitulis, praesertim Romae 1601 et Vallisoleti 1605 statuta sunt, mandantes pp. provincialibus, vicariis congregationum, prioribus conventuum et aliis quibuscumque superioribus sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, ne fratres sine legitima licentia ad se declinantes alibi quam in carcere praesumant recipere, sive illi alienae sive suae provinciae fuerint, prout ordinatum fuit Romae 1580 et 1583, Venetiis 1592, longeque ante Perpiniani 1327, Claromonte 1339, Lugduni 1450; iidem porro caveant, ne suis fratribus indulgeant licentiam eundi ultra terminos ipsis superioribus gradatim per const. et capitula generalia praefinitos nisi in casu gravis necessitatis aut magnae utilitatis provinciarum, conventuum seu personarum, et tunc non sine consilio patrum et cum praescriptione certi temporis, quo emissus, rediisse teneatur, ita tamen quod priores pro negotiis privatis nequeant licentiam concedere ultra duas diaetas, excepto casu valde urgente, quando periculum foret in mora et difficilis accessus ad superiores praelatos; volumusque, quod in hoc temere excedentes irremissibiliter a suis officiis absolvantur.

13. Cum ad accuratum ordinis regimen universi status illius notitia summe requiratur, neque magister ordinis ex unica visitatione sua totum ipsius statum sufficienter in vultu pecoris sui queat agnoscere, nisi praeterea a provincialibus et primariis officialibus singularum provinciarum, congregationum et principaliorum conventuum de rebus ad eorum rationes spectantibus sincere fideliterque moneantur, ideo confirmamus ordinationem 19. ultimi capituli Valentini, qua mandatur pp. provincialibus et vicariis congregationum, ut post completam visitationem suarum provinciarum seu congregationum, si quae gravia et periculosa invenerint a tempore ultimae visitationis factae, licet correcta sint, studeant denuntiare magistro ordinis; cui etiam referre debebunt de his, quos visitarint fratribus, si in pace continui, in studio assidui, in praedicatione ferventes, quae de eis fama, quis fructus, si in victu, vestitu et aliis secundum tenorem institutionum ordo servetur. Volentes insuper, quod, si qui casus singulares occurrerint, statim de his eumdem magistrum ordinis admonere curent, ut ille possit in omnibus, quae accidunt, ea quae pro bono ordinis regimine necessaria sunt, disponere. Mandantes insuper, ut pp. provinciales et vicarii sua officia complentes relinquant novis provincialibus seu vicariis plenam notitiam status provinciarum seu congregationum suarum; quod si praestare neglexerint, moderni p. provinciales et vicarii ad id praestandum eos sua auctoritate compellant. Et praeterea ordinamus pp. provincialibus, ut acta capitulorum provincialium ad eumdem magistrum ordinis mittant, ab eodem videnda et approbanda.

14. Felicem illam ordinis nostri aetatem, qua patrum nostrorum mos erat ac studium scriptione digna proprio annisu facere quam aliena facta scribere, optantes in haec nostra tempora revocari, nec tamen illorum praeclara quae passim extant gestorum monimenta sub inertis oblivionis pulveribus interire sustinentes, confirmamus ea, quae ab ultimo capitulo Valentino ordinatione 13. salubriter praescriptae sunt de universali ordinis historia adornanda, ut vel sic maiorum nostrorum ardoribus et exemplis incalescat aevi nostri supina tepiditas et, ut efficaciora ad suadendum esse solent facta quam monita, ad imitationem rerum praeclare olim gestarum redivivis patrum ideis accendamur. Proinde mandamus omnibus provincialibus et vicariis congregationum in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, ut suae provinciae vel congregationis historiam concinnandam alicui viro docto, prudenti acrisque iudicii committant, e singulis conventibus quidquid in iis memoria dignum fuerit et ad ordinis sanctitatem dignitatemque facere potuerit, diligentia priorum ad eumdem dirigi ac transmitti atque ab ipso in corpus historiae digeri procurent. Quod antequam typis evulgent, exemplar, retento originali, ne per viam pereat, ad magistrum ordinis examinandum destinent.

15. Confirmamus statutum olim factum Valentiae 1596, quod nempe postulati ad gradus exinde nondum titulis eorumdem nominari possint nec usurpare locum tali gradui competentem, idque sub poena inhabilitatis ad eosdem gradus deinceps consequendos etc. Quod extendimus ad non legitime promotos in ordine ad quoscumque gradus lectoratus, baccalaureatus, magisterii et praedicaturae generalis, atque statuimus, quod, si quis non rite promotus titulum, vocem, locum aut privilegia illi gradui annexa sibi praemature arrogaverit, ultra inhabilitatem ad eumdem gradum privatus sit voce activa et passiva ad quinquennium. Mandantes omnibus et singulis fratribus nostris sub poena privationis utriusque vocis ipso facto incurrenda, ne hos illegitime promotos nomine praetensi gradus appellent. Quod si quempiam contingat sub quadam conditione ad aliquem gradum litteras obtinuisse, sub eadem poena mandamus, ne titulo et privilegiis illius gradus utatur, donec fuerit purgata conditio litterarum, nisi aliter speciatim et expresse in praefatis litteris contineatur. Illis vero, qui pro aliquo gradu patentes obtinuerunt vel obtinebunt, praefigimus spatium 6 mensium, intra quod teneantur subiisse consuetum examen pro tali gradu adeundo, et interim sub poenis iam taxatis caveant, ne sibi titulum aut privilegia ipsius vindicent ante approbationem. Elapso autem isto 6 mensium termino, si interea sese praedicto examini non stiterunt, nisi doceri possit de legitimo impedimento, patentes pro illo gradu sint cassae ac nullius valoris.

16. Monasteria nostra ab omni fermento vanitatis munda et expurgata volentes nihilque in ea admissum, quod humilitatem et simplicitatem religiosam non referat aut cuiusquam possit offendere aspectum, confirmamus ordinationem 8. capituli generalissimi Romani 1644, qua cavetur, ne puellae, cuiuscumque dignitatis et excellentiae sint, in monasteria nostra vel ad breve tempus admissae ullo mundo muliebri, gemmis, monilibus, annulis, inauribus praeterquam e filo aureo, vestibus tum internis tum externis pretiosis, sericeis, aureo argentove intextis, aut acu varie pictis ibidem utantur, sed omni ornatu, cultu fastuque abdicato simpliciter et modeste vestiantur laneis, lineis, gossipinis albi, nigri, violacei, cinerei coloris aut gilvi seu ferruginei. Capillos non tortos, non cincinnatos, non infra aures longius demissos aut ad mollitiem quovis modo compositos, sed levi vitta et simplici lino circa verticem reductos modeste suspendant et contineant; eamdemque modestiam in calceamentis et reliquo corporis cultu observent, quas Dei aemulatione aemulamur virgines castas exhibere Christo. Districteque mandamus priorissis, praesidentibus, matribus a consilio et sororibus quibuscumque sub poenis privationis utriusque vocis et officiorum ipso facto incurrendis, ut hanc ordinationem exacte observari et in cellis priorissae magistraeque novitiarum nec non interiori ingressu monasterii affigi curent.

Ordinationes.

1. Ad fovendam augendamque avitam, quae a sanctissimis patriarchis nostris Francisco et Dominico inter ipsa ordinum cunabula filiis utrinque inviscerata atque hactenus culta fuit, mutuae charitatis et observantiae necessitudinem ordinamus, quod festum seraphici patris nostri Francisci cum octava de memoria, quae nec in duplicibus et supra nec in octavis solemnibus possit intermitti, item festum Impressionis sacrorum stigmatum eiusdem 17. septembris, et festum seraphicae virginis sanctae Clarae ordinis minorum 12. augusti sub ritu duplicis toto ordine celebrentur; confirmantes insuper ordinationem 18. ultimi capituli Valentini, quod in omnibus tertiis feriis, quibus ex more fit officium de sanctissimo patre nostro Dominico, fiat quoque memoria in vesperis, laudibus et missa de sancto patre nostro Francisco.

2. Ordinamus, quod per totum ordinem in posterum, exceptis tamen illis conventibus ac monasteriis, quae super hoc speciale indultum habent, festum s. Hyacinthi die 16. augusti et s. Catharinae Senensis 30. aprilis celebretur cum ecclesia universali. Item quotannis feria 5. ante dominicam quinquagesimae festum desponsationis s. Catharinae Senensis celebretur sub ritu duplicis, adhibito officio festi sui principalis, secundi vero ac tertii nocturni antiphonis et responsoriis sumptis ex communi virginis non martyris; quoties tamen praedicta feria alio festo duplici aut maiori impeditur, de hoc festo s. Catharinae sola memoria fiat illo anno.

3. Cupientes mederi turbis ac scandalis, quae ex discordia ac aperta divisione vocalium in electionibus tam priorum quam provincialium oriri possunt, dum alii ab aliis in diversa loca secedunt et partes seorsim singulas moliuntur electiones, ordinamus ac statuimus, quod in casu huiusmodi secessus vel secessuum omnes illi vocales, quorum electio vel electiones invalidae aut nullae fuerint declaratae, ipso iure excidant sintque privati utraque voce, nec non inhabiles ad quaecumque officia per quinquennium; et si contigerit nullam ex omnibus electionem validam perfici, omnes pariter electores praedictas poenas incurrisse censeantur, iusque providendi pro toto illo quinquennio devolutum sit ad superiorem, prout ex nunc pro tunc ius illud devolvi et vocales praetaxatis poenis irretitos fore decernimus ac declaramus.

4. Ne in computandis dispiciendisque votis secretis fraudi ac dolo supersit locus aut suspicio, ordinamus ac serio mandamus, quod, quotiescumque aliquid per suffragia secreta tractandum occurrerit, vota a priore aut praesidente in calculis collecta ita palam effundantur coram omnibus et patenter exponantur, ut singulis vocalibus de numero et qualitate votorum constare possit; et qui in illa communitate maiores sunt, ad minus tres vel quatuor ex primis teneantur propius accedere et dictorum calculorum supputationi attente adstare.

5. Quamquam ordini nostro decora uniformitas in omnibus observantiis canonicae religionis maximopere commendetur, ea tamen hactenus in extimo habitu, praecipue vero in tanta caputiorum pro cuiusque genio diversitate minus elucescit. Proinde universis ac singulis fratribus nostris praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub praecepto formali, ne alia tam nigri quam albi caputii forma utantur, quam ea, quae in hoc capitulo praescripta fuit et approbata, nec non s. d. n. Innocentii X. apostolica benedictione insignita. Cuius tametsi complura exemplaria diversis provinciis transmissa sint, eamdem tamen, ut certius singulis innotescat ac firmius teneatur, hic etiam placuit delineare; nimirum apertura caputii circa faciem uno amplius palmo non sit facie longior, pars anterior ad pectus demissa infra sternum aut cartilaginem, quam medici vocant ensiformem, posterior a tergo infra cingulum ultra quatuor digitos non descendat, latera vero ab humeris infra medium os, quod axillae et cubito interstat, non extendantur. Porro ad hanc cuiuslibet fratris staturae proportionatam formam deinceps omnia caputia, quae noviter fiunt, conficiantur, facta vero ad eamdem intra spatium 6 mensium ab huius ordinationis et praecepti notitia corrigantur.

6. De nutu iussuque s. d. n. summa districtione praecipitur universis provincialibus atque congregationum vicariis, ut quotiescumque deinceps contigerit fratres novitios sub perfecto regularis disciplinae rigore in conventibus exactae observantiae educatos alio esse transferendos, omnino provideatur, ut sic mittantur, quatenus etiam in alio illo conventu, ad quem transeunt, eumdem prorsus vivendi modum continuent in omnibus ac per omnia, nec a primae institutionis tenore, usu et exercitiis alieno contagio ullatenus deflectant, sed potius sint seminaria, per quae ubique sensim pristina religionis observantia adolescat et propagetur.

Admonitiones.

1. Admonemus priores tam provinciales quam conventuales, ut sollicitam rationem habeant eorum, quae in nostris const. dist. 2. cap. 12. de confessoribus et praedicatoribus decernuntur, videlicet ne committant praedicationis aut confessionis officium nisi fratribus idoneis, moribus ac scientia probatis, ne horum insufficientia vergat in animarum periculum et ordinis contemptum. Unde in memoriam revocantes, innovantes et confirmantes ea, quae desuper in variis capitulis ac praecipue Romano 1589 apostolica auctoritate ad hunc effectum ordinata fuerunt, statuimus, quod nullus ad praedicandum possit exponi, nisi saltem per triennium theologiam audierit et per quinque examinatores, qui omnes ipsum concionantem audierint, quorumque duo ad minus sint magistri aut professores theologiae, per vota secreta fuerit approbatus et idoneus iudicatus. Simile prorsus examen praemittendum decernimus expositioni fratrum ad

confessiones seu secularium seu fratrum excipiendas, ita quod nemo ex nostris episcopo aut cuivis ecclesiae praelato ad concionandum, etiam in pagis ac villulis, vel ad confessiones audiendas a quocumque praesentari vel ad praedicta officia quomodolibet deputari possit, nisi prius sic in ordine examinatus fuerit et approbatus. Quicumque vero sine huiusmodi approbatione eiusque in scriptis attestatione concionari aut confessiones audire praesumpserit, per integrum triennium ad talia munia nullatenus admitti possit, et praesides hoc permittentes a suis officiis absolvantur; examinatores vero suo muneri in peragendo examine aut ferendo suffragio non satisfacientes utraque voce priventur. Volumus autem praedicta examina fieri solum, ubi vigent studia formalia aut saltem, ubi praelegitur theologia et philosophia; talesque examinatores a provinciali aut vicario generali vel diffinitorio capituli provincialis sive congregationum designentur.

2. Admonemus nostros praedicatores, ut iuxta decretum s. concilii Tridentini ses. 5. cap. 2. plebes, quibus annuntiant, pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oportet, ut poenam evadere et caelestem gloriam consequi valeant. Proinde vanae curiositatis apices, profanas novitates ac florida commenta vitantes, sectentur doctrinam utilem, solidam, gravem, apostolicam, quam et morum religiosa maturitate vitaeque exemplo comitentur, non praedicantes semetipsos, sed Iesum et hunc crucifixum. Item prout in const. nostris dist. 2. cap. 14. text. 10. cautum est, nullus praedicator aut quicumque interpres s. scripturae alium doceat aut proponat sensum literalem, nisi quem ss. patres approbant et confirmant, neque alium moralem aut allegoricum extorqueat sensum, qui in ipsa litera fundamentum non habeat.

3. Admonemus universos magistros, lectores, praedicatores, ut in arduis difficilibusque quaestionibus, quae fidei principia quomodolibet attingunt, extremitates fugiant, non declinando ad dexteram neque ad sinistram, sed illi semper adhaereant sententiae ac sensui, quem ss. patres ex instituto ac perseveranter eam difficultatem tractantes docuerunt et tenuerunt, quique conformior fuerit summorum pontificum et conciliorum determinationibus iuxta solidam et a sancta sede apostolica pluries approbatam s. Thomae doctrinam eiusque docendi modum ac phrasim. Contrarium vero, quod absit, audentes priventur omnibus officiis, gradibus, dignitatibus atque immunitatibus in ordine et ad deinceps inhabiles declarentur.

4. Admonemus pp. confessarios et lectores casuum, ut in dubiis decidendis securam angelici doctoris sententiam communemque eius scholae

doctrinam semper sectentur. Quodsi aliquando in praxi oportuerit aliorum opiniones sequi, caveant nihilominus ab illis auctoribus, qui conscientias nimium relaxant, parumque aut nihil deferunt antiquiorum theologorum et canonistarum auctoritati ac iudicio, semperque habeant suspectos novarum opinionum assectatores. In ambiguis autem casibus viros doctos ac timoratos consulant nec quibuslibet libris, ob hoc quod ab aliquot paucis doctoribus approbati sint, fidant.

5. Cum philosophicae disciplinae ancillentur theologicis gradumque sternant ad fidei nostrae dogmata explicanda atque tuenda, utique etiam in illis opinandi libertas nocet ac viam praeparat temeritati novas in theologia comminiscendi opiniones, proinde admonemus omnes artium et philosophiae lectores iuxta laudabilem totoque ordine receptam consuetudinem, caveant docere aut defendere quamcumque opinionem communi Thomistarum placito refragantem aut unius saltem gravis, ac in via d. Thomae et Aristotelis bene versati scriptoris ex ordine clara expressaque auctoritate non subnixam, mandantes generalium studiorum regentibus et lectoribus theologiae, ut invigilent, ne dicti lectores vel opiniones in schola nostra peregrinas invehant vel quaestionibus frivolis et ad sacrae theologiae divinarumque scripturarum intelligentiam minus proficuis tempus absumant iuxta constitutiones nostras dist. 2. cap. 14. text. 1. Item publicas eorum conclusiones examinent et, si opus est, corrigant; resistentes vero aut novae ut supra opinionis pruritu abductos superioribus confestim deferant a suis officiis absolvendos. Quare et iisdem praememoratis lectoribus artium ac philosophiae praecipimus, ut suas publice defendendas conclusiones toties quoties regentis seu primarii lectoris theologiae revisioni, examini et correctioni ante earum impressionem indispensabiliter exhibeant ac subiiciant eorumque, velut quibus ex officio incumbit in disputationibus publicis difficultates resolvere et explicare, censuris adquiescant, sub poena amotionis ab officio.

6. Admonemus, ut quae circa casus summo pontifici vel ordinariis reservatos in glossis nostrarum constitutionum dist. 2. cap. 12. ad textum 3. ex diversis capitulis extant, sollicite observentur, et eorumdem casuum catalogus ex tabella in sacristiis palam affixus pendeat. Item bulla Coenae Domini quotannis semel primo sabbato quadragesimae in refectorio ad mensam legatur sub poena privationis officiorum infligenda praesidentibus conventuum, si in eo negligentes extiterint.

7. Admonemus omnes ac singulos pp. vocales in capitulis generalibus deinceps comparituros, quatenus ad omnem fraudem fraudisque suspicionem amoliendam generali diffinitorio petitiones suarum provinciarum non aliter proponere audeant praeterquam ex scripto, cui singuli diffinitores capituli provincialis manibus propriis subscripserint suaque

sigilla, ut requirit capitulum generale Bononiae 1267 celebratum, vel in eorum defectu sigillum provinciae appresserint, et scriptum hoc remanebit penes p. secretarium capituli generalis una cum reliquis scripturis ex provincia ad capitulum delatis.

8. Admonemus pp. provinciales et conventuum superiores, ut quotiescumque ex praescripto capituli Vallisoletani 1605 fratribus nostris conversis providendum est de magistro, seligant ad id munus aliquem ex prudentioribus ac gravioribus patribus, qui zelum habeat charitatis, quique illos non tantum de exterioribus ordinis ritibus, caeremoniis ac penso laborum, verum etiam de interiori oeconomia spiritus, oratione mentali ac religiosae perfectionis ascensu instruat, crebras ipsorum confessiones sollicite excipiat, exercitia statui eorum congrua praescribat, recollectionis, mortificationis, resignationis ac similium piis usibus eos paterne imbuat, puritatem conscientiae, cultum interioris hominis, frequentem ac fructuosum sacramentorum aditum ipsis inculcet, saepius per mensem in capitulo seorsim culpas eorum audiat et emendet ac profestis diebus, quibus cum reliqua communitate ad matutinum de nocte non surgunt, provideat, ut una hora ante primam missam in choro conveniant ibique per medietatem horae silenter in pia meditatione perseverent, ipso magistro praesente, vel, si is impeditus fuerit, alio patre, quem prior deputaverit.

9. Admonemus pp. provinciales et congregationum vicarios, ne difficiles sint in suscipiendis ad ordinem iuvenibus nationis Anglicae, Scoticae et Hibernicae, quando idonei se obtulerint, quin potius servatis ex more servandis tales benigne in novitiatibus suarum provinciarum sive congregationum admittant ac pro suis provinciis recipiant; qui, postquam in regulari observantia et studiis scholasticis competenter profecerint, suis provinciis ad fidem propagandam remittentur.

10. Admonemus generaliter omnes et singulos religiosos nostros iisque in s. obedientiae meritum iniungimus, ne quasi re iam perfecta sinant dormitare vel elanguere industriam suam in conquirendis reliquis b. Alberti Magni operibus, quae adhuc excudenda supersunt nobisque hactenus ad integrae editionis complementum deficiunt; tametsi enim post plurimos labores ac sumptus tandem e praelo Lugdunensi b. Alberti Magni operum tomi 21 in folio cum suis indicibus emerserint, imo et ibidem praepropere, nimirum ante consummationem totius corporis vaenales prostare coeperint, invito quidem ordine, at perurgentibus bibliopolis, velut qui graves quinque annorum et amplius impensas sub hoc labore toleratas sibi diutius sine fructu iacere non patiebantur; attamen partem non exiguam constat esse residuam, quae succedaneo accessu tomis iam impressis omnino erit adiungenda, ne tam venusto corpori post tot impendia tantamque ordinis et orbis expectationem sua desit integritas.

Porro ut operum iam editorum constet ordo ac series, placuit subiicere hic praedictorum 21 tomorum catalogum: 1. tomus complectitur b. Alberti logicalia, 2. physicam, 3. de anima una cum methaphysica, 4. ethica et politica, 5. parva naturalia, 6. de animalibus, 7. expositionem psalmorum, 8. commentarium in prophetas, 9. in Matthaeum et Marcum, 10. in Lucam, 11. in Ioannem, 12. sermones, 13. explanationem librorum s. Dionysii, 14. in primum sententiarum, 15. in secundum et tertium sententiarum, 16. in quartum sententiarum, 17. est prima pars summae theologicae, 18. secunda eiusdem pars, 19. de creaturis sive de quatuor coaevis et homine, 20. commentarium super « Missus est », 21. miscellanea.

At praeter ista desiderantur quamplurima notata in indiculo nuper ex hac occasione Lugduni impresso, siquidem constat magnum hunc doctorem, qua erat vasti ingenii mira foecunditate, pluries de eadem materia libros diversos conscripsisse, et alios quidem ex sua, alios ex commentatoris veterumque fide ac mente, ut passim ipsemet praesertim in politicis Aristotelis monet, ut quando Ptolomaei, Euclidis, Alcaei, Aristotelis, Boetii, Prisciani, b. Dionysii, Petri Lombardi aliorumque opera commentariis illustravit. Sic biblia tota bis, nempe per modum postillae semel, iterumque per modum commentarii exposuit; bis in totam theologiam scholasticam, multoties de laudibus beatissimae Virginis Mariae, ter et amplius in philosophiam, bis de ethicis, politicis, anima, animalibus, metallicis, medicis, mathematicis, astrologicis, rethoricis, grammaticis, mechanicis, deque omni fere scibili copiose docteque composuit, quae pleraque etiamnum hinc inde latent in bibliothecis, nec usque modo in nostras manus lucemque protrahi potuerunt. Proinde nolentes quidquam huius thesauri per nostram aut nostrorum desidiam ecclesiae ac literariae reipublicae deesse, nec ferentes tantum opus tantis impendiis, laboribus, curis, praesertim nuper defuncti reverendissimi p. fr. Thomae Turci, gloriose inchoatum velut in medio conatu stupere imperfectum, mandamus omnibus provincialibus, congregationum vicariis, prioribus locorumque praesidentibus, ut in suis quique partibus singulas, quotquot possunt, tam secularium quam regularium bibliothecas per se vel per alios peritos sagacissime perlustrent, et quidquid b. Alberti Magni invenerint, quod eius esse constet, sitque diversum ab operibus iam impressis, illud nulli aut labori aut sumptui parcendo fideliter transcribi faciant, si vetus exemplar transmitti nequeat, et copiam per fratres aut seculares Romam ad magistrum ordinis destinent aut saltim ipsum de eo, quod repererunt, quantocius admoneant, expresso in litteris principio et fine tractatuum, ut inde, num differant a iam editis, dignosci queat. Quod si subeundis transcriptionum sumptibus impares se existimaverint, moneant,

ut indemnitati ipsorum prompta expensarum refusione per magistrum ordinis consulatur.

Commissiones.

1. Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut pro usu et uniformitate religionis faciat concinnari et imprimi caeremoniale commune ordinis, adhibitis viris rituum nostrorum peritissimis, variisque tum priscis tum modernis exemplaribus ad invicem collatis, ut demum in ordine rituale undequaque perfectum habeamus.

2. Committimus eidem, ut ex nomine totius religionis exponat s. d. n. uberrimos fructus spirituales, qui apud christifideles passim in tota iam ecclesia intra extraque Europam copiose progerminant ex devoto et salutari exercitio rosarii perpetui, ubique terrarum certatim et avidissime recepto. Proinde ad huius sanctae devotionis fomentum ac stimulum supplicet s. sanctitati, ut huic ritui benedicere eumque amplectentibus peculiares indulgentias ac favores apostolica benignitate dignetur impertiri.

3. Cum etiam ultro apud fideles variis locis invalescat salutaris devotio erga s. p. n. Dominicum, qua moti complures singulis feriis tertiis per 15 hebdomades in honorem sancti communicant vel ieiunant, committimus reverendissimo magistro ordinis, ut ad eiusdem pii exercitii incrementum pro iis, qui praedicta devotionis opera praestiterint, indulgentiam aliquam a s. sede apostolica satagat impetrare.

4. Cum solemnis celebratio festivitatis b. Alberti Magni ex concessione pontificia non tantum plusculis nostri ordinis in vasto septemtrione provinciis, sed et aliquot saecularibus ecclesiis ipsique cum primis cathedrali Ratisbonensi iampridem indulta fuerit, ac tota nostra religio dudum eiusmodi solemnitatis ampliorem extensionem sibi ardentissime suspirarit, committimus zelo et industriae reverendissimi magistri ordinis, ut a s. d. n. exoret facultatem, qua deinceps in toto ordine nostro ad diem 15. novembris praememoratum b. Alberti Magni festum quotannis liceat celebrare.

5. Committimus eidem, ut ex communi totius religionis nomine supplicet s. d. n., quatenus mandet causam canonizationis Pii V. ad finem tot christianorum votis pridem desideratum perduci.

6. Committimus eidem, ut omnem operam adhibeat opemque conquirat, quatenus ad effectum canonizationis b. Iacobi de Mevania necessarii processus instituantur, assumantur et peragantur.

Inhibemus omnibus provinciarum et congregationum superioribus, nec non capitulis eorum ac diffinitoriis, ne citra consensum expressum ac specialem magistri ordinis acceptent quamcumque spontaneam resignationem ullius gradus legitime semel collati, multo minus eum alteri

tribuant, declarantes utrumque superare ipsorum facultatem et ad solum magistrum ordinis vel capitulum generale pertinere; proinde quidquid secus attentari contigerit, irritum ac nullius roboris fore decernimus.

Mandamus omnibus pp. provincialibus et congregationum vicariis, ut omnino extirpare ac abolere satagant intolerabilem abusum, quo passim moniales occasione novi officii aut alia quacumque in immoderatas quasdam expensas se effundunt praetextu honorariae consuetudinis, se suosque gravantes supervacuo impendio.

Pro provincia Hispaniae.

1. Confirmamus peculiariter pro hac provincia omnes et singulas ordinationes a reverendissimo p. mag. fr. Thoma Turco piae memoriae post suam visitationem tum toti provinciae generatim tum singulis conventibus ac studiis in eadem salubriter praescriptas ac relictas.

2. Declaramus, statutum ultimi capituli Valentini, quo exigitur, ut qui lector biblicus instituendus fuerit, prius artium ac theologiae cursum legisse debeat, ita accipiendum esse, ut quoad praelectiones theologicas saltim triennium explevisse teneatur.

3. Quantum ad moniales conversas, quot suffragiorum calculi pro legitima earum receptione sint necessarii, remittimus provinciam istam ad generalem declarationem nonam superius hac de re universim omnibus insinuatam.

4. Instituimus ad provinciae petitionem in praedicatores generales p. fr. Antonium de la Madrid, socium reverendissimi et illustrissimi d. episcopi Cordubensis, p. fr. Antonium Alvarez et p. fr. Ioannem Lopez de Prado.

5. Item designamus ad exponendas sententias pro gradu et forma magisterii p. fr. Andream de Tetilla, priorem nostri conventus ss. Rosarii Madriti, et p. fr. Stephanum de Velasco, qualificatorem sancti officii inquisitionis, priorem conventus sanctae Crucis de Carboneras, utrumque ad titulum lectionis.

Pro provincia Tholosana.

1. Denuntiamus, negotium unionis provinciae Tholosanae cum conventibus congregationis s. Ludovici factae a bonae memoriae rev. p. fr. Thoma Turco, magistro ordinis, pendens coram ss. d. n. Innocentio X. ob appellationem a procuratoribus dictae Tholosanae provinciae antiquae interiectam, demum a sua sanctitate huic capitulo remissum et ab hoc commissum esse magistro ordinis, ut ipse definiat, sicut pro pace et bono eiusdem provinciae magis in Domino viderit expedire. Proinde mandamus universis et singulis fratribus ad hanc provinciam pertinentibus sub poenis privationis utriusque vocis, graduum, quorumcumque officiorum et inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda ipso facto incurrendis, ut

magistri ordinis futurae super hac re decisioni humiliter pareant et acquiescant.

2. Cum vicarius a rev. p. magistro generali fr. Thoma Turco super conventus antiquae portionis istius provinciae constitutus sua auctoritate male nec, ut par erat, in aedificationem, sed in destructionem usus fuerit, fratres in superiores eorumque auctoritatem vel concitarit vel concitatos non compresserit, debitam suo provinciali obedientiam et respectum nedum negaverit, verum et indigne contumelioseque cum suis tractaverit, ideo in poenam et ad similes ex dicti officii occasione faciles excessus atque defectus praevertendos, inhaerentes decreto postremi capituli Valentini, quo relinquitur arbitrio magistri ordinis moderari conditiones praetactae unionis quantum ad auctoritatem et retentionem vicarii conventuum, qui non sunt deputati pro strictiori observantia, praememoratum vicarii officium supprimimus et abolemus, omnesque conventus tam antiquos quam modernos huius provinciae aequaliter et immediate subiicimus admodum rev. p. provinciali Tholosano pro tempore, declarantes, ipsum promiscue ac sine discrimine in hos omnes et singulos illam habere auctoritatem, quam ceteri provinciales de iure in suarum provinciarum conventus habere solent ac debent, ita tamen ut liceat p. provinciali aliquem praedictis antiquae portionis Tholosanae conventibus vicarium quasi nationalem ea, qua vicarii nationales in ordine frui solent, auctoritate instructum praeficere, si ita sibi videbitur in Domino expedire.

3. Quia a sex et amplius annis conventus antiquae portionis non fuerunt visitati, iniungimus admodum rev. p. provinciali pro tempore, ut eos quantocius visitet, priores aliosque officiales secundum rei exigentiam confirmet, absolvat, instituat aliaque omnia peragat, quae pro bono communi et observantiae regularis incremento facienda iudicaverit; ad quem finem etiam hisce conceditur eidem, quoad opus habuerit, ipsa auctoritas magistri ordinis durante visitatione.

4. Declaramus atque decernimus, conventus Brivensem et Appamiensem unitos et aggregatos conventibus regulari observantiae deputatis iuxta commissiones a magistris ordinis ad hunc effectum datas, eosque, quoad opus est, de novo praedictis conventibus unimus et aggregamus. Similiter conventum Bagnarianum, a rev. p. fr. Thoma Turco observantiae deputatum, sub regulari observantia reponi et conventibus observantibus aggregari atque a patribus observantiae gubernari districte mandamus ac praecipimus sub poenis gravioris culpae ipso facto per renitentes incurrendis.

Pro provincia Franciae.

1. In hac provincia nullus, nisi de facto constiterit eum attigisse ae-

tatis annum trigesimum primum et professionis tertium decimum, institui possit praedicator generalis nec donari titulo magistri in theologia, nisi per quatuor annos theologicos actus pro forma et gradu magisterii exercuerit iuxta constitutiones nostras fueritque a provinciali et diffinitoribus capituli provincialis et patribus provinciae secundum ordinationem capituli Romani 1629 de consensu patrum sui nativi conventus postulatus, literis quoque ac moribus idoneis ornatus; quod si secus factum fuerit, nullo iure gaudeat.

2. Cum prorogationes priorum in officiis raro nec nisi in evidens conventuum bonum atque augmentum concessas velimus, ideo revocamus omnes priorum continuationes, quos de facto constat instaurationi spirituali ac temporali conventuum, quibus praesunt, hactenus non intendisse, mandantes, quod ad alios conventus transferantur.

3. Statuimus, quod pp. a consiliis vocati in consilium, si venire recusent, suspensionem a consilio per sex menses incurrant toties quoties, nisi constiterit de legitimo impedimento; quod si pertinaces fuerint, suspendantur omnino et aliis insuper poenis afficiantur.

4. Lectio casuum conscientiae habeatur in omnibus conventibus, ubi fuerit sufficiens fratrum numerus.

5. Ordinamus, quod in conventibus, ubi novitii recipiuntur ad probationem, vigeat exacte regularis observantia, ac novitii sub speciali magistro, notae probitatis et prudentiae viro, instituantur in rigida ordinis disciplina; secus declaramus eorum receptionem ad habitum et professionem nullam iuxta decretum fel. rec. Urbani VIII. ad instantiam regis christianissimi emanatum.

6. Approbamus et confirmamus nominationem baccalaureorum factam in ultimo capitulo Xantonensi, nempe rev. p. fr. Claudii Lyonard pro facultate Rhemensi, rev. p. fr. Dominici de Vignes pro facultate Pictaviensi, rev. p. fr. Dominici de Han pro facultate Andegavensi, rev. p. fr. Ludovici Oriard pro facultate Bituricensi, et rev. p. fr. Thomae Renaud pro facultate Cadomensi, servatis servandis.

7. Concedimus rr. pp. fr. Ioanni Londan licentiato in facultate Parisiensi et fr. N. Guiniot licentiato in facultate Rhemensi, ut possint recipere gradum doctoratus vel in sua facultate vel ab admodum rev. p. magistro provinciali Franciae.

8. Item concedimus, quod rev. p. fr. Remigius Bresson conventus Fontiniacensis in Rhemensi facultate baccalaureus, exatlantis suis theologicis actibus, possit magisterii lauream suscipere.

9. Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Dominicum de Quiquean baccalaureum Parisiensem, fr. Petrum Auvray priorem conventus Constantiensis, fr. Antonium Neron priorem conventus Pontensis, et fr. Ray-

mundum Coffois baccalaureum Parisiensem; damusque admodum rev. p. magistro provinciali Franciae auctoritatem conferendi ipsis insignia doctoratus post rigorosum examen per quinque magistros, ab ipsomet p. provinciali deputandos.

10. Approbamus magisterium rev. p. fr. Nicolai de Febvre conventus Carnotensis, prioris Rupellae atque in hoc capitulo diffinitoris Franciae, iampridem obtentum; item magisterium rev. p. fr. Petri Desmithelae in facultate Cadomensi, et confirmamus omnia, quae concessa et decreta fuerunt in favorem ipsius tam a capitulis provincialibus quam a reverendissimis bonae memoriae ordinis magistris fr. Nicolao Rodulfio et fr. Thoma Turco; similiter magisterium rev. p. fr. Petri Grandjean in facultate Parisiensi, illaque cum omnibus gratiis, privilegiis etc. confirmamus.

11. Approbamus insuper magisteria rr. pp. fr. Alberti de Loncin (1), fr. Ludovici de Vilger, fr. Laurentii Ianson, fr. Clementis Ioullin, fr. Edmundi Demays in facultate Parisien.; fr. Petri Barrau et fr. Roberti Guibourg conventus Carnoten., fr. Petri Moulin, fr. Iuliani Blanche et fr. Iusti Laubivivide in facultate Pictavien., fr. Matthaei Dufossé, fr. Francisci Sale, fr. Edmundi Lecourt, fr. Vincentii Monfort, fr. Francisci l'Estoffé et fr. Bernardi d'Ertwecht, modo habeant requisita ut supra.

12. Ad stabiliendam perpetuis futuris temporibus pacem et charitatem inter magistros in theologia huius provinciae, nec non devitandos processus, componendas reclamationes et praecavenda deinceps scandala, quae nimis frequenter oriuntur circa ordinem et loca ipsorum, dicimus, declaramus et diffinitive pronuntiamus debere intelligi ad litteram verba, quae habentur in constitutionibus nostris dist. 2. cap. 8. in glossa, videlicet quod magistri, qui fuerint laureati via iuridica in ordine nostro, praecedant prius professos, laureatos tamen postea, ita ut non habeatur respectus ad antiquitatem professionis, sed ad gradum primo iuridice obtentum. Neque praevaleat instantia eorum, qui exponunt, se principium seu tentativam Parisiis iam sustinuisse, nisi ibidem reliquos etiam actus peregerint et fuerint laureati tempore praefixo suae licentiae. Quae omnia intelligimus tam de magistris iam laureatis quam laureandis in posterum, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

13. Transferimus rr. pp. fr. Renatum Rivere, fr. Claudium Lyonard et fr. Nicolaum Bacovel a congregatione s. Ludovici et a suo originali conventu Parisiensi s. Mariae Annuntiatae ad provinciam Franciae ipsosque affiliamus ex nunc dictae provinciae pro conventu, in quo benigne per

---

(1) De fr. Alberto de Loncin cf. SSOP. II, 642.

vota suscepti fuerint, supplendo consensum filiorum conventus, a quo transfiliantur.

14. Item concedimus, quod pp. fr. Nicolaus Guerin et fr. Michael Hervin conventus Carnotensis transfilientur ad quemcumque alium con-
5 ventum eiusdem provinciae cum iisdem gratiis.

15. Confirmamus indultam per reverendissimum p. magistrum generalem Turcum rev. p. fr. Richardo Gaultier affiliationem pro conventu Bituricensi, acceptatam a patribus dicti conventus, nec non rev. p. fr. Dominici Trolbert pro conventu Burgensi in Bressia, admodum rev. p. ma-
10 gistri fr. Petri Iarami pro conventu Gratianopolitano et admodum rev. p. fr. Petri Granian pro conventu Matisconensi.

16. Transferimus rev. p. fr. Claudium Bogrand a suo nativo Burgensi conventu in Bressia ipsumque affiliamus conventui Pictaviensi, supplendo consensum filiorum conventus, a quo recedit, dummodo adfuerit
15 consensus maioris partis filiorum conventus Pictaviensis.

17. Approbamus et confirmamus acceptationem vicariatus Hamsmurani pro conventu Leodiensi, factam in capitulo provinciali Xantonensi 1649, curamque illius strictissime commendamus rev. p. priori dicti conventus pro tempore; insuper nolumus in posterum iuvenes illius mitti
20 ad studium philosophiae, nisi prius in dicto vicariatu per duos annos, si opus fuerit, humaniores litteras docuerint.

18. Confirmamus ordinationes ab admodum rev. p. fr. Ioanne Bodin vicario provincialis 18. septembris 1649 factas pro conventu nostro Carnotensi et in eodem 14. octobris eiusdem anni acceptatas.

25 **Pro provincia utriusque Lombardiae.**

1. Acceptamus, salvis provinciae iuribus, magisteria admodum rr. pp. fr. Vincentii Mariae Rivalii a Bononia (1), fr. Francisci Mariae de Blanchis inquisitoris Taurini, fr. Thomae Mariae de Caramania inquisitoris Salutiarum, fr. Petri M. Zanardi de Urgnano inquisitoris Mutinae, fr. Michaelis
30 Angeli Cati de Mutina inquisitoris Arimin., fr. Ioannis Baptistae de Blanchis inquisitoris Firmi, fr. Ambrosii Fracassini inquisitoris Vincentiae, fr. Dominici de Prato Albini, fr. Thomae Mariae Corbelli de Fano, fr. Alexandri Lambrugi de Mediolano.

2. Promovemus ad gradum magisterii, salvis item provinciae iuribus
35 praemissoque examine etc., rr. pp. fr. Thomam Puteobonellum, fr. Ioannem Franciscum de Mantua, fr. Archangelum de Casali, fr. Eustachium de Vincentia, fr. Franciscum de Forolivio, fr. Sanctem a Bononia, fr. Thomam Salvonum ab Aesio, fr. Virginium Catum a Mutina, fr. Iulium Mer-

---

(1) De fr. Vincentio Maria Rivalio cf. SSOP. II, 630.

cori (1), fr. Pium Gamundum de Bosco, fr. Iacobum Philippum Polinum (2), fr. Vincentium de Wada, fr. Sixtum de Bononia, fr. Vincentium de Picileone, fr. Ioannem Mariam de Morbinio, fr. Ioannem Michaelem a Ferraria inquisitorem Veronae, fr. Agapitum Ugonum de Brixia (3), fr. Thomam Michaelem Carbonum de Viglevano, fr. Dominicum Mariam a Finario, fr. Thomam Vailati a Soresina, fr. Eymericum a Placentia, fr. Thomam a Forolivio.

Pro provincia Romana.

1. Approbamus transfiliationes rr. pp. fr. Thomae Fevarini a provincia Aprutina ad conventum s. Agnetis de Monte Politiano et p. lectoris fr. Gasparis Zypaei, confessarii nationis Germanicae, a provincia Germaniae inferioris ad conventum s. Dominici de Senis.

2. Concedimus sororibus nostris s. Catharinae de Urbe, quatenus die 18. iulii sub ritu totius duplicis quotannis celebrent festum s. Constantiae Martyris, cuius venerandum corpus in ipsarum ecclesia asservatur.

3. Damus in regentem generalis studii nostri Perusini admodum rev. p. magistrum fr. Ambrosium Bandini.

4. Ordinamus, quod lectores casuum conscientiae, nisi ad minimum semel in hebdomada toto illo tempore, quo exercitia scholastica haberi solent, lectiones habeant, nullis privilegiis aut exemptionibus gaudeant, imo lectura casuum priventur. Item quod lectores ad minus ter in hebdomada circulos habeant et circulus sabbatinus nullatenus omittatur.

5. Revocamus in memoriam et, quoad opus est, renovamus statutum generale nostrarum constitutionum, quo decernitur, ne per annum in priores eligi possint, qui magisterium novitiorum recusaverint acceptare, magistris in theologia, lectoribus actualibus et patribus provinciae dumtaxat exceptis.

6. Prohibemus severissime, ne fratres nostri discurrant soli per civitates sive terras, inculcantes omnibus observantiam decreti a fel. rec. Clemente VIII. hac de re emanati, cuius hic est tenor: Nullus e conventu egredi audeat nisi ex causa et cum socio licentiaque, singulis vicibus impetrata ac benedictione accepta a priore, qui non aliter eam concedat nisi causa probata, sociumque exituro adiungat non petentis rogatu, sed arbitrio suo neque eumdem saepius. Licentiae vero generales exeundi nulli omnino concedantur; contravenientes autem poena gravi, etiam carceris ad superioris arbitrium plectantur.

---

(1) De fr. Iulio Mercori cf. l. c. pag. 629.
(2) De fr. Iacobo Philippo Polino cf. l. c. pag. 608.
(3) De fr. Agapito Ugono cf. l. c. pag. 642.

7. Ordinamus, quod fratres iuvenes non permittantur egredi a conventibus nisi cum aliquo ex patribus a consilio, habita etiam a prioribus consideratione, cuius prudentiae et bonitatis sint illi patres, cum quibus emittuntur foras.

8. Promovemus ad gradum magisterii, salvis provinciae iuribus praemissoque examine etc., rr. pp. fr. Petrum Martyrem Orsucci, fr. Dominicum Manetti, fr. Franciscum Ugolini, fr. Vincentium Fani (1), fr. Dominicum Tiburtii, fr. Ioannem Baptistam Parigi, fr. Gregorium Spennati, fr. Ioannem Franciscum Tempi, fr. Dominicum Amadori, fr. Antoninum Guidotti, fr. Thomam Mariam Lorini, fr. Carolum Bordesiera, fr. Nicolaum de Nobilibus regentem Graecensem.

9. Approbamus magisterium admodum rev. p. fr. Pauli Burghesii, prioris s. Mariae Novellae de Florentia.

Pro provincia Regni.

1. Ordinamus, quod in studio generali s. Dominici de Neapoli admodum rev. p. provincialis et p. prior s. Dominici sint simul examinatores studentium formalium, non solum tunc cum recipiuntur, verum etiam in alio quocumque annuali examine, quidquid aliter circa hoc dispositum videatur in capitulo Romano 1644 ordinatione sexta.

2. Confirmamus ordinationem capituli Romani 1629, qua statuitur, quod priores tum conventuales tum provinciales in suorum officiorum termino rationem reddant sui regiminis, videlicet provinciales diffinitoribus capituli provincialis iuxta seriem nostrarum constitutionum, priores autem conventuales patribus a consilio, ita nimirum ut ex horum numero per suffragia tres deputentur, quibus prior et officiales suae administrationis rationem reddere teneantur.

3. Ordinamus, quod infra triennium studentatus formalis non nisi ex urgentissima causa dispensationes studentium a p. provinciali aut aliis petantur, neque studentes in nostro generali studio s. Dominici numerum duodenarium excedant; quibus tamen pro quolibet expleto triennio possit p. provincialis addere unum iuxta sancita in aliis capitulis generalibus; extra vero praedictum sancti Dominici generale studium nemini deputetur conventus intra hanc provinciam pro studio formali.

4. Inhaerentes decretis capituli Romani 1629 admonemus et in virtute spiritus sancti ac s. obedientiae sub formali praecepto mandamus provincialibus, vicariis, diffinitoribus, magistris et patribus provinciae, quatenus petitiones provinciae quoad gradus et provisiones studiorum fiant solum in capitulo provinciali ab admodum rev. p. provinciali seu vicario una cum diffinitoribus, magistris et patribus provinciae, in diffini-

(1) De fr. Vincentio Fani cf. l. c. pag. 638.

torio simul congregatis, ac per vota secreta, non vero extra diffinitorium divisim aut privatim. Huiusmodi vero petitiones non sigillatim, sed collectim omnes fiant in uno folio et subscribantur per dictos admodum rev. p. provincialem vel vicarium et pp. magistros nec non patres provinciae, quorum conscientias oneramus, si indignos aut requisita non habentes postulent aut exponant.

5. Ordinamus, quod in omnibus conventibus extra Neapolim sitis priores atque vicarii eodem prorsus modo inque eadem quantitate ac pretio dent suis religiosis vestiarium, sicut datur in conventibus s. Dominici et s. Petri Martyris intra Neapolim constitutis; si secus fecerint, in poenam ab admodum rev. p. provinciali tam priores quam vicarii absolvantur adque huiusmodi officia per biennium inhabiles declarentur.

6. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. baccalaureos fr. Gregorium de s. Marco, fr. Donatum della Tripalda, fr. Dominicum de Nuceria, fr. Seraphinum Ianuarium de Neapoli, fr. Seraphinum de Abriola, fr. Innocentium de Cervinara, fr. Ioannem Baptistam de Caieta, fr. Ignatium Genusium de Pede Montis (1), fr. Antonium de Aversa, fr. Ludovicum de Gratia de Neapoli (2).

7. Promovemus ad gradum baccalaureatus pp. lectores fr. Gabrielem Ansalone de Neapoli, fr. Iulium de Caserta, fr. Thomam de Caserta, fr. Dominicum Tolva, fr. Cyprianum de Neapoli, fr. Hyacinthum Centora, fr. Franciscum de Neapoli, fr. Seraphinum de Caserta, fr. Petrum Martyrem de Neapoli, fr. Dominicum Coppola, fr. Petrum de Caserta, fr. Aegidium de Neapoli, fr. Andream Cacace de Neapoli, fr. Thomam de Capua, fr. Ioseph de Balneolo, fr. Dominicum de Balneolo, fr. Marcum de Ariano, fr. Petrum de Tripalda, fr. Gregorium Laiada de Neapoli.

8. Instituimus praedicatores generales pp. lectores fr. Thomam de Caserta pro conventu sancti Dominici de Sessa, fr. Andream de Caieta pro conventu sancti Dominici Caietae, fr. Hieronymum de Aversa pro conventu sancti Ludovici Aversae, fr. Bartholomaeum della Polla pro conventu sanctae Brigittae, fr. Petrum de Iuliano pro conventu Annuntiatae de Optato, fr. Ianuarium de Neapoli pro conventu s. Vincentii Surrentino.

9. Confirmamus omnes et singulas ordinationes, concessiones, indulta, gratias, exemptiones, privilegia et quidquid horum ad bonum observantiae statum a reverendissimis magistris ordinis p. fr. Nicolao Rodulfio et p. fr. Thoma Turco bonae memoriae unquam datum fuit congregationi nostrae s. Marci provinciae Regni.

---

(1) De fr. Ignatio Genusio de Pede Montis cf. SSOP. II, 579.
(2) De fr. Ludovico de Gratia cf. l. c. pag. 635.

Pro provincia Teutoniae.

1. Cum in hac provincia officium provincialatus duret per quadriennium, volumus iuxta ordinationem capituli Romani 1629 celebrari in ea congregationem intermediam, in qua fieri possit scrutinium super retentione vel amotione provincialis, eaque tractari, quae ad commune provinciae bonum et quietem spectant.

2. Ordinamus, neminem, quam maxime in officio constitutum, peregrinationis vel quocumque alio quaesito titulo provinciam egredi posse, tametsi a nostro reverendissimo p. magistro generali licentiam obtinuerit, nisi p. provincialem ante discessum de obtenta licentia monuerit, idque sub revocatione et nullitate datae licentiae statuimus.

3. Confirmamus facultatem p. provinciali huius provinciae Venetiis anno 1592 concessam, qua potest fratribus suis dare licentiam suscipiendi gradus baccalaureatus et doctoratus in universitate Viennensi ad obtinendas cathedras in dicta universitate, ita tamen ut tales exinde non habeantur pro graduatis in ordine.

4. Confirmamus id, quod circa numerum magistrorum, praesentatorum et praedicatorum generalium a reverendissimo p. fr. Thoma Turco statutum fuit.

5. Residentiam nostram Monasteriensem in Westphalia a capitulo generalissimo Romano 1644 acceptatam erigimus in conventum cum omnibus iuribus et gratiis conventuum, eique pro hac vice praeficimus priorem rev. p. fr. Martinum Wigandi, praedicatorem generalem, hactenus ibi vicarium.

6. Ad instantias tum conventus nostri Viennensis tum vicariatus Rezensis in Austria eumdem vicariatum a conventu Viennensi separamus eique restituimus prioralia et conventuum iura, et pro hac vice instituimus ibidem priorem rev. p. fr. Albertum Sollinger.

7. Duos conventus sororum extra moenia civitatis Friburgensis in Brisgovia ob bellicos tumultus Germaniae funditus eversos cum omnibus suis pertinentiis et oneribus unimus et incorporamus, uti ad nostram ratificationem modernus p. provincialis iam univit et incorporavit, aliis duobus monasteriis in altero eiusdem civitatis suburbio, videlicet monasterium s. Agnetis monasterio nostro Adelhusano, et alterum s. Mariae Magdalenae monasterio s. Catharinae virginis et martyris.

8. Declaramus triennium prioratus tam in coenobiis sororum quam fratrum inchoari a die acceptatae confirmationis vel institutionis.

9. Declaramus sub nomine conventuum, qui in hac provincia per ultimum capitulum Valentinum ordinatione prima de matutino media nocte persolvendo excipiuntur, illos dumtaxat conventus esse intelligendos, qui duodenarium numerum fratrum ad chorum obligatorum non sustentant

nec sustentare possunt; item quibus intra civitates haereticas media nocte campanam pulsare non conceditur; teneantur tamen hi omnes etiam per hiemem celebrare matutinum hora quarta mane.

10. Declaramus pro observantia ordinationis sextae eiusdem capituli Valentini in hac provincia sat esse, quod examen recipiendorum priori et consilio patrum ab examinatoribus referatur.

11. Declaramus nostri huius capituli generalis diffinitorem admodum rev. p. fr. Antoninum Bentheim, in provincia Bohemiae pridem gradu magisterii donatum et pro hac Teutoniae provincia in ultimo capitulo Landishutano ad id dignitatis expositum, iam iam magistrum esse et ex nunc privilegiis ac praerogativis magisterii gaudere posse.

12. Ad eumdem magisterii gradum pro locis actu vacantibus promovemus rr. pp. praesentatos fr. Reinerum Pistorium regentem Viennensem, fr. Iacobum Vianden et fr. Rudolphum Roelen, tametsi hi duo lauream doctoratus in universitate Coloniensi nondum reipsa susceperint. His adiungitur p. fr. Dominicus Hohenhauser, praesentatus ac socius provincialis Teutoniae, p. fr. Ioannes Fransens, praesentatus et professor Viennensis, p. lector fr. Seraphinus Canus studii Viennensis baccalaureus.

13. Ad gradum praesentaturae in s. theologia pro locis actu vacantibus promovemus iuxta petitiones provinciae rr. pp. fr. Iacobum Schwalbach priorem Luxemburgensem, fr. Reinerum Deuster priorem et theologiae professorem Osnabrugensem, fr. Antoninum Cloes lectorem theologiae Aquisgrani, fr. Ambrosium Forbesium baccalaureum Bolsanensem et fr. Dominicum Aurnhamer lectorem theologiae Constantiae. His adiungitur p. fr. Philippus Rambusch prior Francofurtensis et p. fr. Reginaldus Welti prior Bolsanensis.

14. Instituimus pro locis actu vacantibus secundum petitiones capitulorum provincialium in praedicatores generales rr. pp. fr. Michaelem Cress, fr. Ioannem Tepperum priorem Tremoniensem, fr. Georgium Schalger, fr. Guilielmum Braun, fr. Petrum Fabri, fr. Ioannem Brachel, fr. Albertum Sollinger priorem Rezensem, fr. Ambrosium Engelman priorem Crembsensem et fr. Eustachium de Rosario priorem Styrensem.

15. Denique conventui Constantiensi affiliamus fr. Felicem Heppeler conversum.

Pro provincia Poloniae.

1. Ordinamus ad instantiam Provinciae, quod deinceps capitulum provinciale pro maiori tum patrum conscriptorum tum coenobiorum commoditate celebretur dumtaxat in grandioribus conventibus, videlicet Cracoviensi, Posnaniensi, Lublinensi, Premisliensi, Varsaviensi, Gedanensi, Luceoriensi.

2. Confirmamus designationem limitum inter provincias Poloniae,

Russiae et Lithuaniae inchoatam per capitulum generalissimum Romae 1644 et stabilitam in ultimo Valentino 1647 cum omnibus punctis et clausulis ibidem expressis.

3. Confirmamus privilegium huic provinciae a reverendissimo p. fr. Thoma Turco quondam concessum, nempe quod professoribus, qui in nostris studiis Premisliensi, Varsaviensi vel Gedanensi per biennium fructuose et laudabiliter speculativam theologiam praelegerint cum disputationibus et publicis actibus scholasticis, dicta lectio valeat ac suffragetur, ac si magisterio studentium in generali studio Cracoviensi fuissent perfuncti.

4. Damus in regentem eiusdem generalis studii rev. p. magistrum fr. Thaddaeum Slewic et in baccalaureum p. fr. Hyacinthum Wlosinowski s. theol. praesentatum.

5. Quoad ea omnia, quae in conventibus per fabas vel calculos secretos tractanda occurrunt, praecipue in receptione iuvenum ad habitum vel professionem et in creatione syndici, specialiter huic provinciae iniungimus, ut omni alio abusu remoto conformet se ubique nostrae ordinationi quartae superius praescriptae.

6. Renovamus et confirmamus ordinationem capituli Romani 1629 de reexaminandis in generali studio Cracoviensi lectoribus, qui pro illo gradu in quacumque alia provincia vel exotico studio fuere examinati et approbati, nec non dispositionem et praeceptum super eadem re emanatum a reverendissimo p. fr. Thoma Turco per litteras peculiares ad moderatores studii Cracoviensis Romae 7. iunii 1644 datas, quibus etiam studentes fundationis Bzovianae expresse comprehenduntur solique eximuntur illi, qui coram ipsomet generali ordinis magistro examinati fuerint et approbati.

7. Approbamus factam in capitulo provinciali acceptationem magisteriorum rr. pp. fr. Arnulphi Praezyna, fr. Matthaei Borovitii, fr. Dominici Krasuski, nec non affiliationem p. fr. Fabiani Myslimski ad conventum Dersoviensem.

8. Promovemus ad gradum magisterii pro rata provinciae in loco nunc actualiter vacante rev. p. baccalaureum fr. Sebastianum Sremensem.

9. Promovemus ad gradum magisterii iuxta petitionem capituli provincialis Plocensis pro rata conventus Cracoviensis rev. p. baccalaureum fr. Ludovicum Agnellium, et ad gradum baccalaureatus pro eadem rata rr. pp. lectores fr. Ceslaum Laniciensem et fr. Ioannem Vaxman.

10. Pro rata provinciae ad gradum magisterii rev. p. fr. Gabrielem Franco baccalaureum.

11. Ad gradum vero baccalaureatus pp. lectores fr. Michaelem Kunczewiecz, fr. Antoninum Wlosinowski, fr. Basilium Kamienieski, fr. Innocentium Hanman, fr. Felicem Znenensem.

12. Ad petitionem vero ultimi capituli provincialis promovemus ad gradum magisterii pro rata conventus Cracoviensis rr. pp. baccalaureos fr. Praeclaum Niewiarowski priorem Cracoviensem, vicarium contratae Minoris Poloniae, et fr. Carolum Kuropatwa priorem Opaviensem.

13. Ad gradum baccalaureatus pro eadem rata rr. pp. lectores fr. Ioannem Lanckoronski, fr. Casimirum Lasocki, fr. Matthaeum Malchrowic, fr. Adrianum Zagrobski et fr. Athanasium Gluski.

14. Pro rata provinciae ad gradum magisterii rr. pp. baccalaureos fr. Modestum Piertak, fr. Ioannem Kozieki et fr. Hyacinthum Wlosinowski. Ad gradum baccalaureatus pp. lectores fr. Hyacinthum Chemski, fr. Hyacinthum Winogroch, fr. Florentium Masomizki, fr. Erasmum Busko, fr. Dominicum Kociekowski, fr. Augustinum Siestrzenski et fr. Ioannem Candidum.

Pro provincia Graeciae.

1. Concedimus p. provinciali huius provinciae pro tempore, ut ipse conventui nostro s. Pauli de Candia provideat ac praeficiat superiorem iuxta tenorem instrumenti formati desuper ab illustrissimo domino quondam Ranier Dandalo anno 1625 die 9. martii, talisque superior iuxta receptum morem per biennium in officio perdurabit.

2. Ordinamus et ex nunc decernimus, quod, quando afflictum Candiae regnum Deo miserante tranquillitatem recuperaverit, omnes eo spectantes fratres, quicumque nunc extra morantur in dispersione, quantocius illuc revertantur, illis dumtaxat exceptis, qui studiorum causa inde absunt.

3. Si contigerit ob legitima impedimenta non posse statuto tempore eligi in hac provincia diffinitorem pro futuro capitulo generali, damus ex nunc pro tunc de gratia speciali in diffinitorem rev. p. fr. Marcum Salomonium, praedicatorem generalem.

4. Quando divina favente gratia regnum Candiae a praesenti clade et calamitate respiraverit, rogamus ex nunc reverendissimum magistrum ordinis, ut quantocius illuc aliquot religione et literis insignes lectores destinare velit, qui provinciae diligenter ac fructuose inserviant, et post laborum suorum quadriennium pro laurea magisterii exponantur et admittantur.

5. Promovemus ad gradum magisterii, salvis tamen provinciae suae iuribus, rev. p. baccalaureum fr. Ioannem Mariam Rabachi, dummodo re ipsa provinciam adeat eique actu inserviat.

6. Promovemus ex nunc, salvis iisdem provinciae iuribus, ad gradum magisterii pro sua provincia rev. p. lectorem fr. Raphaelem Laganam, supposita petitione suae provinciae et unico anno magisterii studentium, interim vero, donec vacarit aliquis magisterii locus, gaudeat privilegiis et gratiis baccalaureorum.

Pro provincia Aragoniae.

1. Ordinamus ad evitandas fraudes ac moras, quod examinatores vocalium pro electione prioris provincialis designentur ac nominentur per vota publica a pp. magistris secundum ordinem graduum antiquioribus aliisque patribus provinciae, et hoc fiat feria quinta ante dominicam « Deus qui errantibus ».

2. Tametsi in capitulo generalissimo Romae 1644 ordinatione 2. speciali pro hac provincia priores de facto non alentes duodenarium numerum fratrum excludantur a ferendo suffragio in capitulo provinciali, hoc tamen declaramus esse limitandum per aliam eiusdem capituli declarationem communem num. 3., quae sic habet: Declaramus, quod priores conventuales, quorum coenobia olim competentem numerum fratrum alere consueverunt, nunc vero ob vastationes bellorum, fabricas, contagium aut aliud quodvis impedimentum absque sua culpa dictos 12 fratres sustentare non possunt, nihilominus manere debeant in antiqua sua possessione suffragii pro capitulo provinciali ac in ipso tamquam legitimi vocales admittendi sunt de iure, dummodo ad minus sex fratres alant, qui sint capitulares iuxta decretum alias a s. congregatione regularium emanatum.

3. Volumus ac peculiariter mandamus observari in hac provincia ordinationem 15. capituli Romani 1629, Valentiae 1647 pro toto ordine confirmatam, qua statuitur, quod praedicator generalis manens extra conventum illum, pro quo fuit institutus, nequaquam gaudeat voce activa, nisi forte a superioribus alio assignaretur vel occuparetur in officio prioris, supprioris, vicarii alicuius domus, magistri novitiorum, syndici, confessarii monialium vel lectoris aut praedicatoris actu legentis sive praedicantis, non obstante quoad hoc citati capituli generalissimi ordinatione 2. speciali pro hac provincia.

4. Inhaerentes dispositioni capituli Romani 1629, qua universaliter admonentur priores provinciales, ne in postremo sui officii anno, praecipue infra tres ultimos menses sui regiminis absque urgentissima necessitate absolvant priores a suis officiis, praeterquam in casibus per sacras constitutiones expressis, ideo ad praevertendas lites instante novi provincialis electione decernimus et declaramus, nullum priorem conventualem esse privandum voce activa in quacumque futura electione provincialis, nisi ante 3 menses futurae electionis per priorem provincialem de consilio ad minus quatuor graviorum patrum per sententiam privetur voce, exceptis casibus per constitutiones expressis.

5. Ordinamus et districte inhibemus, ne in conventu nostro Caesaraugustano s. Ildephonsi ullus graduatus assignetur, qui non sit filius dicti conventus, et ex nunc revocamus assignationes cuicumque quovis titulo aut occasione aliter datas et sic assignatos removemus a praenominato

conventu s. Ildephonsi, assignantes eos suis conventibus originalibus, vel ubi placuerit admodum rev. p. provinciali.

6. Concedimus etiam conventibus et monasteriis nostris intra muros civitatis Valentiae, quod cum praecipuo nostro conventu praedicatorum ibidem se conforment tum in officio de sancto Vincentio Ferrerio singulis feriis secundis non impeditis tum in aliis peculiaribus festivitatibus dicti conventus principalioris.

7. Revocamus ob causas nobis bene visas ordinationem capituli generalissimi Romani 1644, qua statuebatur, conventus regni Maioricarum visitandos fore deinceps ab ipsomet p. provinciali personaliter vel per aliquem patrem ex iisdem insulis; porro id totum relinquimus, uti antea, prudentiae et arbitrio provincialis, ut vel per seipsum illic visitet, si potest, vel impeditus alium quemcumque idoneum visitatorem destinet.

8. Ut certus aliquis et constans modus eligendi cathedraticos in universitate Maioricensi stabiliatur, ordinamus ac praescribimus ab iis, ad quos spectat, eligendos esse a prima die augusti anni praecedentis, neque teneatur prior vel praesidens convocare suffragatores nisi eos, qui tunc fuerint in civitate, supposito statuto die. Porro servetur modus ac forma sicut in electione prioris, ita quod, si evoluto mense non fuerit facta electio, devolvatur ad patrem provincialem. Si autem contigerit mori cathedraticum, mensis pro nova electione computetur a die obitus exclusive; volumus etiam, quod ad cathedram artium semper praeponantur et eligantur lectores vacantes, si qui inveniantur, qui cursus artium in conventu s. Dominici civitatis iam expleverint.

9. Ordinamus, quod in posterum nulli cathedratico eligatur aliquis ordinarius substitutus nisi post quindecim annos cathedrae, et tunc modo superius praescripto fiat prima die augusti electio substituti.

10. Promovemus ad gradum magisterii pro principatu Cataloniae rr. pp. praesentatos fr. Raphaelem Duran huius capituli electorem, fr. Petrum Martyrem Cerda et fr. Ludovicum Martinez pro locis actu vacantibus per obitum rr. pp. magistrorum fr. Iosephi Bramo, fr. Dominici Balle et fr. Gasparis Vicens.

11. Item ad gradum praesentaturae in loca iam promotorum rr. pp. lectores fr. Raphaelem Videl, fr. Bartholomaeum Amigo et fr. Franciscum Esteve; pro primis autem vacaturis fr. Ludovicum Iust et fr. Antonium Feruol; interim gaudeant loco.

12. Instituimus praedicatores generales pro conventu s. Catharinae martyris Barcinonae rev. p. fr. Pontium Villa in locum defuncti rev. p. fr. Ioseph Ferrer, et pro conventu Coquiliberi rev. p. fr. Petrum Esteva in locum defuncti r. p. praesentati fr. Ioannis Sampons.

13. Pro regno Aragoniae promovemus ad gradum magisterii rr. pp.

praesentatos fr. Petrum Miravete, fr. Petrum Martyrem Maya, fr. Hieronymum Xavierre et fr. Raymundum Tremigno.

14. Ad gradum praesentaturae in loca iam promotorum rr. pp. lectores fr. Petrum Hilocha, fr. Dominicum Sobrepueyo, fr. Dominicum Pujol et fr. Ioannem de la Iustitia.

15. Instituimus praedicatorem generalem pro conventu de Monçon in locum defuncti rev. p. fr. Ioannis Gregorii Omella rev. p. fr. Raymundum Ramirez, dispensantes cum eo quoad obligationem commorandi in conventu suae praedicaturae, quamdiu is sub bellica sua clade iacuerit vastatus, donec restauretur.

16. Pro regno Valentino promovemus ad gradum magisterrii rr. pp. praesentatos fr. Iosephum Bonamic, fr. Raymundum Mena, fr. Franciscum Thomas, fr. Isidorum Salvat et fr. Vincentium Trecens pro locis actu vacantibus per obitum rr. pp. magistrorum fr. Marci Serra (1), fr. Ludovici Alberola, fr. Hieronymi Cucalon, fr. Bartholomaei Buysor et fr. Thomae de Arteaga.

17. Ad gradum praesentaturae in loca iam promotorum rr. pp. lectores fr. Vincentium Ferrer, fr. Ioannem Isach, fr. Ludovicum Prats, qui in hoc generali capitulo gloriose publicas conclusiones sustinuit, fr. Marcellum Marona et fr. Ioannem Canet; in locum vero defuncti rev. p. fr. Iosephi Anguerot rev. p. fr. Bartholomaeum Romero.

18. Pro insulis Maioricarum promovemus ad gradum magisterii rev. p. praesentatum fr. Petrum Buades in locum defuncti rev. p. magistri fr. Reginaldi Oliver, ad gradum praesentaturae in locum iam promoti rev. p. lectorem fr. Michaelem Serralta, et pro locis primo vacaturis rr. pp. lectores fr. Bartholomaeum Mora et fr. Ioannem Monblanch; interim gaudeant loco.

Pro provincia Provinciae sive Angelorum.

1. Concedimus, quod in parvis conventibus, in quibus ob fratrum paucitatem non possunt media nocte persolvi matutinae, iuxta declarationem reverendissimi p. Thomae Turci magistri generalis eaedem per aestatem regulariter hora quarta matutina perque hyemem hora quinta matutina recitentur in choro, sub poenis privationis vocis activae et passivae contra priores hanc legem negligentes.

2. Praecipimus rr. pp. prioribus conventuum Avenionensis et s. Maximini, quod iuxta ordinationem reverendissimorum pp. magistrorum ordinis fr. Nicolai Rodulphii 1636 die 25. februarii et fr. Thomae Turci 1645 die 21. octobris editam et confirmatam sex novitios educandos ex ipsa pro-

---

(1) De fr. Marco Serra cf. SSOP. II, 554.

vincia absque ulla difficultate admittant, ita ut per quatuor vel ad minus per tres annos post professionem ibidem retineantur in studiis et observantia plenius firmandi. Similiter mandamus priori nostri novitiatus generalis s. Germani Parisiis, quatenus iuxta suae fundationis tenorem duos vel tres novitios ex eadem provincia in rigida observantia et studiis educandos recipiat.

3. Confirmamus facultatem ab iisdem reverendissimis pp. generalibus indultam conventibus Massiliae et Arelatarum recipiendi novitios simplices et educandi professos, dummodo in illis tenor vitae regularis exacte observetur, illique seorsim sub proprio magistro in competenti numero et ad normam ss. constitutionum educentur.

4. Confirmamus ordinationem ultimi capituli Valentini de restituendis huic provinciae conventibus Valentino et Diensi iuxta decretum reverendissimi magistri ordinis fr. Thomae Turci et conditiones in eo contentas.

5. Approbamus et confirmamus acta capituli provincialis Massiliae sub admodum rev. p. m. fr. Hyacintho Martelli vicario generali 1649 die 24. aprilis celebrati, nec non acta capituli Arelatensis iam per reverendissimum p. Rodulfium sub datis Romae 1637 die 5. decembris correcta et confirmata, ac rursus a reverendissimo p. Turco Aquis 1645 die 21. octobris iterumque a capitulo generalissimo Romae 1644 et denique a capitulo generali Valentino 1647 approbata; item dispositiones ab iisdem factas circa huius provinciae graduandos et praedicatores generales, ita videlicet ut omnes solique illi, qui in praefatis dispositionibus recensentur, aut illi, qui in ipsorum loca ab eo tempore successerunt, pro graduatis et praedicatoribus generalibus habeantur.

6. Cum huic provinciae non competat ius acceptandi magistros, declaramus, quod in ea magistri a die suae promotionis loco, voce ac reliquis magisterii iuribus gaudebunt.

7. Declaramus, quod priores conventuum ab haereticis desolatorum seu qui non possunt alere sufficientem numerum fratrum ad ferendum votum in capitulo provinciali sive ad eligendum priorem iuxta antiquam provinciae consuetudinem titulo, voce, loco et aliis priorum iuribus potiantur in capitulis provincialibus, omnibus super hac re perpetuum indicentes silentium sub poenis absolutionis ab officiis ipso facto ac privationis utriusque vocis, simulque contrafacientes teneantur ad refusionem omnium expensarum, quas ex ea occasione ab ipsis vel a provincia fieri continget.

8. Acceptamus et approbamus magisterium admodum rev. p. m. fr. Petri Begou, huius capituli diffinitoris, ad quod in ultimo capitulo Valentino pro loco actu vacante de numero fuit rite promotus; insuper acceptamus ipsius hactenus factas pro eodem gradu lecturas, quas tamquam

pro illo gradu sufficientes admittimus et declaramus; proinde ipsum ab obligatione regentiae omnique ulterioris lectionis onere liberum decernimus, non obstantibus quibuscumque.

9. Item acceptamus magisterium rev. p. fr. Francisci d'Antonelle pro loco vacante de numero.

10. Promovemus ad magisterii gradum pro loco vacante per obitum rev. p. magistri fr. Antonii Lyon rev. p. fr. Antonium Raffy conventus Carpentoractensis, baccalaureum Parisiensem, cuius actus scholastici et baccalaureatus exercitia per quatuor annos a tentativa in facultate Parisiensi laudabiliter facta, cum ea non culpa sua, sed novo praedictae facultatis in religiosos ordines decreto impeditus perficere non posset, a reverendissimo p. fr. Thoma Turco sub datis Parisiis 7. februarii 1646 acceptata fuerunt instar lecturae et regentiae solitae in generali studio suae provinciae pro gradu et forma magisterii cum expressa clausula, quod absque alia theologiae lectura posset ad magisterium promoveri, quamprimum ordo assequendi magisterium sibi obtingeret; ideoque, cum ipse inter baccalaureos provinciae, qui exercitia scholastica praestiterunt, sit antiquior, volumus, quod pacifice illo gradu fruatur, quosvis defectus, si qui sint, nostra auctoritate supplentes.

11. Promovemus ad gradum baccalaureatus pro loco per assumptionem dicti p. fr. Antonii Raffy ad magisterium actu vacante rev. p. fr. Ioannem l'Ange conventus Aquensis, velut qui philosophiam per quatuor annos, theologiam vero scholasticam et positivam per biennium tum in conventu Massiliensi tum in generali studio Aquensi docuerit, in quo etiam nunc a biennio officio magistri studentium fungitur.

12. Instituimus praedicatores generales locis actu per obitus iam vacantibus p. fr. Ioannem Baptistam Reynaud pro suo conventu Tarrasconensi loco p. fr. Honorati Arnaud, p. fr. Honoratum Bellon pro suo conventu Grassae loco p. fr. Ioannis Vernede, p. fr. Hyacinthum Doullon pro suo conventu Vapincensi loco p. fr. Dominici Clerissy, p. fr. Albertum Vincents pro conventu Barsiloniae loco p. fr. Dominici de Thoro, confirfirmantes decretum capituli generalissimi 1644, quo p. fr. Hyacinthus Ioubert iussus fuit suo baccalaureatu contentus esse et praedicaturae generali renuntiare.

13. Damus admodum rev. p. m. provinciali facultatem transferendi novitiatum provinciae a civitate Aquensi ob grassantis ibi luis periculum ad alium conventum commodiorem, in quo iidem novitii annum probationis possint perficere; declarantes novitiorum egressu ob grassans contagium nusquam interruptum esse eorum probationis annum, modo in conventibus, ad quos declinarunt, in regulari observantia perseverarint et sub cura magistri eadem qua antea cautela fuerint educati.

14. Concedimus eidem p. provinciali facultatem transferendi studium generale Aquense ob eamdem pestis causam ad alium conventum, ita quod etiam ibi lecturae pro gradu et forma exercendae valeant, ac si in ipso conventu Aquensi fuissent expletae, dum tamen eadem illic exercitia fiant, quae in studio generali fieri solent.

15. Damus in regentem et lectorem studii generalis pro forma et gradu magisterii ad proximum festum s. Crucis et in sequens quadriennium rr. pp. baccalaureos fr. Iacobum de Bartelemi et fr. Honoratum Flamenc.

16. Approbamus et confirmamus transfiliationem fr. Thomae Gastaudii conversi a conventu Buxi ad conventum Tholonensem indultam a reverendissimo p. fr. Thoma Turco.

Pro provincia Dalmatiae.

1. Ordinamus, quod omnino observetur antiquum decretum provinciae, quod lectores legant per 7 annos, non obstantibus quibuscumque in contrarium; nec sub eo tempore possint peti ad gradus neque assumi ad officium prioratus, nisi velint renuntiare et lectioni et omni in posterum habilitati ad gradus; quidquid vero in contrarium fuerit attentatum, sit totum irritum et inane.

2. Volumus, quod petitiones graduum non possint fieri nisi in capitulo provinciali a p. provinciali aut vicario et patribus provinciae simul in diffinitorio congregatis, sicut et alias fuit ordinatum in eadem provincia.

3. Ordinamus, quod lectores, qui ab externis studiis generalibus redeunt ad hanc provinciam, deferant litteras testimoniales pp. moderatorum studii ostendendas patri provinciali, qui etiam per litteras particulares curet se ab iisdem pp. moderatoribus de rei veritate certificari, secus illi pro lectoribus in provincia non habeantur.

4. Statuimus, quod omnes huius provinciae fratres in aliis provinciis commorantes statim ad illam revertantur, sub poena privationis utriusque vocis per decennium; monentes admodum rr. pp. provinciales aliarum provinciarum, ubi huiusmodi fratres commorantur, ut eos confestim ad hanc remittant, exceptis dumtaxat illis, qui causa studiorum foris degunt.

5. Promovemus ad gradum magisterii pro locis actu vacantibus rev. p. lectorem fr. Nicolaum Tumba de Brachia, rev. p. baccalaureum fr. Dominicum Soppe Iadrensem inquisitorem, rev. p. baccalaureum fr. Ambrosium Caravanium de Spalatro et rev. p. lectorem fr. Bernardinum de Venetiis, huius diffinitoris secretarium.

6. Damus in baccalaureum ordinarium studio Iadrensi p. lectorem fr. Marcum Modro de Spalatro.

7. Instituimus praedicatorem generalem pro conventu Iadrensi p. fr. Thomam Ossetti.

8. Concedimus, ut p. fr. Dominicus Hranothei de Brachia praedicator

generalis a conventu s. Nicolai de Curzula transfilietur servatis servandis ad conventum s. Dominici de Sebenico.

Pro provincia Trinacriae.

1. Confirmamus ordinationem 19. capituli provincialis celebrati Messanae die 24. aprilis 1649 sub admodum rev. p. m. fr. Laurentio Bertholo sequentis tenoris: Pro servanda iustitia distributiva in nostris conventibus, praesertim Syracusano, Milatii, Cephaludi et Thermarum, eo quod ut in plurimum, imo quotidie vexantur receptione hospitum, conventus Milatii, Cephaludi et Thermarum in solvendis contributionibus nonnisi tarenos 12 solvant, conventus vero Syracusarum unciam unam; et ne provincialis patiatur, loco ipsorum oneramus conventum Vallettae in insula Melitae, ut solvat uncias duas, conventus Veriae et Castaniae unciam unam et tarenos sex, Aidonis et Licodiae unciam unam, et locus s. Michaelis Montis s. Iuliani tarenos 18, cum in his conventibus rari videantur hospites, sintque in sat commodo statu.

2. Ordinamus, quod lectores, qui numquam in aliquo studio generali fuerunt studentes formales, exautorentur quoad titulum ac nomen lectoratus; praecipientes universis tam capitibus quam membris sub poena privationis utriusque vocis, ut eos tamquam non lectores tractent et habeant.

3. Concedimus et ordinamus, quod cella, in qua asservatur libraria admodum rev. p. m. fr. Laurentii Bertholo in conventu nostro Thermarum post eius obitum fiat libraria communis dicti conventus una cum omnibus suis ornamentis, inde non extrahendis, sub poenis ac censuris pontificiis.

4. Acceptamus assignationem seu deputationem conventus s. Dominici de Messana pro praedicatura generali p. fr. Petri Iordano, factam in capitulo Catanae die 26. novembris 1644 ob vacantiam per obitum p. praedicatoris generalis fr. Vincentii Caeli; similiter deputationem conventus s. Vincentii Thermarum pro praedicatura generali p. fr. Hyacinthi Stabile filii eiusdem conventus ob vacantiam ortam illic per supradictam alterius praedicaturae generalis translationem.

5. Erigimus in conventum locum s. Vincentii Aydonis cum voce, iuribus ceterisque privilegiis, quibus reliqui conventus gaudere solent, siquidem hic duodecim fratres commode sustentari possunt; et pro prima hac vice damus praedicto conventui priorem rev. p. baccalaureum fr. Iosephum Constanzo.

6. Transfiliamus p. fr. Dominicum Blandini a conventu Petraepertiae ad conventum Neti, p. fr. Vincentium Curvaia et p. fr. Raymundum Taci a suis conventibus originalibus ad conventum s. Dominici de Platia, servatis servandis.

7. Promovemus ad gradum magisterii pp. baccalaureos fr. Vincentium Losquiglio, fr. Thomam Longi, fr. Thomam Ancona, fr. Ioseph Mariam Bella, fr. Ioannem Nicolini, fr. Vincentium Gazzara, fr. Ludovicum Michalef, fr. Aegidium Tutino (1), fr. Ioseph Scorza de Mirto et fr. Hyacinthum Macca.

8. Promovemus ad titulum et gradum baccalaureatus pp. fr. Petrum Staiti, fr. Ioannem Baptistam Mutina, fr. Vincentium Larussa, fr. Vincentium Romano, fr. Ioseph Arena, fr. Dominicum Cesino, fr. Dominicum Menardi, fr. Paulum Patavino, fr. Thomam la Marca, fr. Ioseph Gigante (2) et fr. Iacobum Sirugo.

9. Instituimus praedicatores generales pp. fr. Thomam Renda pro conventu regio s. Dominici de Drepano, cuius ipse est filius, fr. Hyacinthum Cambria pro conventu Milatii, fr. Petrum Patavino (3) pro conventu Augustae, fr. Vincentium Curvaia, fr. Dominicum Noto, fr. Benedictum Celi, fr. Thomam la Furma et fr. Bonaventuram Mannelli, salvis iuribus provinciae et servatis servandis iuxta nostras constitutiones.

10. Assignamus in studentem formalem in studio generali s. Dominici de Neapoli pro rata suae provinciae p. fr. Bernardinum Faso de Panormo (4), et pro studio formali s. Dominici de Panormo assignamus in studentem formalem pro primo loco vacaturo p. fr. Vincentium Ferreri Panormitanum.

Pro provincia Portugalliae.

1. Declaramus, quod iuxta ordinationem ultimi capituli Valentini extranumerales magistri debeant reduci ad numerum, sicque ad numerum duodenarium reducimus magisteria rr. pp. fr. Dionysii de Alencastro et fr. Gundisalvi de Gama.

2. Declaramus ad praevertendas ambiguitates, quod provincialis pro tempore noviter electus debet gubernare provinciam sub titulo vicarii generalis usque ad suam vel confirmationem vel cassationem iuxta breve Pauli IV, quod est in viridi observantia.

3. Ordinamus, quod fratres nostri, filii congregationis Indiae Orientalis, intra unius anni spatium ad dictam congregationem se transferant; eos vero, qui in hoc non paruerint, ex nunc privamus voce activa et passiva in electionibus provinciae Portugalliae, idque volumus perpetuo observari.

---

(1) De fr. Aegidio Tutino cf. SSOP. II, 657

(2) De fr. Iosepho Gigante cf. l. c. pag. 740.

(3) De fr. Petro Patavino cf. l. c. pag. 667.

(4) De fr. Bernardino Faso cf. l. c. pag. 700.

4. Concedimus, quod priores actuales, qui tempus sui prioratus alibi nondum expleverunt, nihilominus possint eligi in priores nostri conventus s. Dominici Ulyssipone, non obstante dispositione facta quondam a reverendissimo p. n. Rodulphio.

5. Promovemus ad gradum magisterii, salvis iuribus provinciae, rr. pp. praesentatos fr. Dominicum de Queiros et fr. Dominicum de s. Thoma.

6. Item promovemus ad gradum magisterii titulo praedicationis rev. p. fr. Emmanuelem de Vasconcellos, huius capituli electorem.

7. Promovemus ad gradum praesentaturae pp. fr. Ioannem Borges, fr. Andream Covas et fr. Gabrielem da Sylva.

8. Confirmamus factam ab admodum rev. p. provinciali acceptationem p. fr. Emmanuelis de Castelbranco in praedicatorem generalem pro conventu de Abrantes.

Pro provincia Bethicae.

1. Promovemus ad gradum magisterii pro primo loco vacaturo p. fr. Hyacinthum Valianum et p. fr. Dominicum de Molina, concedentes iisdem, quod gaudeant interim loco et voce. Item ad eumdem gradum promovemus p. fr. Bartholomaeum de Aguilar, p. praesentatum fr. Franciscum Bernal, p. praesentatum fr. Ildephonsum Yañez.

2. Promovemus ad gradum praesentaturae p. fr. Ioannem de Ribas y Carrasquilla (1) titulo praedicationis in locum defuncti rev. p. fr. Dominici de Sandoval, p. fr. Lucam Pacheco eodem titulo in locum rev. p. fr. Ioannis de Ayora, p. fr. Ioannem de Zayas eodem titulo et in locum rev. p. fr. Sebastiani de la Plata, p. fr. Petrum Garçon eodem titulo et in locum rev. p. fr. Ludovici de Ybarra. Item pro primo loco vacante aut vacaturo p. fr. Ioannem de Castillo, interim gaudeat loco aliisque privilegiis; p. fr. Didacum de Bastos titulo lectionis pro primo loco vacante aut vacaturo, interim gaudeat loco aliisque privilegiis; p. fr. Ioannem de Turrecremata y Bargas titulo praedicationis, p. fr. Petrum Farfan titulo praedicationis, p. fr. Ioannem a Cruce Roldan, p. fr. Ioannem Emmanuelem de Castro, p. fr. Carolum de Buitre, p. fr. Simonem de Castellanos, p. fr. Laurentium Morales.

3. Instituimus praedicatores generales p. fr. Ildephonsum de Vaiena in locum p. fr. Dominici de Sandoval et pro eodem conventu, p. fr. Gundisalvum Ortiz pro conventu s. Dominici de Niebla in locum p. fr. Didaci de Fuentes, p. fr. Philippum de Aguillera pro conventu s. Dominici de Guadiz in locum p. fr. Ambrosii Salido, p. fr. Ioannem de Santaella pro loco et conventu p. fr. Christophori Bezerra, p. fr. Nicolaum Baez, p. fr. Ioannem Ramirez.

---

(1) De fr. Ioanne de Ribas y Carrasquilla cf. SSOP. II, 712.

Pro provincia Germaniae inferioris.

1. Instituimus perfectam communitatem in omnibus conventibus huius provinciae, in qua rigidissime observatam volumus ordinationem ultimi capituli Valentini, quod a ferendo suffragio in capitulo provinciali excludantur tum socii priorum tum ipsi priores, quicumque necessaria ad victum et amictum fratribus sui conventus non dederint; ac insuper mandamus, quod provincialis huiusmodi priores a suis officiis irremissibiliter absolvat.

2. Concedimus, quod in hac provincia festum s. Angeli Custodis celebrari possit die 1. martii, ut ita conformentur nostri matrici ecclesiae. Item quod festum ss. Nominis Iesu die 15. ianuarii sub ritu duplicis peragatur.

3. Concedimus conventui nostro Antverpiensi, quod festum s. Polycarpi episcopi Smyrnensis et martyris die 26. ianuarii sub ritu totius duplicis possit celebrare.

4. Erigimus in prioratus vicariatum nostrum Lyranum, collegium nostrum Duacenum s. Thomae, domum nostram Namurcensem, vicariatum nostrum Sittardiensem et vicariatum nostrum Tongrensem; concedentes fratribus nostri conventus Traiectensis ad Mosam, ut in eventu, quo forte de suo conventu, quod Deus avertat, per acatholicos eiicerentur, possint sibi eligere unum ex duobus ultimo nominatis iam noviter erectis conventibus, ad quem ipso facto ut filii nativi pertinebunt.

5. Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut conventui nostro Bruxellensi a pluribus iam annis pro exacta observantia saluberrime deputato, quam deputationem hisce etiam stabiliendo continuamus, praescribat peculiares aliquas ordinationes et statuta, prout ad firmandam, conservandam augendamque illic regularem observantiam iudicaverit expedire.

6. Deputamus pro novitiatu communi nationis Gallo-Belgicae praeter conventum nostrum Valencenensem etiam conventum nostrum Montensem, ita quod deinceps licebit prioribus huius nationis suos novitios pro arbitrio ad alterum horum conventuum, quem maluerint, educandos transmittere.

7. Promovemus iuxta petitionem huius provinciae ad gradum magisterii vacantem in natione Brabantica rev. p. fr. Andream a Turri, et pro natione Gallo-Belgica loco vacante rev. p. fr. Gulielmum Seguier.

8. Ad gradum licentiae promovemus p. fr. Franciscum Vermeil (1) loco vacante in natione Gallo-Belgica, et p. fr. Hyacinthum Hermanni pro pro loco vacante in natione Flandrica.

---

(1) De fr. Francisco Vermeil cf. SSOP. II, 586.

9. Ad gradum baccalaureatus promovemus p. fr. Thomam Remy (1) pro loco vacante in natione Gallo-Belgica, et p. fr. Carolum Myleman (2) pro loco vacante in natione Flandrica.

10. Instituimus praedicatores generales pro conventu Brugensi p. fr. Bartholomaeum de Schryvere (3), pro noviter a nobis erecto conventu Sittardiensi p. fr. Antoninum a Campo.

11. Ultra hos a provincia petitos iamque admissos promovemus ex gratia speciali ad gradum magisterii pro natione Gallo-Belgica rev. p. fr. Ioannem de Loix, huius capituli diffinitorem, et pro natione Brabantica rev. p. fr. Henricum Scellier, huius capituli electorem.

12. Ad gradum licentiae ex eodem favore promovemus p. fr. Amandum Turu et p. fr. Nicolaum Bosquier pro locis vacantibus in natione Gallo-Belgica, et p. fr. Ioannem Baptistam Verjuys (4) pro loco vacante in natione Brabantica.

13. Ad gradum vero baccalaureatus p. fr. Anselmum Lannoy et p. fr. Thomam Parmentier (5) pro locis vacantibus in natione Gallo-Belgica.

14. Instituimus etiam praedicatorem generalem pro conventu nostro Montensi loco vacante per rev. p. fr. Ioannis de Loix assumptionem ad magisterium p. fr. Raymundum Maton.

15. Item pro noviter erecto conventu Namurcensi instituimus praedicatorem generalem p. lectorem fr. Dominicum Tordoir a Brania.

Pro provincia Apuliae s. Thomae.

1. Confirmamus acta capituli provincialis Bituntini et peculiariter sanctionem illam de praebenda fratribus sufficientia vestimentorum et medicinalium sub poenis ibidem taxatis.

2. Concedimus, quod per totam hanc provinciam feria quarta non impedita recitari possit officium de s. Thoma Aquinate iuxta eiusdem provinciae morem antiquissimum et immemorabilem consuetudinem.

3. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Hyacinthum de Sanarica baccalaureum ordinarium, fr. Ioannem Palumbum de Lycio baccalaureum, fr. Hyacinthum Nanni de Neritono baccalaureum, fr. Bernardum Mariam Iannovitium de Bario baccalaureum, qui Andriae fuit lector biblicus, fr. Aloysium Frisari de Vigiliis baccalaureum, fr. Ioannem Mariam a Leonibus de Polygnano lectorem, fr. Thomam Silos de Bitunto lectorem, fr. Horatium de Adamo Tarentinum baccalaureum et collegii Fog-

(1) De fr. Thoma Remy cf. l. c. pag. 604.
(2) De fr. Carolo Mylemann cf. l. c. pag. 716.
(3) De fr. Bartholomaeo Schryvere cf. l. c. pag. 643.
(4) De fr. Ioanne Baptista Verjuys cf. l. c. pag. 621.
(5) De fr. Thoma Parmentier cf. l. c. pag. 652.

giarum regentem, fr. Dominicum Stradiotti de Gallipoli baccalaureum et regentem collegii Lyciensis, fr. Thomam Mariam de Nittis a Vico lectorem biblicum Lyciensem, fr. Marcum Guarinum de Solofra lectorem et fr. Ioannem Sinerchia de Matera baccalaureum.

4. Promovemus ad gradum baccalaureatus p. fr. Ioannem Leonardum de Gravina lectorem, qui fuit magister studentium, p. fr. Dominicum de s. Petro lectorem, qui fuit magister studentium, p. fr. Vincentium Mariam de Cerignola lectorem, p. fr. Petrum a Messapia lectorem, p. fr. Thomam Giesù a Castellaneta lectorem, p. fr. Ianuarium de Andria lectorem, p. fr. Thomam de Tricasio lectorem, p. fr. Ioannem Baptistam de Galatola lectorem, p. fr. Thomam de Monopoli lectorem, p. fr. Iosephum ab Altamura lectorem, p. fr. Ioannem Thomam Pappalardi de Gravina lectorem, p. fr. Antoninum Flora de Lycio lectorem, p. fr. Franciscum de Lycio lectorem, p. fr. Augustinum Mariam Bresciani lectorem, p. fr. Vincentium Valente de Lycio lectorem, p. fr. Antoninum de s. Petro lectorem, p. fr. Petrum Martyrem de Polygnano lectorem, et p. fr. Hyacinthum Nannium lectorem, salvis iuribus provinciae.

5. Damus in regentem nostri generalis studii Andriensis rev. p. baccalaureum fr. Hyacinthum de Sanarica et in regentem nostri collegii Lyciensis rev. p. fr. Thomam de Nittis a Vico, postquam modernus p. regens fr. Dominicus Stradiotti suum triennium expleverit. In baccalaureos praedicti studii generalis Andriensis damus pro primo loco rev. p. baccalaureum fr. Vincentium Persia de Matera, pro secundo loco p. fr. Ioannem Leonardum de Gravina lectorem. In magistros studentium pro primo loco nempe post expletum annum p. fr. Petri Martyris a Polignano moderni studentium magistri damus p. lectorem fr. Gregorium de Calvello, pro secundo p. baccalaureum fr. Laurentium Rocchetti, Romae examinatos et approbatos, pro tertio loco p. baccalaureum fr. Thomam de Tarento; in lectorem biblicum ibidem damus p. fr. Dominicum de s. Petro in Galatina.

Pro provincia Calabriae.

1. Ob causas admodum urgentes et maturrime ponderatas subtrahimus conventui Neapolitano s. Mariae Salutis, huic provinciae subiecto, titulum prioratus et conventus ipsumque reducimus in suum statum anteriorem, mandantes admodum rev. p. provinciali, quatenus ex nunc incipiat dicto loco providere de vicario.

2. Item statuimus et declaramus, quod fratres huius provinciae, cuiuscumque fuerint qualitatis, ex nunc deinceps non possint nec debeant ultra biennium in dicto loco permanere, nisi ex causa valde rationabili per ipsum reverendissimum magistrum ordinis discutienda et approbanda; idque pp. provinciales huius provinciae pro tempore sub poena absolu-

tionis ab officiis teneantur observare et observari faciant, compellendo refractarios omnibus facti et iuris remediis opportunis.

3. Mandamus etiam omnibus dictae provinciae fratribus, cuiuscumque sint conditionis aut gradus, sub poena gravioris culpae, ne sub quocumque praetextu audeant adire Neapolim sine causa rationabili per ipsum p. provincialem in scriptis approbanda; aliter venientes in carceribus recipiantur et ad dictam poenam per sententiam condemnentur.

4. Insuper iniungimus admodum rev. p. provinciali, ut in praenominato loco nostro s. Mariae Salutis instituat idoneum procuratorem, cui debent committi omnes lites ac negotia tum fratrum tum provinciae in externis tribunalibus ibidem pertractanda.

5. Volumus ac decernimus, quod Casale Graecorum de iurisdictione nostri conventus Altimontis nulla ratione alienari aut in emphyteosim concedi possit, nisi praeter consensum Sedis Apostolicae ex more ac lege communi necessarium accedat etiam consensus capituli provincialis, secus huiusmodi contractus sit irritus ac inanis.

6. Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. baccalaureos fr. Silvestrum a s. Catharina, fr. Chrysostomum ab Altomonte et fr. Seraphinum a Filogasio pro locis actu vacantibus; item fr. Hieronymum Iustinianum pro loco proxime vacaturo, interim careat loco et voce.

7. Promovemus ad gradum baccalaureatus pp. lectores fr. Silvestrum Lembo a Catanzaro, fr. Hyacinthum Rinaldum a Saracena, fr. Ludovicum de Verbicaro, fr. Chrysostomum de Cosentia, fr. Antoninum a Castromonardo, fr. Iacobum de Scigliano (1), fr. Gregorium a Radicena, fr. Andream a s. Georgio, fr. Seraphinum ab Agropterea, fr. Franciscum a Filogasio, fr. Michaelem Angelum ab Acri, fr. Ludovicum a Coriolano, fr. Iosephum Bendinum et fr. Andream a Rosarno.

8. Damus in regentem studii generalis Cosentini rev. p. baccalaureum fr. Thomam Francavilla, ex quo iam habet litteras patentes a rev. p. Turco pro dicto officio; pro secundo loco ibidem damus in regentem rev. p. baccalaureum fr. Silvestrum Lembo, petitum a provincia.

9. Damus in baccalaureum ordinarium eiusdem studii generalis pro primo loco rev. p. baccalaureum fr. Vincentium de Lattarano ad hoc officium a rev. p. Rodulphio examinatum et approbatum.

10. Damus in magistros studentium eiusdem studii generalis pp. lectores fr. Dominicum Spezzaferro, fr. Michaelem a Reggio, fr. Vincentium a Circlario, fr. Ioannem Baptistam a Montealto, fr. Vincentium Poerium de Tabernis et fr. Albertum Scaglionum de Cosentia iuxta ordinem suarum professionum.

---

(1) De fr. Iacobo de Scigliano cf. SSOP. II, 633.

11. Instituimus praedicatores generales pp. lectores fr. Gregorium de Altomonte pro conventu Amygdalariae, fr. Ioannem Baptistam a Castrovillarum pro conventu Altimontis, fr. Thomam Besmonte pro conventu Cosentino et fr. Vincentium a Suriano pro conventu Montis Leonis, si actualiter vacant loca et non aliter.

12. Concedimus, quod servatis ex parte utriusque termini servandis transfilientur pp. fr. Vincentius a Circlario a loco Cassani ad conventum Coriolani, fr. Hyacinthus de Strongolo a loco Strongoli ad conventum Cosentinum, fr. Ludovicus de Verbicaro a loco Verticarii ad conventum Bisiniani, fr. Thomas Sances a conventu Rhegii ad conventum Tropiensem, fr. Ioannes Baptista a Castrovillarum a conventu s. Donati ad locum Castrivillarum, fr. Donatus de Laino a conventu Suriani ad locum de Laino, fr. Hyacinthus de Badolato a loco Badolati ad conventum Montis Leonis, fr. Raymundus de Suriano conversus a loco Saracena ad conventum Suriani, fr. Dominicus de Rossano a conventu Rossani ad conventum de Tabernis, p. magister fr. Ioannes Baptista a s. Georgio a conventu s. Georgii ad locum Laureanae.

Pro provincia Hiberniae.

1. Confirmamus omnes et singulas ordinationes et concessiones pro hac provincia factas Romae in capitulo generali 1629 et in generalissimo 1644.

2. Cum in ista provincia per has temporum calamitates vix ulla possint vigere studia literarum, ideo, ne ex hoc paulatim ei deficiant ministri evangelii, districte mandamus inque meritum s. obedientiae iniungimus reliquarum provinciarum admodum rr. pp. provincialibus, ut fratres huius afflictae provinciae ubique peculiari charitate ac promptitudine suscipiant, foveant et in suis studiis generalibus iuxta locorum vacationem saltem unum alterumve acceptent et habeant; insuper quoque ubi possunt, satagant adiuvare nationem pro acquirendis et extruendis seminariis, sicubi Deus ad hoc fundatorem aut benefactores excitarit.

3. Declaramus, quod cum haec provincia nunc quam maxime bellorum cladibus et gravi persecutioni acatholicorum miserrime sit implicita, non debeant eidem obesse statuta postremi capituli Valentini in hoc, quominus in illa priores conventuales, qui requisitum numerum fratrum non alunt, equidem gaudeant iuribus, voce ac privilegiis suis, ac si integre dictum numerum sustentarent.

4. Concedimus, quod in eiusdem provinciae Lovaniensi collegio fiant actus et exercitia scholastica pro gradu et forma, prout collegio Ulyssiponensi anno 1644 concessit capitulum generalissimum. Porro utrumque hoc collegium videlicet Ulyssiponense et Lovaniense una cum monasterio monialium Ulyssipone fundato pro natione Hibernica ob causas nobis

bene visas eximimus a iurisdictione patris provincialis Hiberniae pro tempore, subiicientes ea immediate officio ac regimini reverendissimi magistri ordinis in spiritualibus et temporalibus.

5. Extendimus numerum graduum pro hac provincia, ita ut in ea deinceps tam praesentati quam magistri cum loco et voce computari possint usque ad numerum duodenarium; sicque pro locis ex hoc iam actualiter vacantibus promovemus ad gradum magisterii rev. p. fr. Gregorium Ferall praesentatum et huius provinciae quondam provincialem, rev. p. fr. Mauritium a s. Petro Martyre praesentatum et collegii nostri Ulyssiponensi regentem primarium, rev. p. fr. Mauritium Tirellium praesentatum, qui in generali studio Graecensi munus regentis omnesque actus pro hoc gradu requisitos explevit, rev. p. praesentatum fr. Patritium Kearny praesentatum ac s. theol. in collegio Lovaniensi professorem, rev. p. fr. Fabianum Rian, qui per complures annos philosophiam ac theologiam docuit, et p. fr. Thomam Lincaeum praesentatum.

6. Ad gradum praesentaturae promovemus p. fr. Thaddaeum a s. Thoma deputatum regentem collegii Ulyssiponensis, p. fr. Hugonem Muriarti, alias fr. Dominicum de Rosario s. theol. professorem et p. lectorem fr. Henricum Burghet.

7. Restituimus gradum praedicaturae generalis fr. Iacobo Goldaeo lectori et fr. Iacobo Volpheo.

Pro provinciis Indiarum in communi.

1. Ordinamus pro provinciis Indiarum et earum provincialibus, quicumque fuerint pro tempore, praecipimus in virtute Spiritus sancti et sub sanctae obedientiae formali praecepto, nec non sub poena privationis utriusque vocis, graduum, officiorum et gratiarum ordinis perpetuaeque inhabilitatis tum ad haec tum ad cuiuscumque doctrinae administrationem sive per se sive per alium obeundam et sub aliis poenis nobis arbitrariis, quatenus detractis dumtaxat illis contributionibus, quas vocant expensas provinciae, ceduntque in ordinarios ac necessarios usus provincialium, item illis, quae dari debent diffinitori adeunti curiam regiam in Europa, et denique illis, quas singulae provinciae quotannis tenentur pendere officio magistri ordinis et procuratoris generalis, reliquas omnes pecunias sive a conventibus sive a doctrinis aut aliunde quoquo modo tituli sui officii recipiendas teneantur cum consensu et maiori votorum parte consilii pleni ordinarii, ac non aliter, applicare ad censum annuum stabilem ac perpetuum; auferentes ab iisdem provincialibus et consilio potestatem alienandi vel diminuendi aut alio distrahendi quidquam sive de summis capitalibus sive de earum annuis fructibus seu censibus, quos sub eadem districtione praecepti ac poenarum volumus ac iubemus, servata eadem suprascripta forma, quotannis applicari ad novos novosque census perpetuos. Quod

si contingat non extare in provincia tot magistros sive patres provinciae, quot exiguntur ad integrandum consilium plenum, intrabunt servato professionis ordine lectores theologiae et regentes secundarii, quoad consessus duodenarius compleatur, ad hunc effectum consultandi et suffragandi in negotio supradictae applicationis tam censuum quam summarum capitalium.

2. Denique pro assecuranda huius ordinationis accuratissima observantia mandamus sub eodem rigore ut supra tum provincialibus, ut finito officio exactissimam rationem reddant diffinitoribus proximi capituli provincialis de huiusmodi applicationibus fideliter et ex praescripta norma per suum quadriennium peractis, tum ipsismet diffinitoribus, ut easdem rationes a provincialibus officio defungentibus accipiant, examinent, iudicent ac de tota rei serie, quid quantumque toto illo quadriennio realiter ad census ordine supradicto applicatum fuerit, magistrum ordinis authentice informent. Nolumus autem adversus hanc saluberrimam ordinationem et specialiter circa alienationem, diminutionem vel distractionem summarum applicatarum sive applicandarum valere ullum cuiuscumque tituli, coloris aut nominis praetextum aut obtentum cuiuslibet melioris boni vel communis necessitatis, cum his aliunde consuli possit. Meminerint autem tum provinciales tum diffinitores et pleni consilii vocales, ne in supradictis aut eorum qualicumque minimo puncto quidquid negligant, dissimulent, omittant vel praevaricentur, quam serio cupiunt evitare mortalem Dei offensam et poenas supra taxatas.

Pro provincia s. Iacobi de Mexico.

1. Ordinamus, quod tam in vicariatibus quam in conventibus, ubi non obstante fratrum paucitate superiores nihilominus ex indulto apostolico gaudent iure suffragii in capitulis provincialibus, institutio huiusmodi priorum et vicariorum pertineat ad provincialem dependenter a consilio patrum, quod pro hoc effectu peculiariter congregare tenebitur sive in conventu Mexicano sive Angelopolitano, vocando ad illud priorem loci cum solis quinque antiquioribus magistris, qui tunc in illo conventu reperientur.

2. Restituimus collegium nostrum s. Dominici de Porta Caeli pristino suo statui quoad studia literarum in illo, non obstante quacumque alia dispositione aliquando facta in contrarium.

3. Mandamus in regali nostro collegio s. Ludovici omnia et singula eius statuta observari adamussim, ut iacent, nec in eo ad sacrae theologiae studium admitti possit, nisi qui fuerit sacerdos, nec dari possint cathedrae dicti collegii nisi illis, qui in eodem fuerunt magistri studentium vel lectores artium, nec ibidem instituatur lector artium, qui prius illic non fuerit collega.

4. Accepto rev. admodum p. diffinitoris iurato testimonio de sufficientia, laboribus ac meritis horum promovendorum instituimus praedicatores generales p. fr. Ludovicum de Quiros titulo linguae Mistecae, petitum in locum p. fr. Michaelis de los Reyes, p. fr. Michaelem de Meneses iam per 35 annorum spatium indefesse et fructuose concionantem, fr. Thomam de Morales vicarium de las Amilpas titulo linguae Mexicanae, et p. fr. Bartholomaeum Cabeças titulo linguae Chonchonae, in qua viginti annis laboriose utiliterque neophytis praedicavit.

5. Attentis egregiis meritis ac laboribus in grandaevam senectutem usque continuatis, de gratia speciali promovemus in magistros extranumerarios cum voce tamen et loco instar magistrorum numeralium rev. p. praesentatum fr. Gregorium Curiel in imperiali conventu s. Dominici de Mexico studiorum regentem, rev. p. fr. Rodericum de Medinilla, quondam nostri collegii s. Dominici de Porta Caeli regentem, rev. p. praesentatum fr. Didacum de Arellano, s. officii qualificatorem et nostri collegii s. Dominici de Porta Caeli rectorem; quibus addimus rev. p. praesentatum fr. Thomam Beltran, quondam collegii s. Ludovici rectorem et in regali academia Mexicana iam laureatum s. theologiae magistrum; item admodum rev. p. huius capituli diffinitorem fr. Franciscum Muñiz, qui in regali collegio nostro s. Ludovici post praelectos artium cursus quatuór annis exercuit officium magistri studentium totidemque annis theologiam docuit; quem proinde volumus ex nunc gaudere locò et voce ad instar magistrorum numeralium. Insuper gradu praedicaturae generalis ornamus rev. p. fr. Franciscum de Espinosa pro laboribus, quos in sexagesimum sextum aetatis suae annum prosecutus est, neophytis evangelium praedicando idiomate Mexicano.

6. Pro locis vacaturis promovemus ad gradum magisterii pro rata natorum in Indiis rev. p. praesentatum fr. Ioannem de Leon, qui pridem explevit tempus lectionum a sacris constitutionibus requisitum, et pro secundo loco vacaturo rev. p. praesentatum fr. Hyacinthum de Guevara, qui in lectione artium, magisterio studentium et cathedra theologica 16 explevit annos. Similiter promovemus ad gradum praesentaturae pro rata natorum in Hispania in primo loco vacaturo pro conventu Mexicano p. fr. Dionysium Baltasar, in studio sancti Dominici de Mexico primarium s. theol. lectorem, in secundo loco vacaturo pro natis in Indiis p. fr. Barnabam Muños, in regali collegio s. Ludovici lectorem theologiae. Pro rata filiorum conventus s. Dominici de Mexico natorum in Hispania promovemus ad gradum magisterii in primo loco vacaturo rev. p. praesentatum fr. Andream de Valdes, in secundo rev. p. praesentatum fr. Bartholomaeum Bernal.

7. Secundum ius alternativae inter conventus nostros Mexicanum et

Angelopolitanum promovemus ad gradum magisterii in primo loco vacaturo pro natis in Indiis rev. p. praesentatum fr. Ildephonsum Diaz, in regia academia Mexicana laureatum magistrum, et in primo loco vacaturo pro natis in Hispania rev. p. praesentatum fr. Andream Montes, regalis collegii s. Ludovici rectorem. Ad gradum vero praesentaturae in primo loco vacaturo pro natis in Indiis promovemus p. fr. Didacum de Barsena s. theol. lectorem, qui iam annis viginti docuit et diu praedicavit, in secundo loco vacaturo p. fr. Ioannem de Escamilla, in regali collegio s. Ludovici primarium s. theol. lectorem, qui exantlato artium cursu peractoque officio magistri studentium sacram theologiam ultra quatuor annos legit et 18 annis praedicavit.

8. Denique cum ad procurandam animarum salutem, quam ordo noster ex vi proprii instituti praecipue ubique intendit, peritia vernaculi idiomatis apprime necessaria sit, de novo addimus huic provinciae bina graduum loca, videlicet unum magisterium et unam praesentaturam pro titulo et lectione linguarum Mexicanae et Mistecae, quarum professores legitime deputati possint expleto suae lectionis sexennio ad praesentaturam, peracto vero in eadem decennio ad magisterium exponi ac postulari. Proinde volumus, quod p. provincialis quamprimum talibus exercitiis commodas horas designet, iisque omnes studentes saltem per biennium teneantur intervenire, alias nequeant exponi ad audiendas sive Hispanorum sive Indorum confessiones neque ad munus praedicandi, et insuper carebunt ubique voce passiva, nisi tamen de aliquibus constiterit per examen publicum et approbationem secretam, quod ante evolutionem talis biennii in alterutra dictarum linguarum ad sufficientiam instructi evaserint. Porro provincialis cum diffinitorio deputet harum linguarum idoneos professores, et studentes ex duabus illam, quam provincialis iusserit, teneantur addiscere.

9. Cum vero praeter has communiores linguas etiam extet in Mexico Chonchona aliaeque minorum populorum, nolumus etiam talium linguarum professores suo fraudari praemio, cuius interim maturam deliberationem et arbitrium remittimus diffinitorio provinciali.

Pro provincia s. Ioannis Baptistae del Perù.

1. Ordinamus pro hac provincia idem quod pro Mexicana quoad cathedras linguarum vernacularum, quas vocant la Quichoa et la Aymara, cum iisdem conditionibus, gradibus, obligatione studentium etc., prout in Mexicana iam expressum est § « Denique cum ad procurandam » et § « Cum vero praeter ».

2. Promovemus ad gradum magisterii, salvis iuribus provinciae, p. fr. Philippum de Spina; similiter ad gradum praesentaturae titulo praedicationis p. fr. Dominicum de Benavides cum retentione suae praedicaturae

generalis; item eodem titulo p. fr. Didacum de Abila, titulo vero lectionis p. fr. Emmanuelem de Cartagena, dispensantes cum his super defectu petitionis provinciae et vacationis loci atque concedentes, quod interim gaudeant privilegiis suorum graduum.

3. Cum eadem dispensatione et concessione citraque praeiudicium anteriorum instituimus praedicatores generales p. fr. Petrum Palomenos ad titulum linguae Indorum, p. fr. Ildephonsum Borsa, p. fr. Ioannem Vasquez, p. fr. Antonium Cisnero, p. fr. Antonium de Carbajal et p. fr. Ioannem de Chalos.

Pro provincia s. Vincentii de Chiappa.

1. Confirmamus omnia, quae pro bono regimine huius provinciae ordinata fuerunt in proximo capitulo Valentino quaeque seorsim reverendissimus p. fr. Thomas Turcus pro eadem disposuit, sicut et illa omnia, quae idem rev. p. fr. Raymundo Peramato dictae provinciae procuratori per suas patentes litteras seu commisit seu concessit, specialiter quoad conductionem fratrum ex Hispania ad praefatam provinciam; quae universa ac singula, quoad opus est, denuo concedimus, committimus et ordinamus.

2. Item concedimus congregationi intermediae huius provinciae id, quod pro correctione provincialis concessum fuit capitulo intermédio sive convocationi provinciae Mexicanae, sic tamen ut ad eam congregationem intermediam non addantur nec admittantur plures fratres, quam qui de iure ad ipsam pertinent.

Pro provincia s. Antonini de Novo Regno.

1. Ordinamus pro hac provincia ad conservandum magisque accendendum studium linguae Indicae ibidem communioris illud ipsum, quod supra in ordinationibus provinciae Mexicanae § « Denique cum ad procurandam » et § « Cum vero praeter » expressimus, cum iisdem favoribus ac gratiis professorum, obligatione studentium, forma, gradu, conditionibus etc.

2. Ad abolendos abusus et conservandas studiorum formalitates ordinamus et districte praecipimus, quod singula munia et officia studii in singulas distribuantur personas, ita ut unus non administret simul duo officia scholae, verbi gratia lectionem artium simul cum magisterio studentium etc.; volentes ac declarantes, quod talis combinatio plurium officiorum nullo modo suffragari debeat aut valere ad computandos ex isto capite plures annos lecturae pro gradu et forma. Provincialis vero, qui contra hanc ordinationem plura scholae officia in unam personam congesserit, ipso facto poenam suspensionis ab officio suo per 6 menses incurrat.

3. Ordinamus et inviolabiliter observari volumus, quod ad gradum

magisterii in hac provincia obtinendum titulo lectionis exigantur universim undecim anni lectionis, ad gradum praesentaturae integer cursus artium, unus annus magisterii studentium et duo anni lectionis theologicae: qui vero titulo praedicationis gradum aliquem sunt obtenturi, teneantur numerum annorum suae praedicationis, quem praefixit olim reverendissimus p. Rodulphius in suis ordinationibus pro hac provincia editis, quas quoad hoc innovamus sub eadem taxa poenarum in illis contenta, praesertim contra provincialem et diffinitores, quandocumque praesumpserint exponere ad gradus vel eos, qui nondum ad hos iuxta praescripta se habilitaverunt, vel locis actu nondum vacantibus.

4. Ne vero in posterum patres bene meriti praeter fas retardentur, ex eo quod interdum unus bina graduum loca distinet occupata, retinendo videlicet cum praedicatura generali simul gradum praesentaturae, renovamus super hoc ordinationem eiusdem reverendissimi patris Rodulphii, qua mandatur omnibus huiusmodi pp. praesentatis, ut praedicaturas generales derelinquant, quatenus in eorum locum vacantem alii a provincia postulentur. Proinde harum serie ac lege perpetuo valitura statuimus ac declaramus huiusmodi simultaneam retentionem amborum graduum iuribus provinciae adversari et, sicubi illa obtenta est vel in posterum obtinebitur sine legitima et expressa dictorum iurium derogatione in patentibus exhibenda, subreptitiam fore ac pro nulla habendam esse, sic tamen ut sic promotis liberum sit illum e duobus gradibus retinere, quem maluerint, dummodo intra spatium a p. provinciali sibi praefigendum se resolvant.

5. Prohibemus districte admodum rr. pp. provincialibus huius provinciae pro tempore, ne quocumque titulo vel praetextu possint onerare doctrinas novis pensionibus annuis in favorem cuiuscumque particularis sive magistri sive praesentati, lectoris etc., sed quidquid emolumenti ex moderata impositione colligi potuerit, communibus necessitatibus religiose ac fideliter impendatur, ut fabricis tum ecclesiarum tum conventuum, augmento et decori cultus divini, vestiariae communi fratrum etc., ne, dum unus abundat, alter egestatem patiatur.

6. Cum electio prioris provincialis facta in personam rev. p. fr. Ildephonsi de la Bandera non ob defectum personae electae, sed ob vitium ipsiusmet electionis fuerit cassata, concedimus et declaramus, quod idem p. fr. Ildephonsus de la Bandera sit pater provinciae gaudeatque omnibus gratiis ac privilegiis, quibus gaudere solent provinciales expleto officio provincialatus.

7. Promovemus ad gradum praesentaturae titulo lectionis loco actualiter vacante p. lectorem fr. Franciscum de Vargas.

Pro provincia s. Dominici Venetiarum.

1. Confirmamus et approbamus omnia ac singula privilegia, quae conventui nostro s. Dominici de Civitate quondam per reverendissimum p. fr. Seraphinum Siccum concessa et anno 1644 in capitulo generalissimo approbata fuerunt.

2. Eidem conventui, quantum in nobis est, concedimus, quod in illo suscipiantur ad habitum et educationem novitii conformiter ad privilegia alias indulta generali nostro novitiatui Parisiensi, prout habetur in capitulo generalissimo anni 1644 pag. 197 et in ultimo Valentino generali pag. 274; quae tamen pro sola susceptione novitiorum et non aliter dicto conventui suffragari volumus ac intendimus.

3. Acceptamus et huic provinciae incorporamus novum coenobium s. Ioannis Baptistae de Fara, nuper generosa munificentia illustrissimi d. Ricchardi Strasoldo S. C. Maiestatis chiliarchae erectum, servatis tamen servandis iuxta summorum pontificum decreta de numero fratrum alendorum eidem per publicum instrumentum exhibita; interim ad eiusdem d. fundatoris instantiam dictum coenobium committimus curae et inspectioni prioris Civitatensis pro tempore, donec in conventum formatum excrescat.

4. Acceptamus, servatis servandis, erectionem coenobii s. Secundi Venetiarum in conventum et prioratum iuxta instantiam serenissimi senatus et consensum trium capitulorum provincialium. Proinde instituimus pro dicto conventu praedicatorem generalem p. fr. Zacchariam Pizziani.

5. Approbamus magisterium rev. p. fr. Georgii Bovii de Patavio et promovemus ad eumdem magisterii gradum rr. pp. fr. Felicem Bertoni Venetum generalis studii nostri Patavini baccalaureum, fr. Hieronymum Erculani eodem officio iam perfunctum, fr. Petrum Martyrem Degna in regentem eiusdem generalis studii postulatum, fr. Innocentium Pencini Venetum in Patavina universitate metaphysices interpretem, et fr. Ioannem Petrum Bortoletti de Venetiis, qui in his generalibus comitiis publicas theses cum laude defendit. Quos omnes hoc gradu donamus circa praeiudicium suorum anteriorum iuxta petitionem provinciae et servatis de iure servandis.

6. Promovemus ad gradum baccalaureatus secundum antiquam provinciae consuetudinem et non obstantibus in contrarium quibuscumque p. fr. Ioannem Permuta Venetum, p. fr. Benedictum Bovium de Tarvisio, p. fr. Hyacinthum Istrana de Tarvisio, omnes magisterio studentium iam perfunctos.

7. Damus in regentem generalis studii nostri Patavini rev. p. magistrum fr. Petrum Martyrem Degna, et iuxta petitionem capituli provin-

cialis anno 1648 celebrati instituimus ibidem baccalaureum ordinarium p. fr. Bernardum Banelli de Tarvisio.

8. Damus ibidem generali studio magistrum studentium pro primo anno p. fr. Raphaelem Zaganam de Venetiis, in hoc generali capitulo pro Graeciae provincia electorem, pro secundo anno p. fr. Reginaldum Dolce de Venetiis.

9. Approbamus et concedimus transfiliationem p. fr. Marci Antonii Bonicelli a conventu s. Dominici de Iadra ad conventum s. Mariae Gratiarum de Este.

Pro provincia Armeniae.

1. Concedimus, quod p. provincialis Armeniae possit habere vocem in capitulis generalibus cum eius provincia tam conventuum quam fratrum numero incipiat reflorere.

2. Promovemus ad gradum magisterii rev. p. fr. Ioannem Dominicum Nazarium (1), in illo tractu missionarium apostolicum.

3. Instituimus praedicatores generales p. fr. Matthaeum Abarenensem et p. fr. Dominicum Ganzochensem.

Pro provincia s. Catharinae virginis et martyris de Quito.

1. Ordinamus pro hac provincia id, quod superius dispositum fuit pro Mexicana § « Denique cum ad procurandam » et § seq. « Cum vero », nempe ut pro communiori illius regionis idiomate duae instituantur cathedrae etc. sub iisdem praemiis professorum, annis lecturae, obligatione studentium aliisque clausulis ibidem expressis.

2. Promovemus ad magisterii gradum pro locis primo vacaturis rr. pp. fr. Bartholomaeum de Ledesma titulo lectionis, dum tamen annos theologicarum praelectionum expleverit, fr. Antonium Ballejo titulo praedicationis, et fr. Ioannem Sanchez Resalvo eodem titulo, interim ex nunc gaudere incipiant titulo, iure ac privilegiis magistrorum.

3. Promovemus ad gradum praesentaturae titulo praedicationis pro loco actualiter vacante per mortem admodum rev. p. fr. Henrici Rosero provincialis p. fr. Martinum de Cobos, p. fr. Antonium de Buillo titulo lectionis pro loco similiter iam vacante, dummodo cursum artium perfecerit; item pro locis proxime vacaturis p. fr. Ferdinandum Secum cum retentione suae praedicaturae generalis, interim gaudeat iuribus utriusque gradus, p. fr. Didacum Barera et p. fr. Ildephonsum Paramo titulo lectionis.

4. Instituimus praedicatores generales p. fr. Thomam de Cardenas ad titulum linguae Indorum pro loco actualiter vacante ob mortem admodum rev. p. fr. Henrici Rosero quondam provincialis, et p. fr. Thomam de

---

(1) De fr. Ioanne Dominico Nazario cf. SSOP. II, 579.

Vera ad eumdem titulum inque locum vacantem p. fr. Antonini Ortega p. fr. Alvarum de Ribadineira in locum vacantem fr. Thomae Serrano. Pro locis autem proxime vacaturis p. fr. Ioannem de Boccanegra, p. fr. Ioannem Silvestrum, p. fr. Ildephonsum Ramirez de Arellano, p. fr. Petrum Baraona, p. fr. Didacum de Prado, p. fr. Gasparem Martinez titulo praedicationis; et ad titulum linguae Indorum p. fr. Thomam de Bastida, p. fr. Paulum de Pineda, p. fr. Bartholomaeum de Vergaro, p. fr. Gabrielem Navarete, p. fr. Laurentium de Valenzuela et p. fr. Franciscum de Ayalo.

Pro provincia sanctissimi Rosarii Philippinarum.

1. Ad propriam huius provinciae instantiam cassamus et revocamus ordinationes pro ea factas in capitulo generalissimo anni 1644 de promovendis ad gradum praedicaturae generalis iis, qui per decennium idiomate Chinarum ministrarunt in xenodochio s. Gabrielis, et de promovendis in patres provinciae illis, qui per duodecim annos in Manilensi collegio s. Thomae sacram theologiam docuerunt, quandoquidem huius provinciae fratres pro sua modestia non cupiunt admittere gradus, contenti solo bravio, quod summus martyrum agonotheta Christus suis in evangelici apostolatus stadio currentibus praeparavit.

2. Item confirmamus et, quoad opus est, innovamus ordinationem ad eiusdem provinciae petitionem a rev. p. fr. Thoma Turco factam de primitiva eius consuetudine observanda quoad vicarios locorum, ne videlicet ultra biennium in tali officio durare ullatenus permittantur, non obstantibus in contrarium quibuscumque ordinationibus, concessionibus vel indultis a quocumque sive ordinis magistro sive generali capitulo emanatis, quas omnes revocamus et cassas fore decernimus.

3. Volumus hanc provinciam non comprehendi sub ordinatione 6. capituli Valentini generaliter facta pro provinciis Indiarum, proinde concedimus p. provinciali seu praesidenti illius, ut, quoties opus fuerit, cum consilio patrum conventus Manilae possit ab hac provincia dimittere et ad nativas eorum remittere fratres, quos ob infirmitatem seu spiritus seu corporis ad rigorem observantiae debiliores repererit, dummodo ipsimet petiverint; possit etiam iisdem formale praeceptum imponere, ut recte tramite ad suas provincias revertantur.

4. Ad eiusdem provinciae instantiam cassamus et abolemus eiusdem capituli Valentini ordinationem primam factam pro ista provincia de alterna videlicet capitulorum provincialium celebratione nunc Manilae, nunc Novae Segoviae etc.; reducentes quoad hoc et quoad ipsum quoque capitulum intermedium omnia in eum statum et arbitrium, ut erant ante praecitatam Valentini capituli ordinationem.

Pro provincia s. Hippolyti Martyris de Oaxaca.

1. Pro fovendo et promovendo summe necessario studio linguarum Zapothecae et Mistecae ordinamus in hac provincia ad amussim observari omnia illa, quae supra in statutis pro provincia Mexicana § « Denique cum ad procurandam » disposuimus, cum iisdem gratiis professorum, obligatione studentium, modo provisionis et ceteris ibidem latius explicatis; pro iis quoque, qui docuerint linguam Chinantecam, et si qua alia minus universalis ibidem extat, providebitur iuxta § « Cum vero », subiunctum alteri iam citato.

2. Deputamus pro loco annuae recollectionis domum nostram s. Hyacinthi erectam in civitate Antequerensi vallis de Oaxaca, ubi primorum illorum patrum, qui istius provinciae fundamenta iecerunt, exuviae mortalitatis requiescunt.

3. Ordinamus pro conventu nostro s. Dominici de Oaxaca, quod reditus, eleemosynae, pia legata et quaevis bona ad eius infirmariam spectantia nullo modo in alios quam infirmorum usus expendi possint ac omnino subsint custodiae et administrationi patris infirmarii per capitulum provinciale designati ac in posterum designandi, qui de his soli p. provinciali rationes in visitatione annua, et quoties ab eo postulatus fuerit, reddere teneatur.

4. Incorporamus et affiliamus huic provinciae p. fr. Didacum de Quebedo et p. fr. Petrum de Covarruvias.

5. Promovemus ad gradum praesentaturae titulo praedicationis p. fr. Ioannem del Toro et p. fr. Raphaelem Pinelo.

6. Instituimus praedicatores generales ad titulum linguae Indorum p. fr. Ioannem Galindo, p. fr. Antonium Martinez et p. fr. Ioannem Sanchez pro lingua Misteca; item pro lingua de los Chontales p. fr. Ioannem de Morga; pro lingua Chinanteca p. fr. Philippum de Herrera; pro lingna Mexicana p. fr. Emmanuelem Vaez; pro lingua de los Gavis p. fr. Ioannem Enriquez; pro lingua de los Mixes p. fr. Rodericum Gomez et p. fr. Iosephum de Vexarano; pro lingua Zapoteca Vallis p. fr. Matthaeum de Aragon, p. fr. Ioannem Ramos et p. fr. Ioannem Morales; pro lingua Zapoteca Terrae Calentis p. fr. Petrum de Olivera, p. fr. Melchiorem de Alares, p. fr. Hyacinthum Pereira et p. fr. Augustinum Vermudex.

Pro provincia s. Petri Martyris.

1. Ordinamus et sub poena absolutionis ab officio mandamus, ne quis superiorum in hac provincia quemquam nomine provinciae ad habitum sive clericalem sive conversorum recipiat, sed priusquam ad habitum quis recipiatur, deputetur ac designetur ei certus conventus, pro quo censeatur recipi, servatis etiam reliquis ex more servandis.

2. Declaramus, quod, ut p. theologus pro tempore universitatis Tau-

rinensis possit ingredi et acceptari in numerum magistrorum provinciae, debeat vere ac realiter saltem per continuum et integrum triennium legisse in ipso studio universitatis et insuper habere omnia illa requisita, quae exiguntur, ut quis admittatur in moderatorem seu magistrum studii, baccalaureum ac regentem generalis studii apud s. Eustorgium. Idem omnino statuimus quoad regentem studii in conventu Taurinensi.

3. Confirmamus factam huic provinciae ab ultimo capitulo generalissimo concessionem huius tenoris: Concedimus posse supplicari sanctissimo, ut legatum factum a Ioanne Maria Oddo de Albinga ad instituendum monasterium sanctimonialium nostri ordinis sub titulo sancti Thomae Aquinatis a patribus huius provinciae regendum, utpote exiguum et insufficiens ad dictum monasterium aedificandum, auctoritate apostolica applicare dignetur conventui nostro s. Dominici de Albinga ad alendos aliquot fratres loco monialium, qui pro anima dicti defuncti exorent.

4. Erigimus vicariatum nostrum s. Ioannis de Podeverino in conventum ac prioratum, dummodo constiterit eum habere fixos reditus, ex quibus duodecim fratres sustentare possit. Interim dictae domus bona ac reditus alio nequaquam divertantur, sed ad ampliora incrementa serventur, donec sufficiant numero duodenario fratrum alendo, atque interea, dum in mensuram formati conventus assurgat, subsit inspectioni prioris Taurinensis.

5. Promovemus ad gradum magisterii, salvis provinciae iuribus, admodum rev. p. fr. Georgium Rainoldi, qui a pluribus annis est regens generalis studii apud s. Eustorgium, et post eius secundum triennium ex nunc damus in regentem ibidem admodum rev. p. magistrum fr. Melchiorem Megliavaccam. In baccalaureum vero eiusdem generalis studii damus pro primo loco rev. p. lectorem fr. Bonaventuram de Alba, qui si forte illic occasione bellicorum motuum acceptari non potuerit, ex nunc pro tunc illum promovemus ad gradum magisterii, ne quid ex hoc obstaculo detrimenti patiatur, inque ipsius locum subrogamus ad idem officium pp. fr. Hieronymum Bizozecum, fr. Dominicum Mariam Tracium, fr. Vincentium Massariam baccalaureum, qui ibidem magisterio studentium iam defuncti sunt et iuxta ordinem suae professionis aggredientur munus baccalaurei ordinarii.

6. Damus in regentem studii Taurinensis pro primo loco ac durante bellorum inquietudine rev. p. fr. Carolum Camillum de Regibus de Aste, qui apud s. Eustorgium fuit magister studii.

7. Damus in magistros studentium apud s. Eustorgium secundum ordinem professionis ipsorum pp. lectores fr. Pium Pantiam et fr. Vincentium Milanum.

8. Instituimus in praedicatores generales, salvis provinciae iuribus

servatisque servandis, p. fr. Ioannem Baptistam Rovidam, priorem s. Eustorgii de Mediolano, et p. fr. Petrum Mariam Valfredum.

9. Promovemus ad titulum baccalaureatus, salvis iuribus provinciae, pp. lectores fr. Felicem Santfront, fr. Ioannem Alexandrum Ruschi (1), fr. Franciscum Cossam, fr. Franciscum Castilionem, fr. Iosephum Mariam Vicecomitem (2) et fr. Pium Pantiam.

Pro provincia s. Catharinae Senensis Aprutina.

1. Confirmamus ordinationem Valentiae 1647 factam pro hac provincia, quod nempe capitulum provinciale semper deinceps celebretur sabbato ante dominicam « Deus qui errantibus », et si ob mortem vel amotionem provincialis necesse fuerit extra hoc tempus celebrare capitulum novae electionis, provincialis in eo electus perseveret post expletum biennium in regimine provinciae titulo vicarii generalis, donec alius provincialis, recurrente illo praefixo sabbato eligendus, sit confirmatus et in provincia praesens.

2. Item confirmamus, quod in eodem capitulo generali pro hac provincia ordinatum fuit, ut, quoties eligendus erit provincialis de natione Neapolitana, capitulum provinciale celebretur in conventibus Aprutinis videlicet Sulmonensi, Aquilano, Theatino, Pinneti etc.; quando autem fuerit eligendus de natione Aprutina vel Hetrusca, capitulum celebretur in conventibus Neapolitanis Iesu Mariae, s. Severi, s. Mariae ab Arcu.

3. Ordinamus, quod singuli priores sub finem sui prioratus collecto patrum consilio plenam distinctamque rationem reddant sui regiminis et administrationis bonorum temporalium, et si inveniantur notabiliter defecisse, sint ex vi praesentis statuti inhabiles, ne deinceps ullibi in priores eligi possint.

4. Approbamus et confirmamus factam ab admodum rev. p. provinciali deputationem duorum conventuum pro exacta observantia, nimirum conventus Aquilani pro natione Aprutina et conventus s. Dominici de Pinna pro natione Hetrusca, committentes eidem p. provinciali, ut et tertium deputet pro natione Neapolitana.

5. Revocamus ad hanc provinciam omnes eius fratres extra degentes; qui, si infra spatium duorum mensium a notitia horum ad illam reverti distulerint, ipso facto privationem utriusque vocis incurrant sintque inhabiles ad omnes gradus, prout ex nunc tales privatos atque inhabiles esse declaramus.

6. Erigimus in conventum formalem nostram domum s. Dominici de Planella, dummodo habeat omnia requisita, et illi pro prima vice in

---

(1) De fr. Ioanne Alexandro Ruschi (Rusca) cf. SSOP. II, 689.

(2) De fr. Iosepho Maria Vicecomite cf. l. c. pag. 635.

priorem damus ac praeficimus rev. p. praedicatorem generalem fr. Donatum Perotium de Aretio.

7. Declaramus, p. fr. Maximum de Rittiis et p. fr. Petrum Martyrem Pipinum, qui ambo clericalem habitum receperunt in conventu Aquilano et non pro alio aliquo conventu, esse filios praenominati conventus s. Dominici de Aquila.

8. Confirmamus factam huic provinciae ab ultimo capitulo generalissimo concessionem, quod in studio generali s. Mariae ab Arcu numerus studentium formalium extraneorum sit binarius, numerus vero studentium formalium provinciae senarius; volentes, quod eis de vestiario provideat dictus conventus s. Mariae ab Arcu sicut ceteris fratribus de provincia ibidem assignatis, ordinatione rev. quondam patris Rodulfii, quod singulis provideretur ab originalibus ipsorum conventibus, non obstante; porro quoad hebdomadariam ab iisdem studentibus praestandam servetur provinciae consuetudo.

9. Concedimus, quod in hac provincia festum s. Ioannis Chrysostomi deinceps possit celebrari sub ritu totius duplicis.

10. Approbamus transfiliationem fr. Hieronymi Masulli conversi a conventu s. Severi maioris Neapoli ad conventum ss. Rosarii de Resenzano.

11. Acceptamus et approbamus magisteria rr. patrum fr. Evangelistae Colangeli, munere regentis in generali studio s. Mariae ab Arcu iam perfuncti, fr. Thomae Consolo, cuius regentiam Pragae expletam acceptamus, quasi eam exercuisset in ipsomet studio generali s. Mariae ab Arcu, una cum reliquis gratiis ac privilegiis sibi desuper concessis per litteras patentes rev. quondam vicarii generalis totius ordinis fr. Dominici de Marinis, nunc archiepiscopi Avenionensis, quae iussu rev. p. Rodulfii, tunc praesidentis generalis ordinis, fuere executioni mandatae. Item magisteria fr. Antonii Tortelli, nunc in dicto generali studio regentis, fr. Cherubini Ignella a rev. p. Turco instituti, fr. Ianuarii Mantinelli, qui ambo functi sunt officio baccalaurei ordinarii, et fr. Hyacinthi de Adamo, cuius lectura facta in conventu s. Crucis de Isernia per rev. p. Turcum admissa fuit, quasi peracta fuisset in dicto studio generali pro gradu et forma.

12. Approbamus praedicaturas generales rr. pp. fr. Thomae Caraffa pro conventu Iesu Mariae et s. Vincentii Neapoli, quem ei rev. p. Rodulphius designavit, fr. Salvatoris Farinae pro suo conventu nativo Sulmonensi, fr. Ioannis Baptistae de Rusticis pro suo originali conventu Pinneti et fr. Alberti Paganelli pro suo conventu originali Vastensi, locis actu vacantibus et non aliter.

13. Promovemus ad gradum magisterii, salvis provinciae iuribus, rr. pp. baccalaureos fr. Seraphinum Grassum et fr. Iacobum Ledesma, ambos

officio baccalaurei ordinarii iam perfunctos, fr. Carolum Capycium Latro, cuius lecturam approbavit rev. p. Turcus, ac si pro gradu et forma in studio generali ad Arcum fuisset exantlata, fr. Thomam Borrellum, qui baccalaureatu ordinario et regentia in generali studio Graecensi functus est, fratrem Davidem Canalem de facto baccalaureum ordinarium studii generalis ad Arcum, fr. Consalvum de Tufo baccalaureum collegii s. Dominici de Guardia Calabriae, fr. Ludovicum Troianum, fr. Reginaldum de Matthaeis, fr. Pelinum Ardentium, fr. Silvestrum Franco et fr. Petrum Rosella, qui omnes fuere magistri studentium in generali studio s. Mariae ab Arcu.

14. Ulterius ad eumdem magisterii gradum promovemus rr. pp. fr. Severum Barbinum, in hoc generali capitulo electorem, fr. Bernardinum Romanum de facto lectorem biblicum in generali studio s. Mariae ab Arcu, fr. Vincentium Consoli, fr. Theodorum de Ferrariis, fr. Ludovicum de Ubaldis, fr. Severum Spiritum, fr. Philippum de Athanasio, fr. Pium Colellam et fr. Thomam Argolum ad petitionem provinciae, quos omnes omnia scholastica munia iuxta dispositionem sacrarum constitutionum rite peregisse hoc capitulum supponit; his addimus p. lectorem fr. Angelum Apicellam.

15. Promovemus ad gradum baccalaureatus, salvis provinciae iuribus, pp. lectores fr. Bernardum Sarro, fr. Marcellum Oliverium, fr. Reginaldum Puccium, fr. Aegidium Ioanninum, fr. Michaelem Clorium, fr. Vincentium Bennati, fr. Michaelem Moninum, fr. Gabrielem Hilarium, fr. Ioseph Cortesium a Borbona, fr. Hyacinthum Iuvenem, fr. Ianuarium Santonem, fr. Ludovicum de Ayrola et fr. Thomam Romanellum.

16. Instituimus praedicatores generales in locis actu vacantibus et non aliter p. fr. Laurentium Cantarinum pro suo nativo conventu Theatino, p. fr. Petrum Martyrem de Assaro pro suo originali conventu s. Severi maioris Neapoli, p. fr. Ludovicum Gentileschi pro suo conventu originali Aquilano, p. fr. Felicem de Dominicis, p. fr. Valerianum Barlantem, p. fr. Ambrosium Baroccium, p. fr. Carolum Matthioli, p. fr. Augustinum de Anna, p. fr. Ioannem Baptistam Gentilem et p. fr. Onuphrium de Amicis, salvis iuribus provinciae.

17. Damus in regentem nostri studii generalis s. Mariae ab Arcu pro primo loco immediate post modernum regentem admodum rev. p. mag. fr. Antonium Tortelli admodum rev. p. mag. fr. Cherubinum Ignella, qui in serie baccalaureorum primus officio baccalaurei ordinarii functus est; in magistrum studentium pro primo loco vacaturo p. baccalaureum fr. Bernardinum Romanum ac deinde alios pp. lectores iuxta ordinem professionis ipsorum, prius tamen examinandos coram reverendissimo magistro ordinis.

Pro provincia Russiae s. Hyacinthi.

1. Damus in regentem nostri generalis studii Leopoliensis rev. p. fr. Casimirum de Leopoli et in baccalaureum ordinarium pro primo biennio p. fr. Camillum Piontokowski, pro secundo biennio p. fr. Felicianum Folta; ibidem damus in magistrum studii pro primo anno p. fr. Raymundum Kamienski, pro secundo anno p. fr. Michaelem Malinowski.

2. Concedimus admodum rev. p. fr. Modesto Borkowski, huius capituli generalis diffinitori, ut sibi eligere possit intra suam provinciam aliquem conventum, in quo commoretur, ita quod ab illo removeri non possit, reverendissimo magistro ordinis inconsulto.

3. Promovemus ad gradum magisterii, salvis provinciae iuribus, rr. pp. fr. Iosephum Smolowski, fr. Modestum Borkowski et fr. Ambrosium Dzirolowski; ad gradum vero baccalaureatus p. fr. Samuelem Kuchlinowski, p. fr. Hyacinthum de Camienecz, p. fr. Stanislaum Swiderecki et p. fr. Hyacinthum Rzezkowski.

Pro provincia Parisiensi.

1. Confirmamus omnia et singula privilegia, concessiones, indulta, statuta, ordinationes, praecepta cum omnibus suis clausulis et annexis poenis, quaecumque a diversis nostri ordinis magistris generalibus aut eorum vices gerentibus a tempore reverendissimi p. fr. Seraphini Sicci bonae memoriae usque in hunc diem pro tuenda et amplificanda regulari disciplina in favorem conventuum rigidioris observantiae sub proprio vicario in hac provincia constitutorum emanarunt, hoc monito, quod, quae illic habentur aut quoquo modo enuntiantur de vicario generali congregationis Gallicanae, deinceps intelligenda sint de provinciali Parisiensi, videlicet ex quo dicta congregatio iam erecta fuit in provinciam. Proinde manent ac manebunt in suo perpetuae firmitatis robore tum ea, quae praememoratus rev. p. fr. Seraphinus Siccus pro conventibus regularis observantiae in congregatione Britannica diversis vicibus constituerat, praesertim in literis suis patentibus Romae 6. iulii 1627 ad p. mag. fr. Natalem Deslandes (1) datis, quaeque postea a suo successore rev. p. fr. Nicolao Rodulphio bina vice, nimirum 12. iunii 1629 et iterum 14. decembris 1641 fuere confirmata, tum etiam caetera, quae idem rev. p. fr. Rodulphius ex consensu et conventione inter procuratorem congregationis Gallicanae, nunc provinciae Parisiensis, p. fr. Iulianum Joubert, priorem Lugdunensem magistrum, et p. mag. fr. Petrum Iovaud, procuratorem conventuum regularis observantiae, adiecit, salva correctione tertii articuli facta per eumdem rev. p. Rodulphium 14. decembris 1641, qua ablata fuit illa re-

(1) De fr. Natali Deslandes cf. SSOP. II, 545.

strictio de necessaria praemonitione et consensu priorum sive praesidentium in casu assignationis vel revocationis fratrum facienda a p. vicario.

2. Declaramus etiam permanere in primo suo vigore ac robore omnia illa, quae admodum rev. p. mag. fr. Franciscus Gallasinus, tunc apostolica auctoritate ad regimen ordinis deputatus, pro eiusdem observantiae tutela et incremento statuit, concessit et ordinavit in suis litteris patentibus tum 13. novembris tum 13. decembris 1642 datis. Item illa quae rev. p. fr. Vincentius Candidus, tunc vicarius generalis apostolicus totius ordinis, stabilivit in suis literis Romae datis 1. ianuarii anno 1644.

3. Denique cum bonae memoriae rev. p. fr. Thomas Turcus non solum supradicta omnia suis 30. maii 1644 datis confirmarit, verum etiam sex alios articulos de potestate vicarii congregationis Britannicae, de requisitis graduandorum, de missione studentium et cura novitiorum adiunxerit, ut constat ex eiusdem litteris patentibus die 24. novembris anno 1646 apud s. Sebastianum in Hispania datis, decernimus ea omnia, ut iacent, accuratissime observari debere sub poenis, nullitatibus, censuris ac praeceptis inibi contentis, non secus ac si singulorum articulorum tenor hic de verbo ad verbum insertus exprimeretur; hortantes admodum rev. p. provincialem, quisquis fuerit pro tempore, quatenus praedictam certorum conventuum observantiam ac vivendi rationem sibi ut pupillam oculi commendatam habeat, eiusdem incolumitati ac salutari propagationi studium ac vires omnes impendat et sensim totam suam provinciam ad huius exactioris disciplinae sanctam uniformitatem reducere serio laboret.

4. Revocamus etiam in memoriam et renovamus, quoad opus est, ordinationem capituli generalissimi Romani an. 1644 celebrati, qua salubriter inter alia constituitur, quod in capitulis tunc congregationis Gallicanae, nunc provinciae Parisiensis, semper ad minus unus eligatur diffinitor ex praedictis conventibus congregationis Britannicae sub proprio vicario constitutis, quod quidem vicarius vocem etiam activam habeat in quavis electione prioris provincialis nostrae provinciae Parisiensis.

5. Damus in baccalaureum pro facultate Bituricensi p. fr. Giraldum Tronier, dispensantes cum eo super aulica Parisiensi, eo quod publicas conclusiones in hoc generali capitulo propugnavit.

Pro provincia Lituaniae s. Angeli Custodis.

1. Concedimus huic provinciae, ut in ea festum compassionis beatissimae virginis Mariae quotannis proxima feria sexta non impedita ante dominicam palmarum sub ritu totius duplicis celebretur.

2. Concedimus nostro conventui Ostrovicensi tamquam sub titulo ac patrocinio sanctorum martyrum Cosmae et Damiani fundato, quatenus in posterum die anniversaria horum sanctorum officium sub ritu totius duplicis in ipso peragatur.

3. Approbamus factam a praeterito p. provinciali acceptationem aliquot locorum pro novis conventibus oblatorum, qui nempe sunt Poporcensis, Orszanensis, Praelicensis et Sokolnensis, atque ulterius pro eiusdem provinciae in magno ducatu Lithuaniae amplificatione concedimus p. provinciali pro tempore, quod de consilio discretorum et servatis servandis alia insuper idonea loca, sicubi offerentur, valeat acceptare.

4. Ordinamus, quod in hac provincia deinceps capitulum provinciale semper celebretur sabbato immediato ante secundam dominicam post octavas sanctissimae Trinitatis.

5. Declaramus, quod in hac provincia sicut in reliquis nostris provinciis ultramontanis provincialis electus statim ab electione sua inchoet regimen suae provinciae, sub titulo tamen vicarii generalis dumtaxat, donec sua electio confirmetur vel cassetur.

6. Mandamus districte sub poenis in constitutionibus et alibi expressis, quod fratres de hac provincia alio fugientes nuspiam aliter quam in carceribus recipiantur, sicque per quindenam ad minus castigati recta iterum ad suam provinciam redire cogantur.

7. Cum in Prussia conventus noster Regiomontanus a multis iam annis sit in haereticorum civium manu ac detentione, concedimus, quod interim socius p. provincialis pro tempore gaudeat titulo huius prioratus.

8. Erigimus vicariatum nostrum Vilnensem ss. Philippi et Iacobi in conventum ac prioratum, dummodo ad minus duodenarium fratrum numerum de praesenti ac stabiliter sustentare sufficiat; eidem vero conventui pro hac prima vice admodum rev. p. provincialis de idoneo priore providebit.

9. Damus in regentem nostri generalis studii Vilnensis pro alio triennio iuxta flagitationem provinciae admodum rev. p. baccalaureum huius generalis capituli diffinitorem fr. Prudentium Gros.

10. Ibidem in baccalaureum ordinarium damus p. fr. Athanasium Wierzbolomiz baccalaureum, approbantes insuper ac ratam habentes factam designationem p. lectoris fr. Marini in magistrum studentium.

11. Promovemus ad gradum magisterii, salvis provinciae iuribus et pro locis numerariis actu vacantibus et non aliter, rr. pp. baccalaureos fr. Adamum Tarnawski, fr. Prudentium Gros regentem Vilnensem et fr. Marcellianum Doroszewski; similiter salvis iuribus etc. ad gradum baccalaureatus promovemus pp. theologiae lectores fr. Iacobum Gorecki, modernum generalis studii Vilnensis baccalaureum ordinarium, fr. Reginaldum Tyskiewiecz, fr. Michaelem Woynilowicz et fr. Dominicum Woronowicz.

12. Instituimus sub eadem restrictionis formula praedicatores generales p. fr. Petronium Orda priorem Wirboloviensem, p. fr. Chrysostomum

Kurowicz praedicatorem Rosinensem, p. fr. Severinum Griniewicz praedicatorem Merecensem et p. fr. Raphaelem Kuczynski praedicatorem Ostrovicensem.

Pro provincia s. Mariae de Candelaria alias Canariarum.

1. Erigimus nostram congregationem insularum Canariarum in provinciam sub nomine ac tutela s. Mariae de Candelaria.

2. Ordinamus, quod in hac provincia capitulum provinciale semper celebretur sabbato ante dominicam pentecostes; statuentes, quod modernus p. provincialis post expletum sui officii terminum perduret in regimine, usque dum in vigilia pentecostes proxime secutura novus provincialis canonice fuerit a capitulo electus, quem etiam electum antiquior eiusdem capituli diffinitor ex nomine rev. magistri ordinis, modo quo id in ista provincia fiebat, dum adhuc erat congregatio, confirmet. In eodem vero capitulo electionis semper etiam eligatur diffinitor et socius, ut enormes sumptus et incommoda vocalium evitentur. Ex eadem ratione, nec non attenta maxima insularum atque conventuum distantia, concedimus, quod capitulum intermedium possit omitti.

3. Acceptamus domum seu vicariam nostram s. Mariae Nivium oppidi de Aguines insulae Canariae et alteram s. Dominici de Soriano oppidi de Guimar insulae Teneriffae eamque declaramus incorporatam et subiectam esse conventui ac priori s. Mariae Regalis de Candelaria, qui una cum consilio patrum ei providebit de vicario; et si contingat hunc quacumque de causa tali officio debere dimoveri, idipsum per p. provincialem iniungatur exequendum dicto priori, ad quem deinde ulterius spectabit novum ibidem instituere vicarium.

4. Confirmamus huic provinciae facultatem a rev. p. fr. Thoma Turco sibi concessam mittendi binos ex suis studiorum causa ad conventum nostrum Salmantinum.

5. Ordinamus, quod nullus exponatur ad publice concionandum vel ad secularium confessiones audiendas, nisi approbatus in conventu s. Dominici de Laguna vel coram ipsomet p. provinciali, si fuerit in aliis insulis. Idem quoque provincialis in suis visitationibus omnes confessarios teneatur examinare.

6. Statuimus, quod provincialis invigilet, ne sorores nostri ordinis internam communicationem habeant cum confessariis extra ordinem sub praetextu cuiuscumque paternitatis spiritualis.

7. Volumus, quod conventui s. Dominici de Laguna, velut qui pro ceteris pondus generalis studii sustinet, singuli alii conventus annuatim persolvant contributionem in hac provincia iam taxatam.

8. Concedimus, quod filiatio p. fr. Christophori Calvi Osorii transferatur a conventu s. Dominici de Ossuna provinciae Bethicae ad con-

ventum s. Dominici de Laguna, supplentes consensum termini a quo, dummodo in termino ad quem duae tertiae capitularium in receptionem consenserint.

9. Damus in regentem generalis studii p. praesentatum fr. Christophorum Cortes Lassum, in primarium theologiae lectorem p. fr. Christophorum Calvum Osorium, in lectorem vespertinum p. fr. Baltasarem Guerra, in magistrum studentium p. fr. Stephanum Laurentium et in lectorem artium p. fr. Ildephonsum Telaricum.

10. Concedimus et decernimus, quod in hac provincia loca magistrorum sint sex, tria videlicet titulo lectionis et totidem titulo praedicationis; item loca praesentatorum sint octo, nimirum 4 titulo lectionis, reliqua pro titulo praedicationis; ordinantes, quod in postulationibus graduum titulo praedicationis praeferantur illi, qui per aliquot annos officium lectoris casuum conscientiae exercuerunt.

11. Promovemus ad gradum magisterii in locis actu vacantibus rr. pp. praesentatos fr. Gasparem Cabral et fr. Christophorum Cortes Lassum generalis studii regentem, ambos titulo lectionis, tertium porro locum iam obtinet admodum rev. p. mag. fr. Dominicum de Herrera; titulo vero praedicationis creamus magistros rr. pp. praedicatores fr. Ioannem Morera, fr. Bartholomaeum de Cabrera, fr. Maurum de Heiltas, in locis similiter actu vacantibus.

12. Ad gradum praesentaturae titulo lectionis promovemus rr. pp. lectores fr. Christophorum Calvum Osorium professorem primarium, fr. Baltasarem Guerra vespertinum, fr. Stephanum Laurentium magistrum studii et p. fr. Ioannem de Cospedal; titulo autem praedicationis rr. pp. praedicatores generales fr. Ioannem Xuares Pimentel s. officii consultorem, fr. Antonium Romero, fr. Ioannem de Avalos, et in horum loca vacantia instituimus praedicatores generales p. fr. Gundisalvum de Miranda, p. fr. Felicem de Avalos et p. fr. Thomam Rodriguez.

Pro congregatione s. Mariae Sanitatis.

1. Mandamus, quod studium generale omnino transferatur a conventu s. Mariae Sanitatis ad conventum Montis Dei de Neapoli pro feliciori tutela et profectu tum observantiae tum studiorum, erigentes dictum conventum in collegium praefatae congregationis cum omnibus iuribus et privilegiis, quibus huiusmodi collegia potiri solent.

2. Volumus, quod nullus possit fieri magister studentium, nisi integro quadriennio prius alicubi theologiam praelegerit. Officium vero magistri studentium biennio finiatur; baccalaureus autem ordinarius et regens studii, qui semper debeat esse ex magistris, legant per triennium, ne numerus graduandorum supra modum excrescat.

3. Praeterea decernimus, quod in posterum tres dumtaxat baccalaurei

ordinarii gaudeant loco, ceteri careant, donec successive per loci vacantiam subintrent secundum ordinem suae promotionis.

4. Ordinamus, quod in posterum nullus instituatur baccalaureus de solo titulo, sed illi tantum hoc nomine gaudeant, qui munus baccalaurei ordinarii in praedicto vel alio studio generali exercuerunt.

5. Cum in capitulo generalissimo Romae 1644 celebrato fuerint pro hac congregatione creati plures magistri, quam numerus in ea taxatus requirebat, simulque tunc ordinatum, quod hi utpote simul creati intrarent successive in dictum numerum loco decedentium, servato ordine suae professionis, declaramus, quod, postquam hi omnes iam ingressi dictum numerum, tunc quoad alios in posterum promovendos attendatur antiquitas promotionis pro effectu ingrediendi eumdem numerum, nisi forte de aliquo ob peculiare ius aut merita aliter statuerit magister ordinis.

6. Promovemus atque instituimus praedicatores generales pro locis actu vacantibus rr. pp. fr. Hieronymum Tisone pro conventu Beneventano, fr. Franciscum Crispum pro conventu Argentino, fr. Ludovicum Figliolinum pro conventu Barrensi et fr. Marcum de Alexandro pro conventu Miani.

7. Confirmamus praedicaturam generalem p. fr. Gregorii Sabalitii pro conventu s. Spiritus iuxta institutionem rev. p. generalis Turci bonae memoriae factam per litteras speciales.

8. Strictissime iniungimus ac mandamus prioribus atque praesidentibus conventuum, ut omnino curent, quatenus sodalitates sanctissimi Rosarii illic erectae se conforment sodalitati erectae in conventu Sanitatis, iuxta normam a p. magistro fr. Calixto de Misanello conscriptam, pluries impressam atque a rev. magistris ordinis acceptatam et approbatam.

Pro congregatione Sardiniae.

1. Concedimus, quantum in nobis est, facultatem fundandi novum coenobium fratrum in oppido Osili Sardiniae, servatis servandis.

2. Volumus inviolabiliter observari statuta p. mag. fr. Ioannis Mariae Castelli de Morbinio visitatoris circa duos conventus civitatis Saceris, tamquam legibus ordinis conformia et a rev. p. Turco approbata.

3. Promovemus pro locis actu vacantibus et non aliter ad gradum quidem magisterii rr. pp. praesentatos fr. Salvatorem Azorium, priorem ac regentem Calaritanum eiusdemque universitatis cathedraticum, fr. Ambrosium Salis socium vicarii generalis et fr. Hieronymum Contena; ad gradum vero praesentaturae pp. lectores theologiae fr. Ioannem Baptistam Serra priorem s. Dominici Saceris, fr. Thomam Ortu, fr. Eusebium Pi-

cioni (1), fr. Thomam Cani, et titulo praedicationis fr. Gavinum Piquer ac fr. Hyacinthum Siddi; instituimus praedicatorem generalem pro conventu Calaritano p. fr. Vincentium Gambula.

Pro congregatione Indiarum Orientalium.

1. Concedimus licentiam fr. Antonio Cabral redeundi ex Indiis orientalibus ad provinciam Portugalliae.

2. Dispensamus cum p. fr. Ioanne de Norogna quoad functionem hebdomadariae.

3. Promovemus ad gradum magisterii rev. p. praesentatum fr. Franciscum de s. Petro, dispensantes cum eo in 5 mensibus, qui desunt quadriennio suae lecturae post baccalaureatum adhuc debitae.

4. Promovemus ad gradum praesentaturae titulo lectionis pp. lectores fr. Franciscum de Martyribus et fr. Thomam de Macado, titulo vero praedicationis fr. Ioannem Rangel, qui ex nunc gaudebunt loco.

5. Instituimus praedicatores generales p. fr. Emanuelem de Iesus et p. fr. Antonium de Acevedo pro locis vacantibus aut proxime vacaturis.

Pro novitiatu generali Parisiensi.

1. Novitiatus generalis Parisiensis institutum seu ad observantiae regularis manutentionem et incrementum in ordine utilissimum nostra adhuc auctoritate munire et firmius stabilire volentes confirmamus, quae in capitulo Romano 1644 et Valentino 1647, et quae per venerabiles magistros generales ordinis ff. Nicolaum Rodulphium et Thomam Turcum statuta fuerunt pro institutione, manutentione et bono regimine praefati novitiatus generalis Parisiensis, perinde ac si de verbo ad verbum hic inserta essent. Specialiterque ordinamus et districte mandamus, ut, sicut praedictus noster novitiatus pro seminario et novitiatu generali totius ordinis et praesertim provinciarum Galliae in strictiori observantia ad eiusdem observantiae propagationem institutus fuit, fundatus et acceptatus sub immediato magistri ordinis gubernio, ita in eodem seminarii et novitiatus generalis statu et instituto et sub eodem immediato magistri ordinis gubernio permaneat, et ita ut nulli provinciae aut congregationi quovis praetextu uniri possit et ad solum magistrum ordinis pertineat, nulla praecedente fratrum praefati novitiatus electione aut postulatione eidem novitiatui de magistro novitiorum seu superiore, toties quoties opus fuerit, pro beneplacito providere.

2. Praeterea volumus et mandamus, ut nullus praefato in novitiatu recipi possit ad habitum vel professionem pro et nomine praefati novitiatus, praecipientes superiori illius pro tempore in virtute Spiritus sancti

---

(1) De fr. Eusebio Picioni cf. SSOP. II, 664.

et s. obedientiae sub formali praecepto et poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, ut nullum recipiat ad habitum vel professionem nisi pro et nomine alicuius alterius determinati conventus, irritum et nullum decernentes et declarantes, quidquid in contrarium contigerit attentari.

3. Omnes vero hactenus praetensas affiliationes pro dicto novitiatu quocumque titulo et causa utpote contra institutum et finem eiusdem novitiatus nullas et invalidas declaramus, prout iam in capitulo Romano 1644 praefato nullae declaratae fuerunt et invalidae. De plenitudine nostrae potestatis confirmamus omnes et singulas affiliationes datas a venerabili p. magistro ordinis fr. Thoma Turco pro omnibus et singulis, qui in dicto novitiatu ad habitum ordinis nostri vel professionem admissi sunt pro variis conventibus datas, nimirum pp. ff. Iuliano a s. Ioseph seu Tavernier, Philippo de Blemur et Ioseph Senault pro conventu nostro s. M. Annuntiatae Parisiensis; Iacobo Barelier, Petro Iosse, Ioanni Bapt. Feuillet et Petro Fontaine in conventu nostro Gonessiano; Ioanni Tarpon, Michaeli Prot et Vincentio Vallette in conventu nostro Nanceiano; Ioanni Bapt. du Tertre in conventu Tullensi congregationis s. Ludovici; Ioanni a s. Georgio, Nicolao Fouquet et Amando a Cruce in conventu Cadomensi provinciae Franciae; Iordano Laczu in conventu Tuarcensi eiusdem provinciae. Quas omnes praefatas affiliationes omnino valere volumus et, quatenus opus sit, omnes et singulos praefatos fratres praefatis conventibus affiliamus de novo et incorporamus et illis affiliatos et incorporatos decernimus et declaramus. Eos vero, qui suscepto ordinis habitu in aliis conventibus in praefato novitiatu nostro professionem emisere, nimirum pp. ff. Ioannem Dujan conventus nostri Regulensis provinciae nostrae Tholosanae, Nicolaum Durand, Iacobum le Tarque, Petrum Godebault, Henricum Iames, Ioannem Guibert conventus Rothomagensis provinciae nostrae Parisiensis, eorumdem conventuum filios decernimus et declaramus, in quibus habitum susceperunt. Eos denique, qui alicui conventui nondum fuerunt affiliati, scilicet pp. ff. Matthiam du Puiz conventui nostro Lingonensi, Ioannem Baptistam Thomasson conventui Pruvinensi provinciae nostrae Franciae; et si qui alii sunt, provinciae nostrae Tholosanae vel ubi bene visum fuerit venerabili p. magistro generali, affiliamus et incorporamus. PP. autem Raymundum Tiquet, Ludovicum Hazar et fr. Carolum Patrocle clericum ob infirmam eorum valetudinem in eodem novitiatu in perpetuum assignamus, fratresque conversos, qui ibidem habitum ordinis suscepere et professionem emisere, utpote ad domestica ministeria utiles, ad eumdem novitiatum pertinere tamquam filios decernimus et declaramus. Mandantes in virtute Spiritus sancti, s. obedientiae sub formali praecepto, nec non sub poena privationis utriusque vocis

ipso facto incurrenda omnibus et singulis praefatorum conventuum tam capitibus quam membris, ut praefatos fratres sicut supra affiliatos aut in filios declaratos in praefatis conventibus pro veris et legitimis filiis praefatorum suorum conventuum habeant et agnoscant in omnibus et per omnia. Ipsis autem praefatis ut supra filiis et affiliatis praecipimus in virtute Spiritus sancti et s. obedientiae sub formali praecepto, nec non sub poena privationis vocis activae et passivae et inhabilitatis ad quoscumque gradus et officia ipso facto incurrenda, ut praefatas affiliationes acceptent et pro praefatorum conventuum filiis se habeant. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen. Quibuscumque oppositionibus, quas nullas ex nunc pro tunc dicimus et decernimus, et quibusvis in contrarium non obstantibus.

Protestatio patris secretarii ex ordine capituli.

Cum s. d. n. Urbanus papa VIII. die 13. martii an. 1625 in s. congregatione S. R. et universalis inquisitionis decretum ediderit idemque confirmaverit die 5. iulii 1634, quo inhibuit imprimi libros hominum, qui sanctitate seu martyrii fama celebres e vita migraverunt, gesta, miracula, vel revelationes seu quaecumque beneficia tamquam eorum intercessionibus a Deo accepta continentes sine recognitione atque approbatione ordinarii, et quae hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata; idem autem sanctissimus die 5. iunii 1631 ita explicaverit, ut nimirum non admittantur elogia sancti vel beati absolute, et quae cadunt super personam, bene tamen ea, quae cadunt supra mores et opinionem cum protestatione in principio, quod iis nulla adsit auctoritas ab ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes auctorem. Huic decreto eiusque confirmationi et declarationi observantia et reverentia, qua par est, insistendo profiteor, me haud alio sensu, quicquid in hoc libro refero, accipere aut accipi ab ullo velle, quam quo ea solent, quae humana dumtaxat auctoritate, non autem divina catholicae Romanae ecclesiae aut sanctae sedis apostolicae nituntur, iis tantummodo exceptis, quos eadem s. sedes sanctorum, beatorum aut martyrum catalogo adscripsit.

Fratres et sorores, qui pretiosa in conspectu Domini morte obierunt.

In provincia Romana.

1. Tametsi huic provinciae numquam defuerint in utroque sexu personae singulari exemplo ac vitae sanctimonia illustres, earum tamen hactenus in postremis aliquot generalibus capitulis nomenclatura, quod miramur, omnino deest; quam proinde hic permixtim cum aliis novissime in Domino gloriose defunctis intexere visum est, ne publica ipsorum, qua dignae sunt, memoria tractu longioris temporis obsolescat.

2. Admodum rev. p. mag. fr. Petrus Paulus Philippius (1), vir non minus vitae quam doctrinae sublimitate excellens, ut inter alia ostendit eius tractatus de gratia Christi typis editus et alius manuscriptus de reformatione ordinum; disciplinam regularem multis intra extraque Italiam provinciis restituit, ad amussim regulae et constitutionum vivebat, communis vitae labores, rigorem, onera ubique sectando, adeo ut etiam actuali regentis officio districtus chorum noctu et interdiu frequentaret. Orationi ac studio semper affixus, tandem plenus meritis nonagenarius in pace requievit Romae in conventu s. Mariae super Minervam.

3. Ven. p. fr. Ignatius Festinus (2), s. Philippi Nerei aliquando confessarius, pluribus annis examinator episcoporum, saepius Romae et alibi prior, vicarius generalis Aprutinus, provincialis Romanus, perpetuum fuit accuratae observantiae exemplar, chori et communium exercitiorum sectator indefessus; demum octogenarius obiit ibidem suaeque sanctimoniae gratam apud omnes memoriam reliquit.

4. Admodum rev. p. mag. fr. Thomas de Marinis, scholae functionibus in nativo conventu Romae summa cum laude exantlatis, a reverendissimo ordinis magistro Galaminio ob raras suas dotes assumptus in socium, deinde a successore reverendissimo Sicco insuper titulo provincialis Terrae sanctae exornatus, Romanae etiam provinciae aliquandiu praefectus vicarius, noctu et interdiu omnibus horis canonicis intererat, licet gravissimis ordinis negotiis perpetim distineretur. Ultramontes destinatus commissarius generalis in utraque Germania et Bohemia religionis formam passim obliteratam, alicubi fere extinctam summa patientia, immensis laboribus ac prodigiosa dexteritate restituit. Pluribus annis hebdomadatim feria 2., 4. et 6. in pane et aqua ieiunare solitus, tandem utriusque Siciliae commissarius generalis Neapoli visitatoris munere fungens, inter arduos pro ordine labores tot meritis gravis animam reddidit creatori.

5. Admodum rev. p. mag. fr. Franciscus Magdalenus Capiferreus, ex s. Francisca Romana descendens, austeritatum ordinis tenacissimus, carnes numquam edebat etiam cum mensis principum assideret; ad carnem nonnisi laneis semper usus, ieiunia ordinis numquam violabat, insuper omni sabbato, vigiliis beatissimae Virginis, apostolorum et sanctorum ordinis, nonnullisque aliis solo pane et aqua victitabat; itinera magna ex parte pedes conficiebat, cum summa literatura summam animi demissionem coniunxerat. Fuit socius commissarii s. officii, rector collegii Graecorum, secretarius indicis, prior conventus Minervae, denique provincialis Romanus, quo in munere Perusii sancte decessit.

---

(1) De fr. Petro Paulo Philippio cf. SSOP. II, 558.

(2) De fr. Ignatio Festino cf. l. c. pag. 406; Masetti l. c. pag. 76.

6. Rev. p. fr. Ioannes Cenninus, Roma Salmanticam studiorum causa missus, mira illic poenitentiae exempla et sanctitatis famam reliquit; observantiam ardore incredibili amavit et coluit; summa doctrina conspicuus et theologus praelectionum meritis gravis, numquam tamen scholasticum aliquem gradum admittere voluit, et licet improprium corpus tam asper ac durus, attamen austerissimae vitae tantam coniunxerat erga alios suavitatem, ut plurimos sola morum lenitate ac dulcedine ad bonum frugem attraxerit magnumque inde animarum lucrum reportarit. Obiit Romae in conventu s. Mariae super Minervam.

7. Fr. Mansuetus Vitry conversus, portarius, misericordia erga pauperes mire fervuit totus in eleemosynis erogandis. Pene singulis noctibus claustrum maius integre circuibat, duriter flagellando corpus suum. Sub vitae finem longa et molestissima aegritudine usque ad ossa absumptus, patientiae clarum et iuge specimen dedit ac tandem spiritum iis cruciatibus bene expurgatum devote reddidit creatori ibidem.

8. Fr. Iacobus conversus sui status et vocationis observantissimus, vir simplex et rectus, quadam singulari cum reverentia et mansuetudine fratribus serviebat; otio perpetuum bellum indixerat, adeoque consummato virtutum exemplo nituit, quod ipsius curae et instructioni commendabantur conversi novitii, ut ab eius idea ad omnem religiosae vitae morumque perfectionem formarentur. Ibidem obiit.

9. Ven. p. mag. fr. Timotheus Riccius celeberrimus praedicator, in verbo et opere magnus, praesertim ad resuscitandam in Italia et alibi ss. rosarii devotionem divinitus, ut apparuit, destinatus, velut alter nostri seculi Alanus enituit. Recitationem publicam rosarii, quae nunc ab utriusque sexus fidelibus ubique fit palam in templis, primus introduxit, idem rosarium perpetuum primus instituit. Denique post gloriosos in animarum lucro conatus ac labores Fesulis persancte expiravit.

10. Admodum rev. p. mag. fr. Ignatius de Nente solitudinis et contemplativae vitae recessus avide sectari solitus, unde frequens erat in monte Senario, ut inter sanctos illos eremicolas ordinis servorum b. Mariae liberiori unioni spiritus cum Deo vacaret. Reliquit post se nonnulla mysticae theologiae opera manuscripta, lectu dignissima, ex quibus typo fuere procusa quaedam soliloquia et vita admirabilis Henrici Susonis idiomate italico. Ad honores et officia nonnisi vi obedientiae adactus vir humillimus accedebat. Pollebat dono consilii, ob quod a viris illustribus totaque curia serenissimi m. ducis Hetruriae, cuius serenissimae consorti erat a sacris confessionibus, magni fiebat, ac velut alter Antoninus consiliorum frequentabatur. Ante obitum annis compluribus gravi et continua infirmitate laborans, mire se ad patientiam exercuit, semper cum Deo aut de Deo sermocinando. Monitus, ut ad agonem se compararet,

placide respondit, numquam se aliud voluisse animo a momento, quo religionis habitum susceperat. Defuncti vestimentis devotus populus certatim decerpsit particulas. Corpus usque modo supra humum asservatur seorsim in deposito. Obiit Florentiae in conventu s. Marci.

In provincia Theutoniae.

1. Frater Fidelis Kircher, clericus, Aystadii professus, iuvenis eximiae spei ob morum simul et ingenii raram excellentiam ac in omni vita sua religiosissimus, cum anno 1646 aetatis suae 22. correptus febri mortem instare sentiret, totius vitae suae quamvis innocentissimae generalem confessionem instituit, firmiter testante confessario s. theol. lectore, numquam lethali crimine fuisse inquinatum. Purissimam hanc animam s. p. n. Dominicus paulo ante obitum dulciter conspicuus visitavit, in cuius honorem, dum responsorium « O spem miram » capite, quantum valebat, erecto fortique voce, qua numquam consueverat, devotissime cecinisset, fixis in coelum oculis placide expiravit 20. ianuarii.

2. Colmariae in monasterio sub Tilia miro patientiae et devotionis exemplo spiritum Deo reddidit soror Agnes Wirtnerin velata, aetatis quidem suae an. 77, continuae autem infirmitatis 42. Quoad vixit orationibus diu noctuque semper intenta, in acerbissimis doloribus reliquarum sororum in quibusvis earum afflictionibus assidua et admodum pia consolatrix.

3. In monasterio beatissimae Virginis Steinach soror Maria de Andrian, velata, ipso festo s. p. n. Dominici de Soriano 1648 migravit ad sponsum, vitae innocentia, sui contemptu, honorum fuga ac orationis fervore singulariter insignis. Lectulo extreme decumbens horam sui transitus laeta praedixit, aiens, de hac sese paulo ante praemonitam a s. p. n. Dominico, cui semper extiterat devotissima.

In provincia Graeciae.

1. A Turcis interfecti constanter certarunt p. fr. Vincentius Mudacius de Cydonia praedicator generalis, p. fr. Thomas Quirinus de Candia, fr. Antonius Surruro diaconus, fr. Georgius Fallerius subdiaconus, fr. Stephanus Zeno subdiaconus.

2. Ibidem pro proximis peste infectis vitam in administratione sacramentorum profuderunt p. fr. Boninus de Candia baccalaureus, p. fr. Thomas Molinus praedicator generalis, p. fr. Aloysius Colla praedicator generalis, p. fr. Michael Dandalus, p. fr. Marcus Antonius Zancarolus, p. fr. Angelus Serigus.

3. In simili charitatis exercitio, dum lue infectis perseveranter deserviunt, mortem oppetierunt fr. Nicolaus de Cydonia conversus, fr. Ioannes de Cydonia conversus, fr. Felix de Candia conversus, fr. Ioannes Baptista de Candia conversus, fr. Franciscus tertiarius.

In provincia Aragoniae.

1. In Valentino praedicatorum conventu obiit venerabilis p. mag. fr. Hieronymus Cucalon, quondam illius coenobii religiosissimus prior, Valentinae universitatis doctor et professor emeritus, genere, moribus, eruditione eximius. Primis adolescentiae annis ordinem ingressus, eamdem, quam imbiberat religionis observantiam, usque ad decrepitam aetatem servavit. Vir fuit innocentia vitae, puritate, benignitate, religionis zelo, obedientia, charitate in pauperes et infirmos singularis, et ab omni elatione atque ambitione alienus; modestia incomparabili omnium ad se rapiebat animos, suoque cunctos habitu, incessu et gravitate componebat. Triginta ferme annis, quibus in academia cathedram theologicam rexit, ingentem sibi etiam apud doctissimos Hispaniae existimationem ac ordini splendorem acquisivit. In eruendis scholasticae theologiae arcanis et praesertim s. scripturae ac ss. patrum scriptis evolvendis continuus, extra cellam raro, in ipsa affatim aut orationi intentus aut studiis inveniebatur affixus. In divino officio recitando et in sacrificio missae peragendo devotissimus, talem se in omnibus toto longaevae suae vitae decursu exhibuit, ut de illo dici potuerit: « Ecce vere Israelita, in quo dolus non est ». Complures exegit annos in variis et importunis animi anxietatibus, quibus eum Dominus in hoc seculo « tamquam aurum in fornace » probare videbatur; tandem lenta correptus febri, sedata penitus timorum procella, receptis devotissime sacramentis, summa spiritus tranquillitate ipsa nocte natalis Domini, quam ipse speciali semper devotione observaverat, dum « Gloria in excelsis » cum militia coeli cantabatur in missa, placide expiravit. Ad cuius funus, tametsi adhuc grassaretur lues in urbe, convenere quamplurimi, vestiumque particulas ea aviditate et contentione praescindebant, ut tandem necesse fuerit serico panno cadaver operire, ne prorsus denudaretur; quod denique peculiari et honorifico loco conditum est. Hunc omnes tum fratres tum Valentini cives tamquam unum de priscis patribus mira semper veneratione suspexerunt.

2. In eodem conventu obiit admodum rev. p. mag. fr. Marcus Serra, quondam ibidem prior et totius provinciae vicarius generalis; qui praeter insignem in omni fere scientiarum genere eruditionem, quam relicta complura ingenii sui monimenta ac praesertim illa succincta ac succosa in totam d. Thomae summam commentaria testantur, pollebat singulari dono prudentis gubernii et spiritu mansuetudinis, adeo ut pene toto vitae suae decursu visus fuerit non solum non irasci, sed nec verbis aut gestu signum aliquod commotionis ostendere tam in disputando quam increpando aut puniendo.

3. Ibidem obiit p. fr. Petrus Torres praesentatus, nostrarum constitutionum observantissimus, pietate et charitate in proximos maxime in-

firmos conspicuus, usque ad decrepitam aetatem suae devotionis exercitia non reliquit, crebro inter orationes sanctasque meditationes in ecclesia pernoctans.

4. Ibidem fr. Dominicus Geros conversus, regularis observantiae exactissimus custos, obedientia, humilitate et misericordia erga egenos excellens, religiosam paupertatem usque ad extremum suae vitae studiose coluit. In amore deiparae ss. rosarii reginae summopere fervidus, rosaria suis conficiebat manibus eaque fidelibus, praesertim pauperibus distribuebat; in orationibus et piis exercitationibus noctes ducebat insomnes. Pro charitate erga proximos non recusavit iam decrepitus addicere se ministerio pestiferorum in xenodochio decumbentium et in sancto hoc opere animam Deo reddidit.

5. Apud monasterium Valentinum sanctae Mariae Magdalenae obiit venerabilis p. fr. Ioannes Baptista Benet de Res praesentatus, filius conventus s. Onuphrii, vir religione plenus, humilitate sublimis, modestia admirandus, observantiae regularis vivum exemplar, saepius dum magistrum novitiorum ageret, eorum pedes prae animi demissione exosculatus est; sequelae chori tam studiosus, ut etiam, dum lectoris artium ac theologiae fungebatur officio, diu noctuque semper choro interfuerit. Abstinentiae mire addictus, carnes numquam edebat, ordinis ieiunia exactissime observabat, omnibus sextis feriis inque vigiliis festorum b. virginis et sanctorum apostolorum in pane et aqua ieiunabat. Noctes frequenter in ecclesia orando transigebat insomnes; quidquid vero temporis illi ab oratione reliquum erat, partim sacris studiis, partim audiendis confessionibus, partim officiis pietatis erga proximos impendebat; sub lanea subucula, quam semper gestabat, asperum operiebat cilicium, veste semper humili et abiecta contentus, crebrerrimis disciplinis usque ad sanguinis rivos affligebat corpusculum. Ab humani generis hoste graves ac plurimas saepe molestias perpessus, cumque saepe per ecclesiam impavide fugans et insequens orationis praesidio se obarmabat, dicere solitus « Illumina, Domine, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, praevalui adversus eum ». Spiritu prophetico plenus secreta cordium patefecit multaque futura praedixit. Tandem 9. septembris 1647, ecclesiasticis sacramentis summa humilitate ac devotione susceptis, migravit e vita. Ad cuius obitum tantus Valentinorum civium fuit confluxus tantaque aviditas venerandi cadaver ac vestium particulas rapiendi, quod illud denique seminudum remanserit, fueritque opus denuo vestiri. Pie creditur huius viri meritis ac precibus supradictum monialium coenobium a mortifera lue, qua tunc Valentina civitas ardebat, fuisse praeservatum.

6. In conventu praedicatorum de Xativa decessit prope octogenarius

venerabilis p. fr. Ioseph Arazil de sancto Raymundo, in academia Orcelitana primarius theologiae professor, regularis disciplinae accuratissimus observator, vitae innocentia et austeritate mirabilis, lineis ad carnem usque in extremam senectutem numquam usus, mortis suae tempus praedixit, et tandem communis apud omnes sanctitatis opinione relicta quievit in Domino.

7. In eodem conventu p. fr. Hyacinthus Truxilo prope septuagenarius, regularis observantiae ac praesertim silentii egregius zelotes, carnes nisi gravi morbo adactus numquam edebat, multis quoque in hebdomada diebus solo pane et aqua victitare solitus, in excipiendis secularium confessionibus assiduus, aegrorum visitationi et carcere detentorum consolationi sedulo vacabat, quos et eleemosynis conquisitis recreabat. Dum Setabi atrox grassabatur contagium, pro charitate proximorum animam suam posuit, nosocomio pestiferorum sponte se includens, ubi non tantum sacramenta ministrabat infectis, sed et eorum ulcera propriis manibus curabat, alimenta porrigebat ac tabida cadavera sepeliebat. Quibus perfunctus beatissimae Virginis rosarium humi prostratus alternantibus choris devotissime cum infirmis recitabat voce sonora; denique plenus operibus pietatis in eodem xenodochio diem extremum feliciter clausit.

8. In conventu Corporis Christi de Luchente in Domino obdormivit p. fr. Ioseph Ripol octogenario maior; hic post plurima virtutum documenta in Hispaniis edita profectus ad Indos Occidentales, illorum vernaculum idioma ita percalluit non sine divino munere, ut ceteros docere potuerit. Gradu magisterii et dignitate provincialatus constanter recusatis, tenori claustralis observantiae, evangelicae praedicationi ac ministerio sacramentorum cum magno illarum gentium fructu per 38 annos totum se mancipavit. Paupertatis, humilitatis et obedientiae fervidus sectator, choro indefesse assistens, post longam demum aegritudinem in suo conventu placida morte quievit.

9. In conventu ss. Pauli et Thomae Aquinatis Segobricensi vita functus est p. fr. Vincentius Segarra, filius conventus sancti Onuphrii, vir praeclari exempli et ardentissimae charitatis in Deum et pauperes, in quos omnia sibi ad usum concessa erogabat; humilitate profundissima se deiiciebat infra omnes, mira simplicitate eximius, statuta ordinis ad unguem observans, numquam lineis ad carnem usus, chori studiosissimus ac obedientiae tam addictus, ut nec minima quaeque superiore inconsulto adoriretur; denique meritis plenus ultimum diem laetus aspexit.

10. Barcinonae in conventu s. Mariae Angelorum obiit soror Maria Angela de Magarola, quae a teneris sancto patriarchae nostro Dominico mire devota annoque suae aetatis undecimo in eiusdem ordine Deo consecrata sui instituti custos fuit exactissima; orationi, disciplinis et austeris

poenitentiis valde intenta, omnibus sextis feriis, necnon singulis b. Virginis, apostolorum et sanctorum ordinis vigiliis in pane et aqua ieiunabat. His aliisque pietatis exercitiis ac tandem diuturna infirmitate emacerata, ecclesiasticis sacramentis devotissime susceptis coelestibusque consolationibus delibuta et quasi transparente per virgineum corpusculum innocentis animae pulchritudine, diem et horam sui transitus praedixit, atque in pervigilio Annuntiationis inter haec verba: « Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus », placide expiravit, annos nata 25. Ad cuius funus confluxit multitudo populi Barcinonensis.

In provincia Angelorum seu Gallo-Provinciae.

1. Apud Tolonum mense augusti anno 1640 pientissime defuncta est soror Magdalena Marine tertii habitus, quem per annos 40 et amplius patenter detulerat ea sanctitatis opinione, ut eius corpus in ecclesiam delatum vix potuerit sepulturae mandari propter nimium populi concursum ex omni genere nobilium, magistratuum, civium, qui certatim contendebant forbicibus, cultellis, manibus aliquas vestium ipsius particulas decerpere ac tamquam pretiosa pignora apud se conservare, ut luculentius constat ex actis capituli provincialis Tarraconensis.

In provincia Portugalliae.

1. Magnum post se reliquit exemplum altissimae paupertatis admodum rev. p. mag. fr. Gregorius Pinheiro, quondam provincialis, s. inquisitionis deputatus et in academia Conimbricensi primarius sacrae scripturae cathedraticus; diem extremum feliciter clausit in conventu Conimbricensi.

2. Admodum rev. p. mag. fr. Petrus Calvus regius concionator, vir maximi zeli et eximiae puritatis, non sine illustri sanctimoniae fama decessit in conventu nostro sancti Dominici Ulyssipone.

3. Ibidem sancto fine quievit fr. Ioannes de Rosario conversus, egregie in spiritu orationis, humilitatis, charitatis et religionis efformatus ad exemplar ac mores magni illius archiepiscopi Bracarensis fr. Bartholomaei de Martyribus, cui in annis secularibus fuerat famulatus, vere exinde pauperum pater et religiosae paupertatis apprime studiosus.

In provincia Bethicae.

1. In conventu regali s. Pauli Cordubensi obiit ven. p. mag. fr. Antonius Cordero, vir grandaevus et observantissimus, singularis modestiae multaeque orationis, adeo ut de adhibenda moderatione fuerit per confessarium admonendus ob nimiam corporis ex assiduitate orandi debilitationem. Vere pauper actu et affectu morti vicinus inter acerrimos dolores semper in ore versabat illud Augustini « Adauge Domine dolores, sed auge et patientiam, utcumque tamen fiat voluntas tua ». Divino

itaque placito conformis mortem, quam cito adfuturam, verbis licet ambiguis, praedixerat, laetus aspexit. Cum ingravescente morbo rogaretur a fratribus, ut laneam subuculam cum linea permutaret et lodices ex tela admitteret, respondit « Bonum est mihi, patres, iuxta regulas no-
5 stras occumbere »; accedente tamen superioris iussu mox obedivit. Cilicio ad carnem iugiter usus fuisse creditur, quocum deprehensus ab infirmario, cum ulterius celare non posset, obnixe rogavit, ne proderetur. Plenus itaque dierum et bonorum operum excessit e vivis 12. kal. aprilis 1649; cuius vestium particulas ambivit populus et reliquiarum
10 instar habet.

2. In conventu regali Hispalensi s. Pauli fr. Hyacinthus de Miranda, conversus albi scapularis, per multos annos portarius, ea omnia in se expressit, quae noster b. Humbertus in aurea sua officialium instructione requirit: discretus, sollicitus, exemplaris, seculares urbane, pauperes cha-
15 ritative, omnes religiose excipiens. Saepe sibimet detrahebat cibum, quo egenos reficeret, suam interim inediam sacramentorum epulis et iugibus ad beatissimam Virginem precibus saginans. Quotidie tertia diluculi hora surgens, ad orationem lacrymas, singultus, disciplinas in ecclesiam properans, angelorum panem ante solis ortum verus Israelita colligebat. Tan-
20 dem meritis dives, quae sibi in paupertate spiritus thesaurizaverat, integro aspectu atque auditu placide in Domino obdormivit 5. kal. februarii 1649.

3. In eodem conventu decessit fr. Didacus, re et cognomento bonus, rarae virtutis, innocentiae, candoris, humilitatis ac simplicitatis. Ieiunia
25 ordinis inviolabiliter servans insuper singulis feriis sextis in pane et aqua abstinebat; pauperes semper habebat commensales, quibuscum dimidium suae refectionis partiretur; carnibus iugiter abstinuit, veste semper detrita ac vili contentus. Rara obedientia omni subditus creaturae propter Deum, quidquid a quocumque sibi iniungebatur, hilariter faciebat. Singulis no-
30 ctibus se ad sanguinis effusionem caedebat, laneam tunicellam asperrimo cilicio suffultam nonnisi biduo ante obitum urgente obedientia deposuit. Nec lectum nec cellam propriam habens, sparteo strato ad brevis somni quietem utebatur, omne residuum tempus impendens orationi; constitutionum ordinis ac praesertim silentii tenacissimus. Cum in extremis
35 torqueretur summo cruciatu stomachi, arderet febribus ultimisque doloribus affligeretur, semper tamen compositus ac serenus hilaritatem vultus neque, dum animam agebat, immutavit; denique rosario b. Virginis osculum devote infigens expiravit 5. idus februarii 1648. Corpus eius post mortem tractabile cum sepulturae traderetur, populus ex improviso ac-
40 currens direptis vestibus denudavit.

4. Ibidem obiit fr. Paulus de s. Maria, conversus, eximiae virtutis,

orationis perstudiosus, magnus poenitentiae et austeritatum sectator; in cuius defuncti corpore horridum cilicium repertum fuit. In sacramentorum usu frequens ac mente plerumque in divinis meditationibus suspensa, nihilominus per annos 36 Hispalensem urbem quotidie pro conquirendis ss. rosarii eleemosynis magno civium stupore et aedificatione excurrebat. Migravit e vivis 21. martii 1648, praeclara sui apud omnes opinione relicta; nam et mortui cadaver pro devotione occurrentis populi appetitum fuit spoliatione vestimentorum.

5. In regio Xiriciensi conventu s. Dominici pie decessit fr. Paulus de s. Maria sacerdos, natione Anglus, trium votorum suae professionis necnon constitutionum ordinis inviolata observantia mire insignis; de quo testatus est confessarius, quod ipsam baptismi gratiam servaverit illibatam; et nihilominus cum tanta vitae innocentia tum Gienii tum Xiricii conversatus adeo poenitentiae asperitatibus intendebat, ut his obitum sibi non mediocriter accelerasse vulgo existimetur. Abiit e vita 5. idus augusti 1648.

6. Ibidem obiit fr. Ioannes de Aguirre conversus, qui pro charitate proximorum pestifero contagio infectorum ultro se addixit ministeriis xenodochii, ubi inter opera heroicae pietatis demum et ipse correptus lue animam Deo reddidit. Cuius funeralibus celebrandis tota pene civitas, totus clerus cum basilicarum insigniis, totus denique monachatus regularium cantorum interfuit.

7. In conventu s. Ioannis Baptistae de Chincilla vixit p. fr. Thomas de Carmona, poenitentiae et charitatis operibus strenuus, qui cultum thaumaturgae imaginis s. p. n. Dominici de Soriano, necnon beatissimae Virginis rosarianam archifraternitatem passim mirifico zelo propagavit cum ingenti animarum fructu, et sicut una cum seculo copiosos ecclesiasticos proventus reliquerat, ita factus religiosus omnem suum quaestum in promovendo Dei honore et proximorum salute constituerat; quo fine ad insulas Philippinas navigare intendens, dum in oppido quodam semen divini verbi utiliter spargit, ad supernam messem evocatus e vita abiit 18. septembris 1649.

8. In conventu s. Mariae Consolatricis de Doña Mencia obiit venerabilis senex p. fr. Ioannes Ceron, observantiae regularis idea, quod profunda eius humilitas, amictus vilis, fuga vanitatum cellaeque nuditas abunde testabantur. Vestimenta sua crebro, alimenta quotidie dividebat cum pauperibus. Annis plus sexaginta domi iugiter se continens, numquam foras in urbem prodire visus est nisi cum tota religiosa communitate, vel quando infirmis sacramenta administrare debuit. Cellam ac solitudinem adeo percoluit, ut intra cubiculum suum raro fratrem aliquem, seculares vero etiam cognatos numquam admiserit; quod etiam tunc,

quando occasione itineris aliquo divertebat, quod ab ipso viri principes magno studio ambiebant, sollicite observavit, cavens, ne quisquam ipso praesente suum ibidem cubile ingrederetur, et si quid in eo parandum aut disponendum esset, dum ipse missam celebrabat, peragebatur. Vultui semper iucundo ac placido modestiae candorem virgineum coniunxerat, Deo et hominibus dilectus tandem in senectute bona migravit ad Dominum 2. ianuarii 1649; nec defuerunt, qui vestium eius particulas, cum tumularetur, ambitiose decerperent.

9. In conventu Astigiensi ss. Pauli et Dominici fr. Ildephonsus Marin, conversus, in vita pariter ac in morte egregia rarae virtutis ac praecipue patientiae ac voluntariae paupertatis exempla reliquit. Ultra decem millia ducatorum, quae pia saecularium munificentia successive eius intuitu obtulerat, ita fideliter ac integre ad divinum cultum, ecclesiae altariumque ornatum convertit, ut in extrema quoque positus aegritudine vix obolum pro suis usibus retinuerit verus paupertatis amator. Post multa demum mirae tolerantiae specimina diem clausit extremum pridie kal. aprilis 1648.

10. In regali conventu Malacitano s. Dominici p. fr. Emmanuel de Hervias claruit orationis assiduitate, poenitentiae rigore ac vitae puritate; prae multa orandi frequentia obduruerant, imo stupebant genua callo tumentia. Disciplinarum severitate crebro sanguinis plurimum fundebatur, algebant membra nullo recepta lectulo, duris tantum asseribus cubantia asperoque cilicio ab annis 22 et ultra incincta, et nihilominus valetudinem fere semper infirmam supplebat alacritas et ardor spiritus. Unum ei studium erat, promovere devotionem sacratissimi rosarii et illius archisodalitii fervorem sufflaminare. Tandem poenitentiis et aetate fractus multiplici exomologesi ante agonem se expians spiritum reddidit creatori postridie idus octobris 1649. Quem biduo in eodem consummati cursus stadio ibidem praevenerat p. fr. Augustinus natione Anglus, conversatione angelus, lenitate ac modestia singularis.

11. In eodem conventu obiit fr. Christophorus de todos Santos, conversus, eximiae pietatis, resignationis et obedientiae singularis. Castimoniam adeo coluit, ut Virgo creditus in verbis, gestibus, factis pudicitiae semper florem redoleret. Quadraginta et octo annis lecto abstinuit, in oratione ac vigiliis quietem suam reponens. Grangiis coenobii praefectus, quamquam omnibus profestis diebus labori corporali affatim insudaret, ordinis tamen ieiunia observabat ad amussim; praedii indemnitatem sedulo curans, omnem tamen cum vicinis rixam sollicite cavebat. Accolarum una vox erat, praedium illud, quoad vixit ille, sanctuarium potius fuisse. Decessit 3. nonas maii 1648.

12. Ibidem p. fr. Ludovicus de Molina, salutis proximorum sitientissimus, cum saeva lues, publicum Andaluziae per hos annos flagellum

grassaretur in populo Malacitano, se totum ministerio sacramentorum dicavit, per infectorum xenodochia discurrens; qua occasione ictus et ipse pestilentiae afflatu nihilominus in sella gestatoria se circumferri faciebat, ut nec moriens deesset proximis in simili articulo constitutis; sed cum Deo opitulante valetudinem recuperasset, obtenta denuo a praelato facultate, charitatis ministerium eique annexum vitae periculum, quod vix evaserat, ardentius repetivit; secundo igitur percussus nec cepto desistens operarius vere inconfusibilis, toto dolente populo occubuit victima pietatis 5. kal. septembris 1649.

13. In conventu ss. Martyrum Cordubensium p. fr. Ioannes Baptista de la Vega ingentem de se apud omnes sanctimoniae reliquit opinionem. Qui familiarius ipsum noverunt affirmant, numquam lethalis culpae macula foedasse animam; charitate erga pauperes eximius, fere semper refectionis suae dimidium, nonnumquam etiam totam annuente praelato cuidam egeno dabat. Quadam die sub vesperum cum sibi domum redeunti occurrisset pauper saucius, eum humeris exceptum, ad cellam suam deportatum per 70 dies misericorditer fovit, aluit, curavit, ipse idem medicus et minister, donec viribus restitutum ac veste insuper, qua egebat, donatum dimitteret. Cellae custos assiduus, disciplinis flagrisque in se rigidus, iugi orationi tam intentus, ut crebro in raptus et extases abiisse asseratur. Quin et multae utriusque sexus personae spirituales admiranda de ipso referunt, quae forte propediem accedente superiorum nutu evulgabuntur. Tandem ad extrema veniens, cum a confessario de vicino agone admoneretur, ut sibi prospiceret, respondisse fertur « Ego quid semper studui hanc horam praevenire ». Clausit extremum diem 15. kal. augusti 1648.

14. In conventu Hispalensi Reginae Angelorum p. fr. Antonius de la Torre accuratae observantiae speculum fuit et cellae ac silentii individuus custos. Charitate proximorum succensus adhuc diaconus obtinuit licentiam navigandi ad insulas Philippinas, ubi linguam edoctus, mox infidelium conversioni toto pectore incumbens, eorum plurimos a tenebris gentilitatis ad evangelii lucem pertraxit. Martyrii cupidus navigavit ad Iapones, ubi indefessus evangelicorum ministrorum socius immenso animarum fructu strenue aliquamdiu laboravit. Cum vero ad uberiorem segetem metendam rursus eo tenderet, a piratis captus ac triennio in catena et arctis compedibus dure crudeliterque habitus, tandem per varios casus ac rerum discrimina Hispanico litori restitutus fuit. Exinde in diversis huius provinciae conventibus optimo suarum virtutum odores spargens, ac novissime Hispalim ad nativum coenobium revocatus, cum Murciam atroci contagio flagrare intelligeret, eo ire voluit, sed abnuente praelato resedit Hispali, donec et hanc eadem lues corriperet; ubi tamquam

ministerio periclitantium civium divinitus reservatus, dum alacriter infectos adiuvare satagit, peste correptus animam posuit. In defuncti corpore reperta fuit catena ferrea ita carni implexa, ut non potuerit ab ea dimoveri.

15. In conventu et collegio s. Mariae de Rosario universitatis Alcobricensis vivere desiit venerabilis ac celeberrimus p. fr. Franciscus Olmedo, primarius ibidem lector, cuius vita et gesta cum peculiari historiae reserventur, quaedam hic obiter delibasse sufficiat. Is in oppido Chinchilla piis et mediocribus parentibus natus erat. Fama est, dum puerulus in ecclesia coram beatissimae Virginis imagine rosarium recitaret, vocem exiisse de sacra icone huius tenoris: « Puer iste filius meus est, quem ego ad praedicatorum ordinem destinavi ». Post religionis tyrocinia studiis admotus, confestim rari ingenii et capacitatis specimina dedit. Crevit cum aetate modestia, cum utraque sanctitas. Ieiunia, preces, vigiliae, carnis afflictationes et verbera in quotidianum ei pabulum transiisse videbantur. Durum ei scamnum lectus erat et cervical. Humilis usque ad sui taedium et in proximorum amore suae vitae prodigus; nam cum Murciam vastaret atrocissima lues, eo properavit cum binis aliis sui collegii fratribus, ministraturus infectis. Eo in itinere memorabile accidit, quod, cum per singula oppida missae sacrificium peragerent, demum ad quoddam oppidulum pervenerunt, ubi asseverantibus constanter incolis, nulla tunc hostia pro celebranda missa supererat. Instabat p. Olmedo, aperiri ecclesiam et in hostiarum capsula diligentiorem fieri perquisitionem. Mira res, tot inveniuntur hostiae, quot aderant fratres celebraturi; at deerat et cereus, sola superstite modica particula, quae nec digitum excederet; accenditur; omnes missam celebrant, et lumen brevissimae cerae perdurat usque ad finem omnium missarum, cunctis circum stupentibus. Inde perventum Murciam, incumbitur pestiferorum operoso ministerio, nec patri Olmedo ante ad amicam cellulam et lares domesticos redire placuit, quam civitas respirasset a plaga et divinus cultus, qui fratribus deficientibus pene interierat, fuisset ex integro reparatus. Denique solitis domi exercitiis ardentius incumbens ac suo more devotionem ss. rosarii promovens ipsa rosarii vigilia pervenit ad vitae extrema. Dies nubila erat et obscura, quam tamen ipse oculis in caelum defixis claram esse asseverabat cum iubilo, quasi lucis regionem, ad quam tendebat, eminus conspicatus. Mortui vultus placido decore nituit et corpus tractabile spirabat immortalitatem. Defunctus est 2. octobris 1649.

16. Ibidem feliciter e vivis abiit p. fr. Ioannes de Oviedo, vir mire candidus et simplex, in quo dolus non erat; virginitatis flore insignis, patientia singularis, charitatis et erogandarum eleemosynarum perquam studiosus, ad carnem nonnisi laneis utebatur; tribus hebdomadae diebus

ieiunabat, orationi addictissimus dies noctesque in ecclesia transigebat, nisi cum eum proximorum necessitas alio evocabat. Infatigabilis sacramentorum minister praesertim poenitentiae, unde et certatim ab omnibus exquirebatur, velut qui cum insigni casuum peritia mitem ac placidam indolem coniunxerat.

17. In conventu s. Dominici de Gusman de San Lucar de Barrameda mortalitatem feliciter exuit fr. Gregorius de s. Maria, conversus, quem inter alia peculiaris et tenera erga sanctorum imagines reverentia atque devotio plurimum commendabat. Per annos 26 in conquirendis eleemosynis summa fide et exemplo occupatus, tandem in octava corporis Christi anno 1648 quievit in Domino, plurimam sui in benedictione memoriam relinquens.

18. In collegio Hispalensi s. Mariae Montis Sion obiit p. fr. Thomas Delgado, pientissimae conversationis fama non minus apud extraneos quam domesticos celebris, reginae s. rosarii summopere devotus et obsequiosus, prout ipsum s. rosarii sacellum, cuius ei cura incumbebat, abunde ostendit. Lucri etiam animarum praesertim in poenitentiae sacramento, cuius ministerio iugiter intendebat, avidissimus erat; quo, ut pie creditur, id commeruit, quod sub imminentem mortem plurium dierum potitus est indutiis, quibus ad satietatem expiaret animam crebris confessionibus, ad quas excipiendas tam impiger et promptus fuerat, quoad vixit. Obdormivit in Domino 10. kal. decembris 1648.

19. In conventu s. Petri Martyris de Luchena vita functus est fr. Petrus de Quiroga, conversus, charitate erga pauperes ac devotione erga gloriosissimam coeli reginam mire commendabilis, velut qui adhuc in extremo vitae halitu dulciter spirabat « Ave Maria ». Per quadraginta quinque annos sacristani officio sedulo fungens, omnium virtutum sese omnibus exemplar perseveranter exhibuit, maxime vero honestatis, obedientiae ac humilitatis studio enituit. Denique pridie nonas septembris 1649 in Domino quievit.

In provincia Germaniae inferioris.

1. Rev. p. baccalaureus fr. Albertus Corporalis, filius conventus Antverpiensis, ad usque vitae finem peculiari Dei munere illibatam custodivit virginitatem corporis et, ut omnino creditur, etiam animae; nam qui eius generalem confessionem novissime excepit, testatus est, ipsum religiosae vitae suae curriculum absque lethali noxa totum peregisse. Defunctis dorsum acerrimis disciplinis undique dilaceratum, femora quatuor in locis miserabiliter plagata instrumento, quod ipse scorpionem appellabat, eoque dum in Antverpiensi conventu vivebat, quotidie usque ad sanguinis effusionem se discruciare consueverat, antequam ad tremendum missae sacrificium accederet. Inventum est post ipsius obitum hoc

intrumentum cum cilicio et stellulis argenteis non paucis, quibus carnem rigide semper in officio continuit. Erga rosarium beatissimae Virginis mira semper devotione ardens, quotidie tria eiusdem psalteria, priusquam ad studia literarum mitteretur Bononiam, integre solitus erat recitare, additis gravissimis corporis afflictationibus, poenitentiis ac cilicio totum corpus obtegente, prout ipsemet amico suo spirituali in provincia adhuc degens revelavit. A studio vero citra usque ad extremam suam aegritudinem dietim bina psalteria rosariana beatissimae Dei parenti attentissimo corde offerebat. Septennium et amplius in conventu civitatensi Fori Iulii pro arctissima observantia deputato observantissimus vixit in continuis et fructuosis laboribus legendi, praedicandi, confessiones excipiendi, novitios educandi; qua in re singulariter b. Ludovicum Bertrandum expressit in compositione exteriori quoad se, inque vigili ac seria disciplina quoad suos alumnos. Tandem in conventu Petoviensi Styriae ipso dominici natalis sacro pervigilio anno 1646, divinis sacramentis rite susceptis, cum ingenti devotione et lachrymarum profluvio, oculis per quadrantem horae circiter in coelum defixis placidissime expiravit.

2. Duaci in monasterio s. Catharinae Senensis 26. novembris anno 1647 migravit ad sponsum venerabilis soror Catharina de Annuntiatione, quae ab ineunte aetate taliter mundi illecebras sprevit, quod alia nulla nisi spiritualia ipsi sapiebant; unde adhuc in seculo degens orationis assiduitate, sacrae lectionis frequentia, commiseratione erga pauperes, summa observantia erga parentes, affabilitate erga domesticos, humilitate erga omnes fuit admirabilis. Religionem professa omnibus omnium virtutum se vivum exemplar praebuit, regulae et constitutionum observatrix usque ad mortem tenacissima, in sensuum mortificatione, animi demissione, charitate, paupertate ac propriae voluntatis abnegatione nulli secunda. Ad regimen novitiarum assumpta mira prudentia, mansuetudine ac dexteritate iisdem praefuit. Erga sanctissimum altaris sacramentum ineffabili ferebatur affectu eiusque epulas universis mundi deliciis praeponebat, eo refecta, nihil adversi illo die formidabat. Si quid alias triste vel amarum ei accidisset, confestim ad huius sacramenti praesentiam tamquam ad asylum confugiebat, ubi fontem totius consolationis interpellans nonnisi consolata abscedebat. Tantosque sponsi exaestuabat amore, ut cum illo ore ad os mutuos eosque divinos conferre sermones sibi saepe saepius videretur. In infirmitatum tolerantia, quae quotidianae erant ac gravissimae, praesertim in continuis capitis ac lateris doloribus mirabili patientia praefulgebat, neque ob ista a chori sequela, orationis perseverantia et observantiae tenore quidquam remittebat. Tandem longis doloribus exhausta, omnibus ecclesiae sacramentis praemunita praedicto-

que suae mortis tempore, inter continuos fidei, spei et charitatis actus purissimam animam in manus creatoris exhalavit anno suae aetatis quadragesimo secundo.

In provincia Hiberniae.

1. Rev. p. fr. Richardus Barry, prior Casseliensis, cum anno 1647 mense septembris immineret illi civitati hostilis obsidio ab acatholicis parlamentariis, fratres quidam suos alio ad tutiora cum benedictione dimisit, ne communi involverentur periculo internecionis, seipsum vero, ut obsessis catholicis praesto esset, ab inimico exercitu intra moenia includi permisit, extrema quaeque passurus cum civibus, uti et accidit. Nam civitate per vim capta ac demum ipsa quoque sancti Patritii munitissima rupe ultimo obsessorum refugio expugnato, dum promiscue cives fere omnes velut oves occisionis ferocissime trucidantur, ipse in integro ordinis habitu prosiliens ac imaginem crucifixi una, rosarium altera manu tenens, athleta intrepidus, hortabatur fideles ad mortem pro sancta et orthodoxa religione fortiter oppetendam. Demum in quodam ecclesiae sacello coram altari ab haereticis invasus, et quod ex omni civitatis clero solus ipse in habitu sui ordinis deprehensus esset, non simplici cum ceteris neci destinatus, inauditae crudelitati exponitur; pedibus enim ac tibiis lento igne exustulatis, virilibus barbare amputatis, denique insolentium militum rabiei commendatus atque ab his mille ictibus ensium, telorum, pugionum confossus gloriose pro fide occubuit; fertur et ab eius morte luculenta et plurima subsecuta fuisse prodigia; nec mirum, cum in vivo praeter generis et indolis eximiam claritatem semper eluxerit religiosae et exemplaris vitae candor, insignis eruditio et fidei zelus.

2. Circa idem tempus Margarita nostri ordinis tertiaria aetate septuagenaria de eadem civitate egrediens, ab haereticis intercipitur atque in odium catholicae fidei crudeliter gladio trucidatur.

3. Rev. p. fr. Petrus Higin, prior Nassensis, captus in suo conventu ac Dublinum abductus magna constantia mortis sententiam excepit nec minori subiit, publice ibidem suspendio necatus.

4. Rev. p. fr. Dominicus Dillon, prior Vrlariensis, cum Athiensi subpriore p. fr. Ricchardo Oveton capti in Villa Pontana et ad mortem in hostili haereticorum campo condemnati, in fronte exercitus profusi in longam orationem capitis supplicium fortiter tolerarunt anno 1649, quo anno et die etiam in Stradensi civitate generose pro fide occubuit p. fr. Petrus Custelo ibidem subprior.

5. Rev. p. fr. Ioannes Olvin, prior Derensis, post diuturnas carceris aerumnas, tormenta, diuturnam inediam, spretis ingentibus haereticorum pollicitationibus, si fidem catholicam desereret, mori praeelegit. Retulerunt

de illo concaptivi, vidisse illum sub fervore orationi cubiti altitudine in aera elevari, ipseque tunc fassus est, se tunc vidisse coelestem gloriam, ne acerbitati tormentorum succumberet, corona perseverantiae iam praevisa. In furcam actus et exinde capite truncato certamen consummavit.

6. Rev. p. fr. Ioannes Flaverly, prior Colranensis, in flumen proiectus atque a militibus ibidem lapidum imbre ferociter impetitus, pro religione vitam in aquis finivit.

7. Vario item mortis genere pro Christo interempti sunt p. fr. Iacobus Relly sacerdos, fr. Geraldus Gibbon clericus et fr. David Foxius conversus.

8. Reliquos nostros in eadem insula postremis his annis pro fide Christi saevissime mactatos ac partim gladiis, sclopis, bipennibus, partim suspendio, igne, membrorum detruncatione varie interemptos, quorum non pauci fuerunt, pluresque in dies accedunt, consulto omittimus, donec singulorum accuratior, plenior magisque distincta notitia possit obtineri.

In provincia s. Hippolyti Martyris de Oaxaca.

1. Persancte obiit fr. Lupus de Cuellar, filius conventus s. Dominici de Oaxaca, vir mire a Deo exercitus in schola patientiae; qui ut erat linguae Indorum callentissimus, demum ex immensis laboribus, quos in illis provinciis vineae Domini Sabaoth fervidissimus cultor per annos 22. exantlavit, omni postea membrorum usu destitutus longa infirmitate distabuit, per plurimos annos alterius oculi orbatus lumine, tandem omnino caecus et surdus admiranda serenae tranquillitatis ac tolerantiae specimina dedit, cilicio insuper usque ad extremum affligens corpus. Claruit miraculis et spiritu prophetiae; cuius vitam et mores post obitum illustrissimus eius civitatis episcopus palam commendavit, populus vero sanctum acclamavit ac vestium sibi particulas certatim in funere praescidit.

2. Ibidem cum sanctitatis opinione decessit p. fr. Dominicus Mellado, filius provinciae Hispaniae, vir eximiae devotionis, altae paupertatis et humilitatis profundissimae, qui inter alia mirae pietatis exercitia prae tenero ac devotissimo erga quamdam crucifixi imaginem affectu quotidie plusculos ante eam cereos accendere solitus erat; unde post obitum cum ex more quatuor cerei circa eius feretrum lucerent, mox decem inibi ardere deprehensi sunt, manifesto ut putatur miraculo, nimirum Deo vicissim luminaribus honorante famulum suum.

3. Venerabilis senex p. fr. Franciscus Sarabia, vir plane apostolici spiritus in ministerio praedicationis idiomate Indorum, animi demissione et paupertatis studio admirabilis; itinera pedester conficiebat; demum praehabita a Deo suae praedestinationis revelatione nonagenarius ac dierum meritorumque plenus iucunde obdormivit in Domino.

4. In eadem provincia feliciter ad Dominum migravit in flore iuventutis p. fr. Martinus de Aliende, rigidus sui corporis domitor, quod variis iisque asperrimis poenitentiis spiritui servire cogebat, contemplationi mire addictus eiusdem maxime gustabat dulcedinem, maxime dum sacra mysteria peragebat; humilitate et cordis munditie adeo nituit, ut de ipso dici merito potuerit « Ecce vere Israelita, in quo dolus non est ».

5. In conventu de Oguaxaca mortem laetus aspexit venerabilis mag. fr. Ioseph Calderon, qui amplissimis reditibus ecclesiasticis, quos in seculo possidebat, relictis, pauper Christum pauperem sequi maluit; in ordine se totum spirituali ministerio Indorum et praedicationi impendit, orationi et contemplationi incessanter deditus summa devotione erga ss. eucharistiae sacramentum ferebatur; tantus erat pauperum amator, ut moriens vestimenta sua distribui petierit in egenos.

6. In eodem conventu diem suum obiit p. fr. Melchior de s. Raymundo, qui ministerium apostolicum inter Indos pluribus annis raro virtutum exemplo obivit, rigidus sacrarum constitutionum observator ac zelotes, in novitiorum educatione dexterrimus, humilis suique corporis acerrimus castigator.

7. Venerabilis senex p. fr. Ioannes Tineo, vere « dilectus Deo et hominibus » atque apud omnes in magna semper habitus veneratione, qui apud Indos evangelicae praedicationi plus quam 30 annis impigre insistens dono prophetiae claruit et a Christo crucifixo velut altera Maria Magdalena audire meruit « remittuntur tibi peccata tua ». Demum septuagenarius suaviter in pace quievit.

In provincia Russiae.

Duobus hisce postremis annis 1648 et 1649 sequentes patres et fratres in odium fidei a tartaris et schismaticis occisi sunt:

1. Ex conventu Leopoliensi sanctissimi corporis Christi p. fr. Valerianus Krupizowski, syndicus villarum, post varia tormentorum genera decollatus, fr. Petrus conversus senex in villa conventus membratim concisus, fr. Placidus conversus novitius crudeliter dissectus.

2. Ex conv. Buscensi fr. Matthias conversus senex securi trucidatus.

3. Ex conv. Sublapiden. fr. Marianus conversus in tormentis expiravit.

4. Ex conventu Constantinoviensi p. fr. Symphorianus Czarneki, sacrae theologiae lector, triginta vulneribus obiit, pater fr. Stephanus Pokrzywnicki variis tormentis excarnificatus gladio strenue subiecit; fr. Florianus Wazynski diaconus, fr. Hieronymus Gmerokowski subdiaconus, fr. Stanislaus Srzedzinski subdiaconus, fr. Chrysostomus Podolski subdiaconus, studentes omnes decollati, fr. Paulus et Fortunatus conversi in ecclesia mactati.

5. Ex conventu Laticroviensi fr. Matthias conversus lancea transfixus.

6. Ex conventu Lubartoviensi p. fr. Hyacinthus de Cracovia, sacrae theologiae lector, decollatus, p. fr. Cyprianus de Casimiria celebris exorcista decoriatus, p. fr. Antoninus de Leopoli organoedus.

7. Ex conventu Nestervarensi rev. p. fr. Chrysostomus Gorski eiusdem conventus prior, in quo plus quam 70 vulnera fuerunt inventa, p. fr. Christianus de Iasliska, subprior, multis iaculis confossus, p. fr. Damascenus Borkonicz sacrae theologiae lector in actuali praedicatione rosarii coram plebe transverberatus gladio, deinde membratim concisus, p. fr. Humbertus de Leopoli praedicator ordinarius concisus, p. fr. Thomas Mirecki praedicator sanctissimi rosarii, p. fr. Iucundus de Potilice trucidatus et combustus, fr. Ioseph de Luca, Italus, subdiaconus orans occisus, fr. Philippus de Lagoso vivus combustus in turri, fr. Placidus acolythus.

8. Ex conventu Winnicensi p. fr. Andreas Moscicki praedicator generalis iubilarius a Tartaris in captivitatem abductus, post vulneribus affectus expiravit.

9. Ex conventu Barensi p. fr. Franciscus organoedus genuflexus et orans multis vulneribus acceptis obiit, expositus deinde voracitati canum; p. fr. Mauritius de Leopoli ad aram in frusta concisus, fr. Innocentius conversus apothecarius multis vulneribus cruentatus, inde a Tartaris in captivitatem abductus, denique ab iisdem interemptus, fr. Felix conversus decollatus.

10. Ex conventu Kijoviensi p. fr. Albertus de Lubochia subprior ibidem, qui per annum integrum Kijoviae schismaticorum metropoli latitans et divina administrans, ad extremum deprehensus lanceaque bis transfixus, inde manibus ac pedibus ligatis in altum fluvii Borysthenis demersus, post mediam horam divinas laudes concinens supernatabat, nec prius aquis absorptus quam remis crudeliter deartuatus et quasi membratim dissectus esset, plusquam viginti millibus hominum spectaculo praesentibus; p. fr. Ambrosius de Woinicz, sacrae theologiae lector et eximius praedicator, occisus et in aquam proiectus; fr. Marcus novitius in Borysthene submersus; fr. Innocentius conversus.

11. Ex conventu Czarnobylensi rev. p. fr. Ioannes de Camenecia prior, p. fr. Dominicus de Miedzybor subprior, fr. Arnoldus de Cracovia praedicator ordinarius, p. fr. Placidus de Kamionka, fr. Iacobus de Kijovia acolythus, fr. Stephanus conversus. Hi omnes prius in squalido carcere macerati, post variis tormentis excruciati, ad extremum vario mortis genere sublati, spectantibus aliquot hominum millibus in fluvio Prypet demersi sunt.

12. Ex conventu Czerniecchoviensi rev. p. fr. Nicolaus Petrikowski, praedicator generalis et prior, arbori ferreis clavis affixus, vivus excoria-

tus, sagittis transfixus, ad extremum clavo per tempora adacto expiravit. Rev. p. fr. Cyprianus Maczynski, praedicator generalis et subprior, post multa tormentorum genera cute avulsa in vas pice ac resina plenum compactus et exustus est, p. fr. Reginaldus de Lancut praedicator ordinarius, fr. Cyprianus de Busko, fr. Ioannes conversus. 5

13. Ex conventu Novogrodensi Severiae rev. p. fr. Tobias Turski, prior, vivus excoriatus, p. fr. Gabriel de Leopoli praedicator ordinarius dissectus in partes, p. fr. Eustachius de Krosuo subprior plus quam quinquaginta vulneribus sublatus, p. fr. Hyacinthus de Moscika, p. fr. Ioannes de Novacivitate in frusta concisus, fr. Iacobus conversus, fr. Laurentius de Leopoli, fr. Matthias de Camenecia subdiaconus, fr. Petrus Roswadowski novitius. 10

14. Ex conventu Nixinensi rev. p. fr. Polycarpus de Olesko vicarius conventus ad altare celebrans necatus est, fr. Antonius Shraba praedicator ordinarius, p. fr. Ludovicus de Casimiria. 15

15. Ex conventu Sokoloviensi p. fr. Christophorus Pieniezech praedicator ordinarius.

16. Ex conventu Potocensi p. fr. Wenceslaus de Podhaycze, praedicator generalis et iubilarius, gravi infirmitate lecto affixus, in eodem crudeliter interfectus est, p. fr. Ioseph de Sienno grandaevus praedicator ordinarius, p. fr. Gaspar de Leopoli. 20

17. Ex conventu Rohatinensi p. fr. Hyacinthus de Rohatino horrende baculo contusus et ex alto praecipitatus adhuc spirans peremptus est.

18. Ex conventu Iesupoliensi senex p. fr. Coelestinus Pino, post accepta complura vulnera, manibus pedibusque truncatis, proiectus in foveam, ubi per dies aliquot a muribus ac vermibus corrosus, ad extremum mucrone transverberatus animam exhalavit; p. fr. Cornelius de Samboria senex equis raptatus, fr. Ioachim de Kanezuga, fr. Marcellus conversus syndicus mirum in modum discruciatus, membratim concisus ac suibus ad devorandum proiectus, fr. Ioannes conversus. 25 30

19. Ex conventu Colomiensi p. fr. Alexius de Drohobycia.

20. Ex conventu Czarthoviensi p. fr. Marcianus de Busko, ibidem subprior ac praedicator generalis, a villicis eiusdem conventus barbare dissectus et submersus.

21. Ex conventu Mosticensi p. fr. Emmanuel de Slokovia subprior, fr. Iacobus conversus, ecclesiae limina observans, ibidem trucidatus. 35

22. Ex conventu Morachuensi p. fr. Dominicus de Miedzybor, praedicator ordinarius.

23. Ex conventu Saraucensi p. fr. Adamus de Drohobycia, infirmus in lecto deprehensus, verberibus afflictus, vulneratus, exinde carpento ignominiose circum civitatem vectus, demum in foro publico decollatus. 40

24. Ex monasterio Leopoliensi sanctae Catharinae Senensis monialium soror Hyacintha, portaria, aetate ac moribus gravis, aliquot vulneribus acceptis, demum securi percussa occubuit. Soror Cunegunda conversa occisa et canibus ad devorandum proiecta.

5 In congregatione sanctae Mariae Sanitatis.

1. P. fr. Vincentius Cangianus lector, filius conventus sancti Spiritus de Neapoli, exemplar puritatis, obedientiae et paupertatis; qui sacerdotio initiatus mox commissum sibi munus praedicandi verbum Dei strenue amplexus est, Campanos, Salentinos, Iapyges, Daunios, Brutios, Lucanos, 10 Picenos, Samnites aliosque populos eo fine peragrans ab omni hominum genere suspiciebatur, colebatur; innumeros obstinatos aut de propria salute desperantes ad Deum reduxit, odia inveterata extinxit, dissidia composuit, ac pro zelo animarum pluries vitae discrimen subiit, foeminas sub larva devotionis castitati eius insidiantes generose abegit, ignem ali- 15 quando invalescentem iamque obvia quaeque depascentem signo crucis repressit; nil possidens, nil secum ad usum deferens, nonnumquam cibo quoque destitutus, attamen quater, imo interdum etiam septies uno die concionabatur. Quibus laboribus insistens tandem vita functus est in conventu Tarentino, magna post se relicta opinione sanctitatis, populis 20 ad funus confluentibus vestiumque frustula decerpentibus.

2. In monasterio s. Catharinae Senensis felici morte defuncta est soror Dominica Vorra; quae cum illic diu vixisset laudabiliter, in morte tamen singulariter claruit; nam phtysi prope absumpta petiit a patre monasterii, ut quia in s. obedientia vixerat, non sine eiusdem nutu more- 25 retur; quo obtento psallens tota nocte et exultans cum alleluia sponsi adventum praestolabatur, eius divino vultu, ut aiebat, iamiam satianda. Patre mane abeunte, ut sacrum faceret, cum is mandasset, ut eum expectaret reducem, ipsaque annuisset, non prius animam reddidit, quam reversum patrem intuita fuisset defixis oculis atque ab illo demum au- 30 disset: « Filia, vade in pace ».

3. Ibidem ad nuptias agni laeta transiit soror Catharina de s. Petro Martyre, quae ab anno suae aetatis circiter decimo octavo usque ad septuagesimum sextum ad ilia ferream catenam novem pondo et cilicinum indusium continuo gestavit. Abstinentia fuit incredibili, plures quadra- 35 gesimas sine cibo transigebat, dominica tantum die crudas aliquot herbulas modice degustans. Carnes et ova si quando ex obedientia edisset, vitae notabile discrimen subibat. Regularis disciplinae rigida semper observatrix sine cella, sine lectulo ad ultimam usque senectutem in choro pernoctabat pene insomnis et incessanter orans. Divinitus legere didicit, 40 divinis quoque frequenter dignata visitationibus, neque prophetiae spiritu caruit, charitate in Deum et proximum flagrabat. Tandem hydrope tur-

gens, admirabili patientia amorem suum, ita Christum appellitare consueverat, crebro ac tenerrime alloquebatur ac perceptis ecclesiae sacramentis animam efflavit, plurimis a morte particulas vestium eius flagitantibus, quod eas salutares in suis infirmitatibus experiantur.

4. Ibidem diem clausit extremum soror Maria Catharina Chiaves, quae longo tempore per varia obedientiae et humilitatis exercitia probata etiam vivum patientiae fuit exemplar; nam dirissimum scirhum sive phleglon in genu patientissime ferens, in acerbis illis cruciatibus hoc saepissime decantabat « Iesu mi formosissime, Iesu mi suavissime », aiebatque genu illud Domini esse, qui idcirco ad libitum de re sua posset disponere. Cum etiam summe semper optasset panem vivum, qui Christus est, sibi omnium novissimum fore cibum, voti compos facta placide obdormivit in Domino, aliis sacramentis iam ante praemunita.

Protestatio p. secretarii ex Ordine capituli.

Lector, adverte in elogiis virorum illustrium, quos hoc libro complexus sum, nonnulla me obiter attingere, quae sanctitatem ipsis videantur adscribere; perstringo nonnumquam aliqua ab iis gesta, quae cum vires humanas superent, miracula videri possunt, praesagia futurorum, arcanorum manifestationes, revelationes, illustrationes et si quae sunt alia huiusmodi; beneficia item in miseros mortales eorum intercessione divinitus; demum nonnullis sanctimoniae vel martyrii videor appellationem tribuere. Verum haec omnia ita meis lectoribus propono, ut nolim ab illis accipi tanquam ab apostolica sede examinata atque approbata, sed tanquam quae a sola suorum auctorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter quam humanam historiam. Proinde apostolicum s. congregationis S. R. et Universalis Inquisitionis decretum anno 1625 editum et anno 1634 confirmatum integre atque inviolate iuxta declarationem eiusdem decreti a ss. d. n. d. Urbano papa VIII. anno 1631 factam servari a me omnes intelligant, nec velle me vel cultum aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare vel famam et opinionem sanctitatis aut martyrii inducere seu augere, nec quicquam eius existimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando ullius beatificationem vel canonizationem aut miraculi comprobationem, sed omnia in eo statu a me relinqui, quem seclusa hac mea lucubratione obtinerent, non obstante quocunque longissimi temporis cursu. Hoc tam sancte profiteor, quam decet eum, qui sanctae sedis apostolicae obedientissimus haberi filius cupit et ab ea in omni sua inscriptione et actione dirigi.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Innocentio papa X. et felici statu sanctae Romanae ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo imperatore Ferdinando III. et tranquillo statu s. Romani imperii quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Galliarum rege Ludovico XIV. q. s. u. m.

Pro catholico Hispaniarum rege Philippo IV. q. s. u. m.

Pro eminentissimis ac reverendissimis dd. cardinalibus protectore et comprotectore nostri ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Pro eminentissimo ac reverendissimo d. fr. Vincentio cardinali sancti Clementis, ex nostro ordine assumpto, quilibet sacerdos unam missam.

Pro universo sacro collegio eminentissimorum ac reverendissimorum dd. cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus praelatis, ex ordine nostro assumptis, q. u. s. m.

Pro omnibus nostris benefactoribus, qui huic capitulo pias eleemosynas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro bono statu totius nostrae religionis eiusque capite reverendissimo p. magistro generali ac sociis collaboraturis quil. sac. un. mis.

Pro seraphica nostraque germana religione sancti patris nostri Francisci eiusque flore et incremento quilibet sacerdos unam missam.

Pro pace inter coronas Galliarum et Hispaniarum quil. sac. un. mis.

Ubi patribus sacerdotibus missa, clericis litaniae omnium sanctorum, conversis decies Pater noster et Ave Maria iniunguntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro animabus bonae memoriae eminentissimorum dominorum cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuam eleemosynam capitulo nostro generali ex testamento legarunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo patre fr. Thoma Turco, nuper generali totius ordinis magistro, inter gravissimos pro religione labores vita functo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo patre fr. Nicolao Rodulphio, quondam zelantissimo magistro generali ordinis ac eiusdem nuperis diebus praesidente apostolico, communi omnium nostrum moerore nobis recenter erepto, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri, quotquot a tempore postremi capituli generalis Valentini in Domino obierunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum et sororum seraphici ordinis s. p. n. Francisci, quotquot ab eodem termino citra obdormivere in Christo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri qu. s. un. mis.

Ubi sacerdotibus missa, clericis officium defunctorum unici nocturni, conversis tertia pars psalterii rosariani iniungitur.

Damus reverendissimo patri nostro generali totam nostram auctoritatem circa omnia et singula praemissa, ut ea declarare possit, quemadmodum cetera, quae declaratione opus habent, eisdem addere, demere, omnia denique facere, quae nos ipsi facere possemus, iuxta quod eius discretioni ac prudentiae visum fuerit.

Cui etiam committimus, ut nomine totius religionis supplicet s. d. nostro, ut committatur vel etiam respective reassumatur et ad desideratum finem perducatur causa beatificationis et canonizationis Pii V., b. Ludovici Bertrandi servorumque Dei, qui in Iaponia pro fide sanguinem fuderunt, item p. fr. Ioannis Leonardi a Literis, p. fr. Marci de Martenisio, Luciae de Narnia, Marcolini de Forlivio et aliorum aliquot fratrum ac sororum, qui cum opinione sanctitatis obierunt.

Concedimus omnibus admodum rr. pp. provincialibus et diffinitoribus, qui in hoc generali capitulo diffinierunt, ut quilibet illorum possit unum ex fratribus suae provinciae, qui ante inchoatum hoc generale capitulum poenae gravioris culpae addictus fuit, restituere ad omnes gratias ordinis, modo is correctionis specimen dederit, quo hac nostra indulgentia dignus iudicetur.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus ac singulis fratribus et sororibus nostri instituti ubivis locorum degentibus, ut semel aliquem in ordine expositum patrem confessarium sibi deligant, qui eos et eas ab omnibus peccatis et censuris ante horum actorum evulgationem contractis possit absolvere, quantum ipsemet reverendissimus magister ordinis posset, si eidem coram confiterentur, servatis tamen servandis.

Denique universis ac singulis provinciarum, congregationum et vicariatuum praesidentibus praecipimus in virtute Spiritus sancti et sub sanctae obedientiae formali praecepto, ut huius capituli acta in singulis sibi subiectis conventibus ac domibus quam primum coram communitate legi et publicari faciant et sedulo accurent, quatenus ab omnibus observentur atque ad minus quater in anno ad mensam in communi refectorio praelegantur, volentes, quod exemplaribus impressis ac sigillo reverendissimi magistri ordinis munitis eadem ubique adhibeatur fides, quae debetur originali. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Capitulum generale sequens, quod erit diffinitorum secundum, celebrabitur ultra montes loco, qui reverendissimo magistro ordinis visus fuerit opportunus.

ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM ORDINIS PRAEDICATORUM CELEBRATI IN FESTO SS. PENTECOSTES DIE IV. IUNII MDCLVI.

Sub reverendissimo patre fr. Ioanne Baptista de Marinis, sacrae theologiae professore, magistro generali eiusdem ordinis, diffinientibus:
admodum rev. p. fr. Vincentio Baronio (1) diffinitore Tholosano,
admodum rev. p. magistro fr. Nicolao le Gardeur diffinitore Franciae,
admodum rev. p. mag. fr. Iulio Maria Zaccaria dif. utriusque Lombardiae,
admodum rev. p. magistro fr. Ambrosio Bandino diffinitore Romano,
admodum rev. p. magistro fr. Thoma Maria Ruffo diffinitore Regni,
admodum rev. p. mag. fr. Leonardo Hansen diffinitore Teutoniae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Waxman diffinitore Poloniae,
admodum rev. p. praed. generali fr. Marco Salomonio dif. Graeciae,
admodum r. p. m. fr. Gregorio Arostegui et Areilza dif. Terrae Sanctae,
admodum rev. p. magistro fr. Francisco Blasio del Fau dif. Aragoniae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne l'Ange diffinitore Provinciae,
admodum rev. p. baccal. fr. Iosepho Gigante diffinitore Trinacriae,
admodum rev. p. magistro fr. Emmanuele Vasconcellos dif. Portugalliae,
admodum rev. p. magistro fr. Antonio de Vaena diffinitore Bethicae,
admodum rev. p. magistro fr. Thoma Guiscardo diffinitore Calabriae,
adm. rev. p. praed. generali fr. Petro de s. Ioseph dif. s. Crucis Indiarum,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Nolano diffinitore Hyberniae,
adm. rev. p. praesentato fr. Ioanne de Silva dif. s. Iacobi de Mexico,
adm. rev. p. praes. fr. Sebastiano Messia dif. s. Io. Baptistae del Perù,
adm. rev. p. praes. fr. Francisco Gallego dif. s. Vincentii de Chiapa,
adm. rev. p. m. fr. Bartholomaeo Garcia a Turri diffinitore s. Antonini de Novo Regno,
adm. r. p. baccal. fr. Ioanne Permuta diffinitore s. Dominici Venetiarum,
admodum rev. p. magistro fr. Francisco de Trinitate et Arietta diffinitore ss. Rosarii Philippinarum,
admodum r. p. m. fr. Francisco de Burgoa dif. s. Hippolyti de Oaxaca,
admodum rev. p. magistro fr. Georgio Rainoldi dif. s. Petri Martyris,
admodum rev. p. mag. fr. Hyacintho Ferrari a s. Marco dif. Russiae,
admodum rev. p. magistro fr. Marino Miednicki diffinitore Lituaniae.

---

(1) De fr. Vincentio Baronio cf. SSOP. II, 655.

Universis ordinis praedicatorum patribus et fratribus fr. Ioannes Baptista de Marinis, sacrae theologiae professor, eiusdem ordinis humilis magister generalis et servus, salutem in Domino sempiternam.

Voto complusculorum, imo etiam nostro, satisfactum est indictione ac celebratione huius generalis capituli, quod inquietorum temporum procellosa lubricitas et ultra spem distulerat et tantisper ulterius differendum consulebat, velut praesaga tristissimae calamitatis, quae nobiscum patres conscriptos nondum a loco capituli digressos improvisa circumdedit miserrimeque implicuit. Vix enim absoluta haec nostra comitia laetam exceperant de more coronidem, quando ad gliscentis contagii publicos horrores tota repente Roma dispalluit; primique nos, eo quo tunc eramus numero frequenti ac populoso, utpote capitulari, disclusi fuimus a reliquae Urbis commercio, nulla evadendi spe relicta; nam, quod ad conventum s. Mariae super Minervam tot advenis refertum iam lues divertisse credebatur, obpessulatis undique foribus coacti sumus insimul consistere stricto limine, quodque capitulum fuerat, in capulum, abbreviante peste, transiturum videbatur.

Clavum olim figebat Romanus consul non procul a Minervae aede, quo credebatur sisti epidimia, ne ultra serperet. Fuit haec illorum temporum fatua superstitio. Nobis sane occlavato undique nostro Minervae domicilio neutiquam stetit malum, quin ab ultima transtyberina regione citeriorem Urbem inundaret universam. Exinde quae vicatim hominum strages, quae passim familiarum excidia, non est nostrum hoc loco prosequi; sufficit nobis exclamare posse cum propheta: « Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti » (1). Ac vestris quidem id precibus nos debere agnoscimus, quod miserante tam propitio Numine in iis periculis servati sumus et utinam non ad graviora. Interim cum magno Gregorio ex occasione non absimili lubet dicere: « Geminati in nobis dolorum sunt gemitus » (2), quod hinc nos impediebat ab actibus capitularibus praelo mandandis contumax aerumna periculorum in Urbe grassantium ex intervallo, inde coniectabamus, vos eorumdem actorum desiderio quo longiori, eo acriori discruciari. Verum sat cito, quidquid sat bene. Habetis demum, quod dudum expectastis capituli nostri generalis absolutissimum enchiridion, vestrorum, si agnoscitis, profectuum salubre compendium, in quo perspicuum vobis fiet, praecipuum nostrum huiusque diffinitorii fuisse studium, non quo novas multiplicaremus leges, sed magis firmaremus ac declararemus antiquas, non immemores,

(1) Thren. 3, 22.
(2) Lib. 8. ep. 41. ad Dominic. Cartag.; cf. Migne P. L. LXXVII, 1115.

quid apud Laertium (1) de immodica legum accumulatione censuerit Arcesilaus conferendo eas medicis, quorum ubicumque densior aequo excrevit numerus, ipsa quoque morborum copiosior emergit seges, ita, inquiebat, et leges, ubi plurimae sunt, reipublicae valetudinem onerant et suapte multitudine neque curant neque curantur.

Superest, quod vos, patres et fratres dilectissimi, affectu, spiritu, devotione, qua par est, cum superiorum capitulorum sanctionibus complectamini pauculas istas, sed pernecessarias, quasque per tot discrimina, uti perstrictum supra, enixi sumus; utique non abiiciendus est partus, qui tanto dolore consistit. Soli vestrae utilitati hic laboratum ac sudatum est, dum tamen non exciderit vobis, quod scite olim pronuntiavit Epictetus: « Statuta, inquiens, solis obedientibus virtutem suam declarant » (2), vel quod succinctius graviusque sacer Paraemiastes: « Si volueris mandata servare, conservabunt te » (3).

Valete, filii in Domino charissimi, et quod anno elapso manifeste sensimus, precum vestrarum iuge subsidium nobis sub tanta sarcina gementibus impendere non cessate.

Acta capituli generalis Romae in conventu s. Mariae super Minervam ordinis praedicatorum celebrati in festo Pentecostes, die 4. iunii anno 1656, sub reverendissimo p. fr. Ioanne Baptista de Marinis, sacrae theologiae professore, magistro generali eiusdem ordinis.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, ac beatae Mariae semper Virginis et beati Dominici patris nostri omniumque Sanctorum.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus, s. d. n. Alexandrum divina providentia papam VII. fratribus nostris passim in sacrarum missionum fructuoso exercitio laborantibus necnon fidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, praeter apostolicam benedictionem insuper concessisse plenarias indulgentias in forma brevis, cuius hic est tenor:

Alexander papa VII.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Caelestium munerum thesauros, quorum dis-

---

(1) Diogenes Laertius lib. 4. cap. 6.

(2) *In margine:* Apud Anton. in (?) Maximo ser. de lege. Cf. Antonius Melissa Pars I. sermo 67. Migne P. G. CXXXII, 977; Maximus Confessor Eclogae 58. Migne l. c. XCI, 977.

(3) Eccl. 15, 16.

pensatorem esse nos voluit, nullis licet nostris meritis, divina clementia libenter erogamus, cum ad religionis incrementum et animarum salutem profecturos speramus. Sane cum, sicut accepimus, nonnulli fratres ordinis praedicatorum s. Dominici de licentia ordinarii et suorum superiorum in diversas christianas reipublicae provincias ad procurandam fidelium salutem mitti soleant, nos eorumdem fratrum pietatem eorumque, ad quos illi mittentur, devotionem fovere atque augere cupientes, omnibus et singulis fratribus praefatis ac aliis utriusque sexus christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, nostram et apostolicam benedictionem per praesentes impartimur, eisdemque vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui pro sanctae Romanae ecclesiae exaltatione, principum christianorum unione, infidelium conversione et haeresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, una vice tempore dictae missionis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus praesentibus ad septennium valituris. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 15. martii 1656, pontificatus nostri anno primo.

G. Gualterius.

2. Denuntiamus, ab eodem s. d. n. concessam fuisse plenariam indulgentiam semel in anno iis, qui iuxta laudabilem ritum a paucis annis per nostros salubriter introductum hora sive diurna sive nocturna sibi in sortem designata rosarium devote recitarint. Tenor concessionis in forma brevis est iste:

Alexander papa VII.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui hora sibi assignata rosarium b. v. Mariae devote recitaverint et pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac s. matris ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel in anno dumtaxat omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; praesentibus ad septennium, quo vero ad Indias ad quindecim annos, tantum valituris. Volumus autem, quod, si pro impetratione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut sponte oblatum

recipiatur, praesentes nullae sint eo ipso, quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 1. iunii 1656, pontificatus nostri anno secundo.

Gratis pro Deo et scriptura.

G. Gualterius.

3. Denuntiamus, reverendissimum magistrum ordinis de assensu et placito totius diffinitorii decrevisse erectionem novi et amplioris archivi totius ordinis, in quod omnia monumenta, bullae, diplomata, brevia, documenta, scripturae authenticae, et quidquid eiusmodi ad religionem nostram spectat, ordinate comportabuntur, atque exinde sincera et integra nostri ordinis historia a tot iam lustris desiderata labore ac industria certorum patrum ex diversis provinciis ad hoc eligendorum studiosissime extrahetur. Eorumdem quoque erit promovere ad typos summaque assiduitate accurare impressiones complurium illustrium scriptorum nostri ordinis, quorum praeclara opera hactenus sine praelo in tenebris delituerunt. Cum vero res adeo necessaria totque votis merito expetita nequeat sine immenso sumptu ad effectum deduci, ultro visum fuit diffinitorio, offerre ad huiusmodi impendia ex singulis provinciis et congregationibus unam medietatem contributionis quotannis eidem magistro ordinis pendi solitae, idque quamdiu huius operis molimini fuerit insistendum.

4. Cum in variis etiam longe dissitis regionibus fidelium devotio frequenter eleemosynas, vota aliaque sacra donaria conferat, destinanda in ornamentum, usum commodumque ecclesiae nostrae vel conventus sancti Dominici in Suriano Calabriae, ob thaumaturgam eiusdem sanctissimi patriarchae nostri imaginem, quae illic asservatur, ideo, ut huiusmodi dona certius faciliusque ad praedictum locum transmitti possint, denuntiamus universis nostri ordinis provinciis ac religiosis, fuisse in hoc generali nostro capitulo provisum, quod in praecipuis iisque opportunioribus Italiae urbibus, nimirum Romae, Mediolani, Neapoli, Venetiis et Ianuae semper extent patres specialiter deputati, ad quos praetacta omnia fideliter sint destinanda, ut in Calabriam ad conventum supranominatum transmittantur. Ii vero sunt Romae admodum rev. p. mag. procurator generalis ordinis pro tempore, Mediolani p. prior s. Mariae Gratiarum, Neapoli p. prior s. Mariae Salutis, Venetiis p. prior ss. Ioannis et Pauli, Ianuae p. prior s. Dominici; mandantes omnibus sub aggravamine conscientiae, ut, quidquid oblationum aut donorum eo titulo susceperint,

prima quaque occasione data ad unum ex patribus praenominatis, modo quo potuerint securiori et expeditiori, transmittere connitantur.

5. Denuntiamus, ex decreto sacrae congregationis rituum fuisse constitutum, quod deinceps per totum regnum Neapolitanum die 4. augusti quotannis principale festum s. p. n. Dominici, utpote universalis et unici patroni totius regni praedicti, celebretur instar reliquorum festorum de praecepto; idque confirmatum fuit per breve speciale fel. rec. Innocentii X. sub hoc tenore:

Innocentius papa X.

Ad perpetuam rei memoriam. Apostolatus officium nullo meritorum suffragio nobis ex alto commissum postulat, ut in his, per quae sanctorum Christi confessorum cultus et veneratio in dies magis augeatur, eiusdem officii partes propensis studiis impendamus piisque Christi fidelium in id tendentibus votis benignum praebeamus assensum, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane nomine dilectorum filiorum communitatum Neapolitan. et aliarum civitatum, nec non universitatum, oppidorum et terrarum totius regni Neapolitani nobis nuper expositum fuit, quod cum ipsi s. Dominicum in patronum et protectorem civitatis Neapolis totiusque regni praedicti canonice elegerint, pro eo quem erga ipsum gerunt devotionis affectu, atque ut grati animi erga illum in posterum extet monumentum, eiusdem sancti festum diem de caetero tamquam de praecepto ut infra servari, et propterea sibi per nos desuper opportune provideri summopere desiderent. Nos piis earumdem communitatum et universitatum desideriis in praemissis annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illarum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in civitate Neapolis ac in toto reliquo regno Neapolitano praedicto ipsius s. Dominici natalitius dies tamquam festum de praecepto ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus civitatis ac regni praedictis servetur et servari omnino debeat, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus ac decernimus et declaramus. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis ac episcopis ceterisque locorum ordinariis in dicto regno constitutis per praesentes praecipimus et mandamus, quatenus easdem praesentes in suis quisque ecclesiis et dioecesibus publicari faciant ac omnes et quoscumque sibi subiectos ad

praedicti festi celebrationem omnibus iuris remediis cogant atque compellant. Super quo plenam et amplam illis per praesentes concedimus facultatem, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quibusvis privilegiis, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis eorum omnium tenore praesentium pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 18. decembris 1654, pontificatus nostri anno undecimo.

G. Gualterius.

6. Denuntiamus, quod Hispaniarum et Indiarum rex catholicus pro suo erga religionem incomparabili ardore ac zelo, praehabitis relationibus de admirabili vita sororis Rosae de s. Maria, Peruanae Limensis, nostrique ordinis tertiariae professae, et susceptis memorialibus desuper maiestati suae a Limensi civitate et utroque tam ecclesiastico quam seculari totius regni Peruani statu suppliciter oblatis iterarit pluries devotas apud sanctam sedem apostolicam instantias pro illius solemni beatificatione, iamque sacrae rituum congregationi ex ordine regio porrectae sunt prolixae et accuratae informationes, in vi apostolicarum remissorialium undique collectae, quae stupenda praenominatae sponsae Christi prodigia et germanam s. Catharinae Senensis imitationem exhibent, ac modo ad effectum beatificationis examinantur.

Eadem regia pietate sua maiestas a s. d. n. efflagitare pergit expeditionem apostolicarum remissorialium et compulsoriarum pro colligendis informationibus de vita, morte gestisque mirabilibus fr. Ioannis Massias conversi ac filii eiusdem nostrae provinciae s. Ioannis Baptistae de Perù, quondam Limae in conventu s. Mariae Magdalenae portarii, de cuius asperrimis poenitentiis, virtutibus multisque creberrimis e coelo favoribus ac prodigiis ea referuntur, quae merito Limensem civitatem totumque regnum Peruanum induxerunt, ut ad eius beatificationis negotium promovendum regiam sollicitudinem humillime implorarent.

7. Cum ob breve regimen ac vitam fr. Ioannis Claree, qui Papiae anno 1507 in xxxvii. magistrum ordinis electus fuit, acta illius capituli ad typos minime, quod sciatur, pervenerint, unde vix ullibi in provinciis aliquod ipsorum exemplar aut vestigium reperitur, censuimus ea his iis-

dem typis salubriter ab interitu vindicanda; sicque ad horum actorum calcem illa pariter impressa damus una cum duobus Iulii II. fel. rec. diplomatibus, quae in iisdem actis allegantur.

Declarationes.

1. Regularis disciplinae instauratio, quae huius nostri capituli praecipuus est scopus, maxime accersenda videtur ex propria nostrae professionis formula, qua expresse Deo, beatissimae Virgini, b. Dominico et magistro ordinis puram obedientiam promittimus, cui deinde reliqua duo solemnia vota accessorio comitatu innexa subintelliguntur. Proinde, cum unius obedientiae relaxatio seu, quod idem est, auctoritatis magistri ordinis convulsio ipsum nostrae professionis fundamentum evertat, decernimus eliminandas ab ordine nostro frivolas omnes interpretationes et effugia, quae ad enervandam parendi obligationem, ad declinandas correctiones, ad eludenda supremi et unici capitis nostri mandata perniciosissime interdum excogitantur. Quare declaramus, simpliciter et ad literam standum esse tenori verborum, quibus sacrae constitutiones nostrae dist. 1. cap. 15. de professione text. 1. lit. F., item dist. 2. cap. 3. de electione prioris provincialis text. 8. lit. H. et cap. 4. de electione magistri ordinis text. 5. lit. F. auctoritatem generalis magistri in ordine nostro diffiniunt, fundant, stabiliunt, qui videlicet curam animarum omnium fratrum plenarie habet et libere gerit; cui proinde tenemur omnes devote et humiliter secundum regulam et constitutiones obedire, cum non venerimus contendere, sed potius delicta corrigere. Voluntarie enim in spiritu humilitatis et in animo contrito sacrificavimus nosmetipsos Deo in professione; et si tantum confiteamur nomini sancto suo et gloriemur in laude eius, sic demum pingue, medullatum et acceptabile erit sacrificium nostrum, illique gratam exhibebimus servitutem. Itaque magister ordinis ex vi voti obedientiae sibi in professione praestiti est iure constitutionum ordinis et per privilegia apostolica proprius et immediatus praelatus omnium fratrum et conventuum totius ordinis; potest auctoritate propria ligare et absolvere et omnes ac singulos fratres, praelatos, priores provinciales et conventuales et alios quoscumque officiales ac priorissas monasteriorum, quoties sibi videbitur, instituere et destituere, eorum officia et auctoritates limitare, revocare et a suis officiis removere et loco ipsorum alios vel alias substituere ac in curia Romana procuratorem generalem instituere et institutum ab ipso officio removere, quoties sibi et suis successoribus videbitur expedire; eaque agere in ordine, quae ipse et diffinitores capituli generalis iuxta constitutiones eiusdem ordinis agere possunt.

2. Cum certis quibusdam sive conventibus sive congregationibus aut etiam provinciis intuitu sanctae observantiae complura privilegia, exemptiones ac iura peculiaria pro manutentione ac incremento arctioris di-

sciplinae concessa reperiantur, declaramus, quod, sicubi aut iam illae observantiae rigor excidit aut in posterum excidet, simul cadant cassaeque censeantur omnes illae gratiae ad hunc intuitum concessae, et quoad opus est, procuretur idipsum quoque per sanctam sedem apostolicam declarari. Caveant proinde talium communitatum superiores, ne ulla ratione directe vel indirecte in aliqua earum strictiorem observantiam relaxent aut relaxari permittant; quod si inventi fuerint tali relaxationi consensisse, favisse, collaborasse, ipso facto sint absoluti a suis officiis et perpetuo incapaces ad quaecumque ordinis munia deinceps obeunda.

3. Declaramus, quod in nullius provinciae, congregationis, conventus aut collegii arbitrio vel potestate situm sit, ullam legem condere aut consuetudinem introducere sive introductam prosequi, qua receptio visitatoris aut commissarii a reverendissimo magistro ordinis destinati vel ad horam suspendatur, differatur aut impediatur. Proinde sicubi talis lex aut consuetudo praetenditur, eamdem tamquam voto obedientiae et auctoritati supremi nostri capitis inique praeiudicialem omnino cassamus et annihilamus, praecipientes omnibus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae, sub formali praecepto, nec non sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda, ne huiusmodi legis aut consuetudinis obtentu deinceps praedictos visitatores seu commissarios recipere cunctentur, multo minus a libera sui muneris inchoatione impediant, memores, eamdem censuram in contraventores iam pridem fulminatam fuisse in tribus immediatis capitulis generalibus, nempe Avenionensi 1470 ordin. 5., Basileensi 1473 et Romano 1474, et quidem universalius contra omnes illos, qui qualescumque litteras patentes magistrorum ordinis a suo effectu impedire aut retardare ausi fuerint; quos pariter sub hoc nostro praecepto ac censura comprehendi declaramus.

4. Ad tollendam omnem in posterum ambiguitatem declaramus, quod, quotiescumque reverendissimus magister ordinis ad aliquam provinciam vel congregationem destinat suum commissarium visitatorem cum adiecto titulo vicarii generalis, talis non solum in actualis visitationis exercitio, verum etiam extra illud in omni loco domoque infra districtum suae commissionis debeat obtinere locum supra ipsum provincialem ac praesidem illius provinciae vel congregationis.

5. Cum magister ordinis praeter eam auctoritatem, quae sibi ordinaria est et ex vi sacrarum constitutionum aut iure communi competit, quamplurimas insuper facultates habeat sibi suoque officio delegatas et a sancta sede apostolica successive indultas, ideo ad supervacaneum quorumdam scrupulum removendum declaramus, quod, quotiescumque in patentibus aut rescriptis magistri ordinis ponitur « auctoritate officii nostri » aut alia huic aequivalens clausula, censeatur illa complecti tum

ordinariam tum aliam quamlibet officio delegatam auctoritatem, siquidem ista hoc ipso in ordinariam transiisse videatur. Unde non est subditorum disquirere, utra harum duarum auctoritatum magister ordinis hoc illudque statuat vel prohibeat in suis litteris, sed sufficit omnium securitati modeste supponere, quod, dum magister ordinis tale quid ordinat, vetat aut declarat, alterutram istarum auctoritatum habeat et adhibeat, sicque eidem et simpliciter credendum et humiliter devoteque parendum est. Ubi vero in huiusmodi litteris determinate allegatur auctoritas apostolica, numquam subdito fas erit hanc in dubium revocare, tametsi expresse ac individualiter non citetur diploma aut breve, quo illa magistro ordinis fuerit concessa. Qui secus fecerit aut attentarit, veluti reus violatae obedientiae ac reverentiae summo ordinis capiti debitae ipso facto poenam gravioris culpae incurrat, a qua nonnisi per capitulum generale vel magistrum ordinis valeat liberari.

6. Inhaerentes salubri ac pernecessario decreto ultimi capituli Valentini ord. 19. declaramus, omnes omnino provincias ordinis obligari, quod acta suorum capitulorum provincialium tam intermediorum quam electionis mittant ac submittant revisioni, correctioni et approbationi magistri ordinis, ita quod vim non habeant, priusquam ab illo confirmentur. In provinciis tamen Indiarum occidentalium et orientalium, necnon insularum Canariarum ob nimiam illarum ab Urbe distantiam concedimus actis earum capitularibus vim ac valorem, prout ante hoc capitulum habebant, ita tamen ut nihilominus et ipsa mittenda sint magistro ordinis, prima data occasione, eiusque emendationi, limitationi, mutationi etc. subiicienda.

7. Declaramus, quando in sacris constitutionibus nostris dist. 2. cap. 8. text. 1. dicitur, posse per magistrum ordinis cum diffinitoribus vel cum discretorum maturo consilio etc. capitulum generale per annum praeveniri aut etiam prorogari, his verbis « per annum » nequaquam restringi facultatem prorogandi ad unicum dumtaxat annum, si causa intervenerit legitima et urgentissima, sed solam coarctari potestatem anticipandi seu praeveniendi. Proinde abolemus et cassamus admonitionem quartam capituli anno 1629 Romae celebrati ac statuimus, ad eiuscemodi prorogationem rite faciendam id sufficere, quod sacra constitutio diserte loco citato expressit.

8. Declaramus, gradus in ordine nostro sic ad obedientiam magistro generali debitam pertinere, quod citra huius expressam licentiam nemo fratrum pro suo arbitratu possit suo gradui renuntiare, quin revera maneat graduatus, quamdiu magister ordinis renuntiationem illam non acceptarit; multo minus valere decernimus, si quis in favorem alterius explicite vel implicite cesserit gradu suo, cum huiusmodi resignationes in

solas manus reverendissimi magistri ordinis nec aliter quam absolute fieri debeant. Idem intelligi volumus de antiquitate seu graduum seu professionis, item paternitatis provinciae, et si qua similia dantur a magistro ordinis, de quibus privata auctoritate nullus fratrum potest disponere sive renuntiando sive cum alio permutando; quos actus ipso iure nullos irritosque decernimus.

9. Declaramus, quod, quandocumque contigerit fratrem ex ordine nostro praesentari, proponi, eligi aut nominari ad quemcumque episcopatum vel archiepiscopatum, talis etiam post datam a magistro ordinis licentiam acceptandi nondum sit a iugo obedientiae regularis et ordinis absolutus, nec ab officio, si quo fungebatur, liberatus, donec de more a s. d. n. in consistorio fuerit pronuntiatus episcopus, et bullae ad ipsius manus pervenerint, illasque ipse legaliter acceptarit.

10. Declaramus, quod in obitu sive magistri ordinis sive procuratoris generalis relicta eorum supellectilia, praecipue vero registra, indices, scripturae librique omnes cuiuscumque generis aut materiae neutiquam dividenda sint cum ipsorum conventu originali, sed integre maneant ac serventur officio et successori.

11. Declaramus, quod, ubi complura capitula generalia statuerunt, aliquos saltem in singulis provinciis conventus pro exacta regulae et constitutionum observantia deputari, in quibus nimirum absque dispensationum usu ad literam nostrarum legum vivatur, id non eo sensu accipiendum sit, quasi per hoc cum reliquis domibus aut religiosis extra praedictos observantiae conventus manentibus censeatur tacite dispensatum, ne deinceps ad ipsos ea pertineant, quae observantiam sapiunt, vel quasi non teneantur et ipsi adniti pro viribus, ut secundum regulam et constitutiones vivant, prout in suae professionis formula diserte promiserunt; quin potius advertant, dum a solis conventibus exactioris observantiae relegatur omnis dispensatio, non ob hoc a conventibus dispensationis usum tantisper adhuc tolerantibus observantiam relegari.

12. Declaramus, omnes fratres nostros, cuiuscumque dignitatis, officii aut gradus fuerint, nemine prorsus excepto, obligari ad assiduam chori tam nocturni quam diurni sequelam, demptis solis lectoribus actualibus et magistris actu docentibus, ita quod, si forte in aliquibus provinciis peculiari consuetudine magistris numerariis, quos vocant, ac rite post expletos suarum lectionum cursus acceptatis aliquid ea in re indulgeatur, nequaquam id ad alios titulares magistros, vel qui munia sua nondum expleverunt, sit extendendum. Comprehendimus autem sub magistrorum actu docentium nomine illos quoque magistros acceptatos, qui fructuose occupantur in conscribendis libris, habendis ad populum concionibus et in assidua sacramenti poenitentiae administratione. Nihilominus et hos sol-

licite hortamur, ut sui status memores, ultro dum possunt, satagant choro divinisque laudibus adsistere nec umquam ab eo omnimode se exemptos putent, cum nostrae professionis sit tessera: laudare, benedicere, praedicare.

13. Declaramus, ordinationem 11. capituli Romani anno 1629 celebrati, qua statuitur, officium provincialium quadriennalium incipere ab ipso capitulo electionis, pariter intelligendam esse de reliquis provincialibus sive biennium sive triennium duraturis, cum eadem utrobique militet ratio, nempe ut capitula provincialia suo diffinito tempore perpetim celebrentur, nisi casus mortis vel amotionis aliud exigat.

14. Cum iuxta normam formamque ordinis nostri inter provincialium et priorum conventualium electiones praeter alia hoc intersit, quod in illa finito semel capitulo pp. capitulares statim disperguntur ad proprios suos conventus, longissimeque ab invicem secedunt, non facile colligendi, in hac vero capitulares remanent simul in eodem conventu, facile ad novam electionem congregandi, si priorem cassari contigerit, idcirco sacra contitutio attentis incommodis, quae intervenirent, si in capitulo provinciali vocales mox ob prioris suae electionis defectum aut dilationem vel diutius simul eodem in loco haererent vel capitulo iam dissoluto iterum ex tota provincia in unum forent congregandi, quod quidem absque illorum gravi molestia novisque sumptibus ac diuturna priorum a suis conventibus absentia non posset fieri, his aliisque dispendiis obviandum duxit ac pro meliori regimine dist. 2. cap. 3. text. 4. generaliter providit et sanxit, quod in electione provincialium, « si in die statuta non elegerint vel postulaverint, qui debent eligere, ad magistrum ordinis potestas providendi transferatur ». Secus vero est in electione priorum conventualium, qui si forte in die statuta non eligantur, alia die infra eumdem mensem eligi possunt. Proinde declaramus, in illo citato constitutionis textu « si die statuta » etc. translationem provisionis ad magistrum ordinis non esse poenam, nec ibi importari privationem aliquam poenalem vocalibus, pro eo quod « die statuta » non elegerint aut vitiose elegerint, sed esse meram provisionem remedii ad evitanda praetacta incommoda, ita quod, si vocales ad eligendum provincialem capitulariter convocati pro certa die aut electione abstinuerint aut male vitioseque elegerint, quae duo quoad incommoda supradicta manifeste parificantur, tunc ius providendi sit penes magistrum ordinis, ut sic provincia ab iteratione molestiarum et sumptuum et a damnis, quae ex longa priorum absentia, ex interregno novique capituli conscribendi mora et diuturna idonei capitis carentia oriri solent, libera maneat ac immunis.

15. Declaramus, ad mentem sacrae congregationis eminentissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium negotiis ac consultationibus episcoporum et regularium praepositae, habito etiam desuper verbo cum s. d. n.,

quod, ubi provinciales solo biennio aut etiam triennio periodum sui officii explent, ipsis pro interstitio sufficiat, si integro duorum provincialatuum spatio, nempe biennales quadriennio, triennales sexennio vacaverint, quo finito rursus ibidem in provinciales eligi possint.

16. Declaramus, provincialem, quoties urgenti ex causa debet a sua provincia secedere vel abesse, posse, imo debere suum in ea relinquere vicarium cum auctoritate plenaria sive ad universitatem causarum, ut vocant; quae tamen auctoritas in vicario cadit ac sponte extinguitur ipso facto, quo provincialem denuo intra provinciam adesse constiterit.

17. Declaramus, quod, ubi prioratus sunt biennales, etiam vicariatus locorum non debeant biennii spatium excedere, nec eo expleto possit provincialis eumdem vicarium ibidem in dicta praefectura confirmare.

18. Declaramus, quod, cum provinciales non facile debeant soleantve aut absolute aut per simplicem depositationem distinere aliquem fratrem extra conventum suae assignationis, nihilominus, ubi id aliquando ex causa necessaria et urgente faciunt, non censeatur talis depositatus ex hoc impeditus aut prohibitus accedere, si velit, ad conventum suae assignationis, quoties in eo imminet facienda aliqua electio, etiam quando locus suae depositationis ultra diaetam distaret a conventu suae assignationis; proinde talis non minus quam ceteri vocales intra diaetam absentes vocandus erit ad electionem, nisi ratione scandali fortasse in alio remotiori loco fuerit depositatus.

19. Declaramus, quod neque priores conventuales neque provinciales cuiquam suorum fratrum sive domestico sive hospiti concedere possint licentiam generalem seu vagam et indeterminatam exeundi e domo, etiam si sit magister aut pater provinciae, quod pariter a sanctae mem. Clemente VIII. decretum fuit, sed singuli toties, quoties exeundum erit, teneantur licentiam petere nec aliter quam cum socio sibi a superiore designato foras prodire. In reditu vero iunctim praesentare se debent priori vel praesidenti pro benedictione iuxta praescripta capitulorum generalium Neapoli 1600 et Romae 1608.

20. Similiter declaramus, nec priorem conventualem nec provincialem suis subditis posse concedere vagam seu indiffinitam facultatem expendendi pecunias, sed hanc toties quoties ad usus certos esse a superiore determinandam.

21. Inhaerentes decretis capitulorum generalium Romae 1481 et 1484 celebratorum declaramus, non esse in potestate diffinitorii cuiuscumque capituli provincialis sive provincialem officio defungentem sive alium quemcumque eximere a plena subiectione sui prioris aut concedere, quod suo arbitratu sibi conventum eligat, in quo deinceps maneat immediate subditus provinciali pro tempore, ita quod a priore suo conventuali ne-

quidem e domo exeundi licentiam aliasve similes petere teneatur. Quem abusum, utpote vitae regulari plane dissonum atque in nostro ordine nuspiam tolerandum, sicubi irrepsit, eliminamus, et si alicui forsitan quidquid eiuscemodi per talem viam concessum fuit, totum cassamus, una irritantes et annullantes quascumque exemptiones ac privilegia, quae forte sibimetipsis diffinitores alicubi applicuere; mandantes sub poena privationis graduum et utriusque vocis tam iis, qui fuerunt provinciales, quam qui in aliquo capitulo provinciali diffinierunt, quod omni eiusmodi privilegiorum ac gratiarum usu, utpote male fundato, abstineant suisque prioribus et conventuum praesidentibus ad modum ceterorum fratrum per omnia subiaceant.

22. Declaramus, quod in socium prioris capitulum provinciale adituri possit eligi quicumque frater, etiam absens, dummodo sit assignatus et alias vocem habeat.

23. Declaramus, quando subinde in casu particulari contingit dispensari cum aliquo, ut ante legitimam aetatem in hoc vel illo conventu possit in priorem eligi, non censeatur exinde dispensatus absolute pro omni alio prioratu ubivis obtinendo, idque curent superiores expresse cavere in patentibus per adiectionem clausulae « pro hac vice tantum ». Idem extendimus pariter ad monialium confessarios, pro uno aliquo monasterio dispensatos.

24. Declaramus, nequaquam esse in arbitrio priorum seu praesidum cuiuscumque conventus admittere vel non admittere fratrem a legitimo praelato sive provinciali sive magistro ordinis missum, assignatum vel depositatum; statuentes, quod superior quisquis huiusmodi fratrem detrectarit suscipere, in poenam suae inobedientiae ipso facto absolutionem ab officio incurrat.

25. Declaramus, quod neque admonitio 8. capituli Romae 1589 celebrati nec aliud quodcumque ordinis statutum concedit lectoribus actu legentibus aliquod ius proprium, ob quod per suos provinciales in visitatione aut extra amoveri non possint ante cursum expletum; tametsi provinciales moneantur, ne ex quacumque causa levi aut frivolo praetextu cursum lectorum interrumpant cum damno discipulorum; proinde, sicubi provincialis eiusmodi lectorem ante tempus necessario amovendum iudicaverit, valida erit talis amotio.

26. Declaramus, quod, ubi constitutio nostra dist. 2. cap. 16. text. 4. specialiter pro lectoribus determinat, quod assignari possint cum voce in conventibus, ubi infra proximos duos menses imminet facienda electio, intelligendum de solis lectoribus primariis, si studium eius loci plures habeat lectores. Ubi vero unicus tantum lector docet, intelligatur de illo utpote doctore conventus.

27. Declaramus, quod infra praedictos duos menses imminentis electionis subprior loci neque ab officio neque a conventu possit removeri nisi in casu, quo alibi fiat prior aut lector primarius, vel ratione scandali. Item infra hos duos menses non potest mitti aliunde novus subprior, non obstante quacumque praxi contraria. Nihilominus in casu mortis vel amotionis prioris subprior, etiamsi intra proximos duos menses fuisset ibidem recenter institutus, et vocem habet et electionem dirigit; similiter si infra praedictos duos menses officium sui subprioratus finierit, remanebit subprior usque ad novi prioris confirmationem inclusive.

28. Conformiter ad tenorem actorum capituli generalis Vallisoletani anno 1605 celebrati declaramus, quod subprior nondum habens sex annos a professione, tametsi voce tunc adhuc careat, debet tamen electionem dirigere, functiones praeliminares exequi, vocales congregare, iisdem absolutionem generalem impertiri, quae electioni praemitti solet, protestationes consuetas facere etc. Tunc vero ad bancum sedere, vota scrutari, decretumque formare ad ipsum non spectabit, sed in eius locum eligendus erit de corpore vocalium alius scrutator, modo quo sacrae constitutiones disponunt, nimirum per vota secreta; et si iste electus scrutator forte sit reliquis duobus professione antiquior, formabit electionis decretum, alias non.

29. Declaramus, quod vocalis, qui una electione, cui interesse poterat ac debebat, votum suum cassavit, non possit eodem anno alibi eligere, sed quoad hoc habendus sit, ac si in illo priori actu revera elegisset.

30. Declaramus, nulla ratione competere superioribus, quod facultatem monialium de confessario extraordinario quater in anno eligendo impediant vel coarctent, dummodo a monialibus eligantur ad id munus idonei, quique sint religiosi professi nostri ordinis.

31. Declaramus, prout alias quoque de monialium vicariatu constitutum fuit, quod nempe absente priore cura monialium non devolvatur ipso facto ad subpriorem, nisi forte aliter alicubi disposuerit provincialis, sed ad earumdem p. confessarium. Ubi autem plura monasteria unius prioris curae subsunt, et simul aliquem ex confessariis abesse contingat, dum abest prior, cura utriusque monasterii, si duo sint, ad confessarium, qui remanet, pertineat. Ubi autem sunt plura duobus, cura absentium spectabit ad confessarium professione antiquiorem.

32. Pro omni in posterum ambiguitate tollenda declaramus, quod quando novitius pro alio conventu indutus termino suae probationis appropinquat, prior et consilium patrum teneantur monere tempestive nativum eius conventum de facto examine deque novitii idoneitate, si habilis sit ad profitendum, ut si nativus conventus vel eum capitulariter acceptare voluerit, vel nihil opponendo idipsum reliquerit in manu con-

ventus, ubi novitius probatur, isthic absque haesitatione procedi possit ad capitularem eius receptionem, in qua tamen prior recipiens protestetur explicite, quod ipsum non pro isto, sed pro nativo conventu ad professionem admittit.

33. Declaramus, novitios conversos unico ad minus anno, nempe ultimo suae probationis, omnino debere educari et probari in conventibus, ubi sunt domus novitiorum.

34. Declaramus, ex communiori ac potiori religionis sensu, quidquid fortasse paucis hactenus ea in re libuerit addubitare, omnes nostri ordinis clericos professos teneri simpliciter ad recitandum officium b. Virginis illis diebus, quibus in choro recitatur.

35. Declaramus, quod, quando missa cantatur cum ministris, antequam diaconus evangelium canat, sacerdos stans in presbyterio illud legere debeat.

36. Circa declarationem 8. capituli Valentini 1647 celebrati, quod nimirum in provinciis alternativae subiectis tam electio quam institutio provincialis extranei non sit computanda pro rata ullius partis, addimus et ulterius declaramus, idem censendum esse in casu, quo forte magister ordinis in vi dispensationis factae pro illa vice super alternativa institueret provincialem ex filiis eiusdemmet provinciae, ita quod, nisi magister ordinis clare ac disertis verbis aliud expresserit, illa dispensatio super alternativa simpliciter eximat ac liberet illum institutionis actum ab omni respectu et vinculo huius alternativae, sitque proinde talis institutio computanda velut extranea ab omni turno seu rata partium, non secus ac si totum regimen provincialis cum tali dispensatione instituti fuisset merum interregnum, post quod supradicta alternativa manebit semper, ut antea, in suo pristino cursu et primaevo ordine.

37. Declaramus, quod, ubi iura legesque nostri ordinis statuunt, indignos non esse promovendos ad gradum, ad collegium sive ad studium generale, id intelligendum sit non de sola insufficientia literarum, hebetudine aut incapacitate, sed vel maxime de indignitate morum, de pravitate indolis, de dissolutione ac vita scandalosa, criminosa parumve exemplari etc. Proinde in his observanda est ordinatio ultima Romae 1589 facta auctoritate apostolica Sixti V. sub hoc tenore: Qui in posterum ad poenas gravioris culpae ob delicta condemnabuntur, neque ad praelaturas neque ad gradus quoscumque assumi possint, nisi forte post multos annos ex anteacta vita mores et instituta in melius commutasse ita clare constiterit, ut merito etc. Itaque cuilibet graduando non minus illibatae famae ac morum quam scholasticorum meritorum fidele testimonium esse necessarium decernimus. Ex eodem capite nec ad studia generalia mitti possunt fratres discoli, inquieti, insolentes, de suspecta

familiaritate notati, sed ii soli, qui sint maturi in moribus, suaeque religiosae conversationis et indolis publicum habeant testimonium; secus vel non admittentur vel a studio relegabuntur, prout bene sancitum fuit Metis 1251 ord. 7., apud Pestum 1273 ord. 1., Ferrariae 1290 ord. 18., Insulis 1293 ord. 2., Romae 1589 ord. 6. reform. stud., Bononiae 1615 cap. de reform. stud. etc.

Confirmationes.

1. Pro tutela ac necessario plane munimento religiosae disciplinae in ordine nostro confirmamus totum id, quod capitulum generale anno 1647 Valentiae celebratum declaratione 9. circa appellationes salubriter inculcat his verbis: Declaramus textum const. dist. 2. cap. 8. § 5. de appellationibus non admittendis, videlicet: Appellans ab absolutione facta vel facienda ab officiis prioratus provincialis vel conventualis aut vicariatus, etiam praetextu gravaminis, ipso facto sit absolutus ab officio, volentes, quod in istis ratio gravaminis tam proprii quam communis non habeat locum quoad appellandum. Qui textus non solum habet vigorem ex vi recitatae constitutionis, quam ex voto profitemur, sed etiam ex approbatione et confirmatione speciali fel. rec. Iulii papae II. per litteras in forma brevis intimatas in capitulo generali celebrato Ianuae anno Domini 1513 denuntiatione 7. per haec verba: Denuntiamus omnibus, acceptatum esse unanimiter breve fel. rec. Iulii papae II. infrascripti tenoris (1).

Quapropter idem breve, prout supra relatum est, de novo, quatenus opus est, acceptantes et denuntiationem praefatam praedicti capituli confirmantes ad tollendas lites et servandam pacem in ordine ordinamus, eamdem constitutionem et breve omnino ponenda in viridi observantia, praecipimusque in casu appellationum omnia in ipsis contenta inviolabiliter observanda, hucusque praecitatum capitulum Valentinum, cuius toti tenori quoad hoc nos omne, quod possumus, firmitatis robur denuo adiicimus.

2. Confirmamus et in memoriam revocamus id, quod in capitulo generali Romae 1650 celebrato confirmatione 8. tam solicite, prolixe ac serio universis et singulis de non recurrendo ad favores, intercessiones aut protectiones extraneorum adversus praelatos ordinis deque huiusmodi adminiculis, etiam dum sponte offeruntur, non acceptandis inculcatum fuit, dictamque confirmationem 8., quasi verbatim, integre ac plene hic insertam haberi volumus etiam quoad universas poenas ibidem ex plurium capitulorum generalium longissima allegatione appositas, quas nunc iterumque omnes in transgressores renovamus et sine conniventia infligi mandamus.

---

(1) Sequitur hoc in loco breve citatum, quod invenies supra pag. 222, 19 seq.

3. Confirmamus id, quod ab eodem capitulo confirmatione 5. denuo stabilitum fuit de capitulis culparum statuto tempore celebrandis, aut saltim ubi studia literarum aliave evidentia impedimenta obstant, numquam ultra quindenam differantur, sub poena absolutionis ab officio infligenda praelato.

4. Confirmamus eiusdem capituli ordinationem 5., qua pro uniformitate in caputiis statuenda decens mensura modusque praescribitur his verbis: Apertura caputii circa faciem uno amplius palmo non sit facie longior, pars anterior ad pectus demissa infra sternum aut cartilaginem, quam medici vocant ensiformem, posterior a tergo infra cingulum ultra quatuor digitos non descendat, latera vero ab humeris infra medietatem ossis, quod axillae et cubito interstat, non extendantur. Porro ad hanc cuiuslibet fratris staturae proportionatam formam deinceps omnia caputia, quae noviter fiunt, conficiantur, facta vero ad eamdem intra spatium sex mensium ab huius ordinationis notitia corrigantur; quod inviolabiliter sub poena privationis utriusque vocis iubemus observari.

5. Confirmamus illam provinciae nostrae Lombardiae ordinationem, eamque simul ad provincias nostras Franciae et Romanam extendimus, qua statuitur, interstitium a confessariis monialium omnino observandum, nempe quod non possint in hoc munere ultra quadriennium sive in eodem sive in diversis monasteriis continuari nec alteri confessariatui applicari, donec ad minus per biennium ab omni huiusmodi officio vacarint; intra quod spatium possint, si provincialibus videbitur, occupari in officiis sive prioris sive subprioris aut magistri novitiorum vel syndici ac similibus. Porro ultra praefixum biennium confessariatus in uno monasterio non possint provinciales annum etiam unicum ipsis superaddere iuxta decretum capituli Romani anno 1583 celebrati.

6. Confirmamus, quod in capitulo Romano anni 1650 confirmatione 16. praescriptum fuit de modestia vestitus servanda a secularibus puellis, quae in monasteriis nostrae curae subditis educantur, quatenus etiam ipsae honesta decentique amictus simplicitate sese conforment sanctitati loci, in quo degunt, nec eum vanitate, superfluitate, pompa aut pretio secularium ornamentorum profanent.

7. Confirmamus ordinationem alias editam, quod in illis provinciis Europae, ubi provincialatus durat quadriennium, celebretur capitulum vel saltim congregatio intermedia, mox ut primum illius provincialatus biennium fuerit evolutum, nisi grave obstiterit impedimentum, magistro ordinis tempestive significandum.

8. Renovamus admonitionem 4. capituli generalis Vallisoleti anno 1605 celebrati eamque de speciali mandato s. d. n. Alexandri divina providentia papae VII. stabiliendo confirmamus sub illomet verborum tenore, quo

tunc edita fuit, nempe: Admonemus omnes verbi Dei concionatores et illis districte mandamus, ut summorum pontificum decreta circa conceptionem b. V. Mariae inviolabiliter observent et in concionibus eiusdem festivitatis a quaestionibus de peccato originali abstineant, caveantque, ne inter concionandum quidquam dicant, quod pias aures offendere possit, sed fiant conciones de laudibus eiusdem b. Virginis.

9. Confirmamus id, quod in ultimo capitulo generali Valentino inchoatum inque ultimo Romano approbatum fuit, ut ad illa verba tractus « Adiuva nos, Deus salutaris noster », usque ad finem totius versus chorus contra chorum devote genua flectat.

10. Confirmamus ad extremum apicem ea omnia, quae de peculiari devotionis affectu religiosissimae societati Iesu a nostris ubique exhibendo tum in generali capitulo Valentino admonitione 4., tum generalissimo Romano 1644 ordinatione 21. pie sancteque statuta sunt, ac patrum nostrorum vestigiis inhaerentes mandamus universim ac sigillatim omnibus nostri ordinis fratribus, quod praefatam celeberrimam religionem omni loco et occasione honorifice suspiciant, amice venerentur, palam ac privatim a calumniantium aculeis morsibusque defendant, hospitalitate, confidentia, necessitudine, obsequio colant nullaque seriae et intimae benevolentiae officia praetermittant, ut in mutuae dilectionis vicissitudine tum ipsi religiosi patres tum reliqui cognoscant omnes, quia Christi sumus discipuli. Praevaricatores vero huius sanctissimae legis, si qui deinceps fuerint, quod absit, mox ipso facto incurrant ac incurrisse declarentur privationem utriusque vocis, graduum et officiorum cum perpetua inhabilitate, quam solus magister ordinis vel capitulum generale auferre possit. Provinciales quoque et alii superiores, quicumque has poenas transgressoribus infligere dissimularint, a suis officiis absolvantur.

Ordinationes.

1. Ordinamus et in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto mandamus universis et singulis provinciarum, congregationum, conventuum ac locorum praesidentibus, quod sine humano respectu ullave conniventia aut dissimulatione declarent perduelles excommunicatos ac gravissimis poenis tum carceris tum aliis eos subiiciant, qui quocumque modo deprehensi fuerint vel asseruisse vel sustinuisse, sive in publico sive privatim, non esse praestandam obedientiam reverendissimo magistro ordinis, nec eius mandata acceptanda, nisi ipsemet intra fines provinciae vel congregationis ipsorum personaliter adsit, neque admittendam esse ullam ex eius commissione visitationem vel correctionem, nisi ipsemet hanc ibidem praesens exercuerit. Quam quidem perniciosissimam ac rebellionis foetore infamem persuasionem toto animo execramur, et sicubi forsan aliquod apostolicum privilegium adest aut

adesse praetenditur, quod tali immunitati favere videatur, illi ex nunc publico totius ordinis nomine ultro, libenter ac sponte renuntiamus.

2. Ordinamus, quod priores tam conventuales quam provinciales aliique seu ordinarii seu delegati superiores, quando suis defunguntur officiis, penes se privatim non retineant acta processuum vel sententias in aliquem fratrem sub eorum officio latas, sed, si lis omnino iam fuit terminata, scripturae omnes ad eam causam pertinentes statim reponantur in archivio conventus aut provinciae respective; si vero adhuc pendeat, illae consignentur manibus successorum absque dilatione.

3. Ordinamus pro speciali reverentia ac devotione erga sanctissimam virginem et martyrem Barbaram, morientium insignem advocatam, statuimus, quod eius festum quarta decembris in toto ordine deinceps sub ritu toto duplici celebretur. Item die 23. septembris de s. Thecla virgine et martyre fiat officium trium lectionum. Festo autem gloriosi patriarchae Ioseph, sponsi beatissimae Virginis, adiicimus octavam memoriae.

4. Ordinamus, quod patres confessarii, quoties in exteriori ecclesia populo sacramentum poenitentiae administrant, stolam patenter deferant, sicut Romae et aliis in locis iam fieri consuevit, nec tamen ob hoc intermittatur usus capparum, ubi talis inolevit consuetudo.

5. Ordinamus, quod sacerdos celebrans coram occluso sanctissimi sacramenti tabernaculo caveat, ne umquam tergum humerosve obvertat tabernaculo, sed dicturus « Dominus vobiscum » procedat ad medium altaris, ibique facta capitis inclinatione ac secedendo paulisper ad cornu evangelii se vertat ad populum per latus dextrum, perque idem se revertens, facta iterum capitis inclinatione, redeat ad librum. Item sub initium cuiuscumque missae in quovis altari sacerdos, dum se de more signat s. crucis signo tam ante versum « Confitemini » quam immediate ante introitum, alta voce pronuntiet « In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen ». Infra octavam et in octava paschatis in omni sacrificio tam privato quam solemni ad « Ite missa est » adiungatur duplex « Alleluia ».

6. Ordinamus, quod sicut hactenus in missa votiva de beatissima Virgine dicitur praefatio propria, idem quoque deinceps fiat in aliis missis votivis propriam alicubi praefationem habentibus, ut sunt missa de sanctissima Trinitate, de venerabili Sacramento, de Spiritu sancto, de s. Cruce. Quarum vero non extat propria praefatio, adhibeatur ea, quae propria est illius temporis vel octavae currentis; hac vero deficiente, adhibeatur praefatio communis. Porro praefationes propriae de tempore, quales sunt praefatio quadragesimalis, passionis, paschalis, ascensionis et pentecostes, numquam toto illo tempore extra missam pro defunctis omittantur, nisi tunc tantum, quando festum aut missa occurrit habens praefationem propriam. Denique

si intra octavam vel in octava festi propriam praefationem habentis occurrat aliud festum carens propria praefatione, dicatur in hoc praefatio de octava.

7. Cum celeberrima solemnitas corporis Christi peculiari titulo ad nostrum ordinem spectare dignoscatur, ordinamus, quod deinceps per totam huius festi octavam versiculi omnes tum in matutino ante lectiones nocturnorum tum in reliquis horis dicantur cum « Alleluia », prout fit tempore paschali, et quotidie in sacrificio tam privato quam solemni recitetur prosa « Lauda Sion Salvatorem ».

8. Ordinamus et, quod toties per complura generalia capitula inculcatum fuit, denuo mandamus districteque praecipimus, ne quis privato spiritu, singularitate aut singularitatis imitatione quidquam sive in missa sive in horario ordinis officio mutet, adiungat vel transponat neque alienos ritus aut rubricas nostris superinducat aut quoquo modo invehat; multo minus publicis orationibus aliquid de suo vel modicum interponat, sed communi uniformitatis regulae sese ubique omnes accommodent. Unde in specie inhibemus post salutationem angelicam his verbis « Sancta Maria mater Dei » hanc voculam « virgo » interponi; similiter in fine horarum cum dicitur « et pacem tuam nostris concede temporibus », non addatur, « et finem bonum »; item in letaniis Lauretanis omittatur « Regina praedicatorum »; et completorium officii beatae Virginis numquam in publico recitetur ante vesperas officii maioris.

Inchoationes.

1. Inchoamus subque poena inhabilitatis ad omnia ordinis munia districte mandamus omnibus prioribus conventuum, quod infra mensem ultimum sui officii coram toto patrum consilio instituant computum, exhibendo ratiocinia totius suae administrationis; simulque integre ac fideliter exponant universum statum rei familiaris, in quo conventum relinquunt, qui praecipui sint benefactores, qui creditores ac debitores, quae, quanta, qualia debita tam activa quam passiva, quid melioratum in fabrica, possessionibus, fundis, quis status aerarii vel depositi, quae et quanta provisio victualium etc. Quorum omnium distinctam seriem in scriptis ac manibus singulorum ibidem firmatam recipiat subprior et secundum eam venturo priori, mox ut ille sui officii possessionem inierit, exactissimam rationem omnium, quae tempore interregni seu vacantis prioratus sive recepta sive exposita fuerunt, coram eodem consilio reddere teneatur; idque sub eadem poena ut supra, sub qua ulterius eidem subpriori prohibemus, ne tempore vacantiae prioralis novos contractus aut notabiles in re oeconomica dispositiones, mutationes vel transactiones faciat, sed venturo priori graviora omnia, quae occurrerint reservet, nisi praesentanea necessitas aut irrecuperabilis occasio, a patrum consilio aestimanda, oppositum exigat.

2. Cum interdum sub praetextu, quod conventus tot religiosos alere non possit, deficiat competens suffragatorum numerus pro canonica electione facienda, ut inde passim ac frequenter provisio novi prioris devolvatur ad provinciales, ideo huic incommodo mederi cupientes, ordinando inchoamus, quod inprimis singuli conventus in capitulis provincialibus teneantur exhibere fideliter omnes suos reditus annuales, ut inde constare possit, quantum revera fratrum numerum valeant sustentare; deinde, sicubi inveniatur tot vocales sustentari non posse, quot sufficiant canonicae electioni, volumus, quod provincialis de priore provideat non ex puro arbitrio suo, sed advocatis in consilium ad minus sex patribus gravioribus illius quarterii aut vicariatus, in quo provincialis tunc degit, et ii suis votis non tantum consultivis, sed etiam decisivis concurrant ad praedictam institutionem faciendam; et si secus factum fuerit, totum irritum sit et inane.

3. Inchoamus statuendo pro iusto solatio debitoque respectu venerabilium senum longisque ordinis laboribus exhaustorum patrum, quod, qui sexagesimum suae aetatis annum expleverunt ac in religione honeste et laudabiliter vixerunt, habeantur in speciali respectu, sintque priores discreti in dispensando frequentius cum talibus quoad sequelam chori nocturni aliisque oneribus hebdomadariae aut servitiis altaris, quantum in Domino iudicarint convenire. Caveantque ceteri, ne istiusmodi emeritis grandaevis in quocumque religioso congressu aut consessu locum ullo praetextu praeripiant, nisi ita gradus aut superioritas requirat.

4. Inchoamus decernendo, quod in posterum nullae ad capitulum generale vel magistrum ordinis deferantur petitiones nomine alicuius provinciae, nisi subscriptae a toto diffinitorio capituli provincialis ac sigillatae sigillo provinciae, quas etiam in ipso capitulo generali non provincialis, diffinitor aut socius, sed secretarius diffinitorii generalis publice praelegat et asservet.

5. Inchoamus ac statuimus, ne quis simul fungi possit officio prioris et lectoris seu officialis studii, quin infra mensem suae assumptionis ad prioratum teneatur alterutrum horum officiorum relinquere; excipimus tamen professores extranearum universitatum, si moderentur cathedras perpetuas et quas vocant in proprietate.

6. Inchoantes ordinamus, quod regentes actuales, qui suae regentiae certum annorum praefixum habent terminum, ante hunc eligi non possint in priores illius conventus, ubi sunt regentes.

7. Similiter quieti et securitati studentium formalium prospicere cupientes inchoamus et ordinamus, quod hi, quamdiu scholis obligati sunt, vocem activam illic non habeant neque ad electiones vocari aut admitti possint.

8. Inchoamus statuendo, quod conventibus pro strictiori observantia specialiter deputatis nemo possit in priorem praefici, qui vel ibi vel alibi in exacto observantiae rigore non fuerit sufficienter probatus.

9. Inchoamus et ordinamus, quod, si alicubi contigerit priorem incidere in talem infirmitatem, quae ipsum fere continuo a chori et communitatis sequela impediat, neque appareat spes virium ac valetudinis intra spatium sex mensium recuperandae, teneatur ipse officio se abdicare; et si renuerit, per provincialem absolvatur.

10. Ne umquam accidere possit, quod quotidianae pro missis eleemosynae absumantur, ac interim petitae missae in longum differantur, usque dum tandem cum iniustissimo fidelium animarum damno plane transeant in oblivionem, inchoamus atque prioribus quidem sub poena suspensionis ab officio per 6 menses, sacristis vero sub privatione utriusque vocis mandamus, quod deinceps huiusmodi eleemosynae peculiariter ita seponantur, ut nullo modo in usum expendendi prodeant, antequam lectae sint omnes illae missae, pro quibus legendis fuerunt oblatae.

11. Inchoando prohibemus nostris praedicatoribus sub poena suspensionis a praedicatione per triennium ipso facto incurrenda, ne cum communitatibus, ubi verbum Dei praedicarunt, litigent actionemve instituere aut prosequi possint de eleemosyna pro dicto labore ipsis rependenda.

12. Inchoamus circa publicum ritum nostrum adorandi sanctam crucem in die parasceves, quod inter adorantes et adoraturos servetur ordinata accedendi distantia hoc modo: A loco, ubi crux adoranda iacet, deorsum versus ecclesiae navim sumatur spatium quindecim aut plurium passuum, prout loci conditio situsque permiserit, et ab ultima huius spatii extremitate fratres bini ac bini procedant versus crucem tali ritu, ordine ac successionis distantia, ut primi duo in praedicta extremitate spatii devote genua flectant caputque inclinent, mox pariter surgant ac gravi passu usque ad medium eiusdem spatii pergentes illic denuo genua flectant et caput inclinent; denique inde procedentes ad pedes crucis se simul prosternant, eosdem simul deosculentur simulque se erigant et, facta profunda inclinatione, ad chorum revertantur. Idem observabit secundus fratrum binarius, et reliqui successive, sed cum tali intercapedine, quod, dum primi duo surgunt a loco primae suae genuflexionis, mox illic subintrent proximi duo, primisque a secundae genuflexionis loco abeuntibus, hi duo proximi simul abeant a primo loco et occupent secundum, et interim locum primae genuflexionis occupet tertius binarius et ita consequenter, servato eodem tenore interstitiorum.

13. Inchoamus ordinando, quod, si contigerit fratrem ante quadriennium sub magistri novitiorum cura integre exactum promoveri ad sacrum

presbyteratus ordinem, teneatur is etiam post susceptum sacerdotium remanere intra domum novitiorum sub eiusdem magistri sui inspectione et regimine, donec quartum a professione annum religiose ibidem consummarit.

14. Inchoamus, quod tam tertiarii quam fratres conversi quotannis ac non solo ultimo suae probationis anno examinentur de moribus, doctrina christiana, profectu et spiritu religionis, ut, si tempestive deprehendantur ordini inutiles, tempestive quoque ad seculum remittantur.

Admonitiones.

1. Admonemus omnes fratres nostros cuiuscumque sint dignitatis, conditionis aut gradus, si qui causas aut negotia ordinis, provinciae, communitatis vel particularis personae in hac Romana curia habuerint pertractanda, meminerint decretorum a pluribus capitulis generalibus editorum, quibus sub gravium poenarum taxa omnibus prohibetur, ne quid horum inscio admodum rev. p. procuratore generali ordinis pro tempore vel inchoent vel etiam prosequantur; simulque prae oculis habeant apostolicam constitutionem a fel. mem. Urbano VIII. desuper emanatam huius tenoris:

Urbanus papa VIII.

Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Galasinus, ordinis praedicatorum procurator generalis, quod scilicet per decreta capitulorum generalium dicti ordinis prohibeatur eiusdem ordinis professoribus sub certis inibi expressis poenis, ne per se nec per alium, pro se vel pro alio, etiam praetextu procurationis vel commissionis sibi datae a propria provincia vel domo regulari, negotium aliquod, cuiuscumque illud generis sit, quomodolibet tractare, procurare, inchoare aut attentare audeant, nisi per pro tempore existentem dicti ordinis procuratorem generalem vel de eius scitu et expressa in scriptis licentia, et alias prout in dictis decretis latius continetur tenoris subsequentis, videlicet: Ex actis capituli generalis Romae 1612: Admonemus omnes et singulos patres ac fratres nostri ordinis, cuiuscumque gradus, status et conditionis existant, eisdemque iustis de causis et ad tollenda evitandaque incommoda multa, quae in dies oriri cognoscimus, in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto, nec non sub poenis excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, a qua nonnisi per magistrum ordinis vel eius vicarium generalem, praeterquam in articulo mortis, possint absolvi et, si praelati fuerint, sub poena etiam absolutionis a suis officiis ipso facto incurrenda praecipimus et mandamus, ne in Romana curia negotium aliquod, cuiuscumque illud generis sit, per se vel per alium, pro se vel pro alio, etiam praetextu procurationis vel commissionis sibi datae a

propria provincia vel conventu, quomodolibet tractare, procurare, inchoare aut attentare audeant, nisi per praedictum admodum rev. p. procuratorem ordinis vel de eius scitu et expressa licentia in scriptis, revocantes praesentium tenore omnes facultates hactenus in contrarium datas, et si quas in posterum his contrarias dari contingat. Ex actis capituli generalis Bononiae 1615: Confirmamus et renovamus ordinationem factam Romae 1612 et sub poenis in eodem capitulo taxatis praecipimus omnibus et singulis nostri ordinis patribus ac fratribus, ut nemo sive per se sive per alium, sive secularis sive nostri ordinis frater fuerit, et cuiuscumque gradus et conditionis existat, in curia Romana quidquam sine scitu rev. admodum p. procuratoris ordinis tractare vel procurare audeat.

Nihilominus cum experientia compertum sit, quod aut sub praetextu ignorantiae dictorum decretorum, aut quod illa non sint in usu, parum aut nihil observantur, in grave dicti ordinis praeiudicium nec non officii procuratoris generalis illius spretum, idcirco, ne provisio observantiae regularis adeo salutaris et ordini praedicto proficua in desuetudinem abeat, praedictus Franciscus procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut decreta huiusmodi apostolicae confirmationis robore communiri de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Franciscum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decreta praeinserta cum omnibus et singulis in eis contentis apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; decernentes illa nec non praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis dicti ordinis fratribus inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, taxatis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 3. decembris 1635, pontificatus nostri anno 13.

M. A. Maraldus.

2. Admonemus iterumque districte omnibus inculcamus proximi generalis capituli undecimam confirmationem huius tenoris: Confirmamus et innovamus quaecumque in variis capitulis generalibus de rasurae et vestitus uniformitate ac modestia sunt constituta, mandantes provincialibus ac prioribus conventuum sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, ut quos invenerint comam vel barbam in labiis mentove contra const. cap. de rasura vane et modo seculari nutrientes, vestes in materia, forma, colore, laxitate etc. contra praescriptum earumdem constitutionum et capitulorum generalium portantes, indusiis lineis ad carnem utentes vel, si cum aliquibus titulo infirmitatis dispensatum fuit, eadem manifeste et cum scandalo gestantes, cappam, scapulare, tunicam ad terram usque defluam aut a cingulo deorsum patulam ac divisam deferentes, habitum ordinis palam ubique deferendum sub sago palliove seculari occultantes, interulas vestes alio quam albo colore aliave materia, quam quae Christi pauperes decet, calceamenta, caligas, pileos, quae religiosam humilitatem et paupertatem minus sapiunt nostrisque constitutionibus atque capitulis generalibus praesertim Mediolanensi 1505, Senensi 1462 et Romano 1629 adversentur, cuiuscumque dignitatis, gradus aut conditionis ii fuerint, declarent privatos utraque voce, officiis et gradibus, ipsas vestes auferant illosque, donec se emendaverint, conventu egredi non sinant, prout ex nunc pro tunc eos utraque voce, officiis, gradibus ac vanis illis vestimentis privamus, privatosque ad triennium declaramus. Pertinaces vero damnamus ad poenas gravioris culpae et carceris; ceteros denique in his delinquentes privamus ad idem tempus scapulari et caputio. Proinde mandamus aggravando superiorum conscientias, quod statim et sine respectu procedant ad poenas taxatas, quas etiam respective extendimus ad ipsos priores tantae deformitati conniventes, ita ut, si apud quemcumque subditum aliqua ex supradictis vestibus ac vanitatibus reperiatur, vel in coma, barba etc. eiusmodi deformitas appareat, prior seu superior illius sit ipso facto ab officio absolutus.

3. In memoriam revocamus omnibus fratribus nostris tam superioribus, maxime provincialibus, quam ceteris severissimas prohibitiones ac poenas tum per sacros canones et novissima decreta fel. rec. Clementis VIII. tum per nostras constitutiones contra illos taxatas, qui quocumque modo per practicas, promissiones, minas, preces, munera etc. conati fuerint inducere aut procurare vota sibi vel alteri pro electione; quos insuper in poenam privamus in perpetuum omni voce activa et passiva, ultra censuras ac poenas aliunde pro hoc sibi debitas. Et qui huius delicti rei inventi fuerint, ipso facto sint privati suis officiis, si qua habent, et in excommunicationis sententiam incidisse declarentur.

4. Admonemus omnes et singulos provinciarum patres, quatenus

divini iudicii ac censurarum memores omnem privatum affectum humanumque respectum seponant ac solum Deum et iustitiae zelum prae oculis habeant, quoties in consilio, examine aut alias de promovendis ad officia vel gradus aut habilitandis et acceptandis ad generalium studiorum moderamina fuerit suffragandum, ne umquam digniores aut magis meritos minus dignis postponant. Quodsi in aliquo casu aliter factum fuisse convincatur, rogamus reverendissimum magistrum ordinis, quod non tantum errorem ab aliis in hoc genere commissum sua auctoritate et aequiori prudentia mox corrigat maleque postpositi iniuriam depellat, verum etiam tales personarum acceptores deprehensos palam puniat omnique iure suffragii in similibus consessibus deinceps ferendi privet.

5. Admonemus omnes nostrorum conventuum et locorum praesidentes debitae hospitalitatis erga fratres nostros legitima cum licentia ad eorum domum declinantes, quos nisi omni religiosa humanitate susceperint ac pro facultate loci benigne discreteque tractaverint, velut omni praefectura indigni quamprimum a suis officiis amoveantur. Porro cum in hoc genere nonnulli erga ipsosmet huius generalis capituli diffinitores aliosque patres graves sat inciviliter et crude contraque hospitalitatis leges nuperrime sese gesserint, eosdem ad ceterorum exemplum a suis officiis harum serie absolvimus, nempe p. fr. Iacobum Mariam de Papia a subprioratu nostri conventus sanctae Mariae Castelli Ianuae, p. mag. fr. Isidorum Ugurgierium Azzolinum (1) a prioratu s. Dominici Senarum, p. fr. Raymundum Bozzi ab Aesio a prioratu nostri conventus s. Dominici Recineti, qui etiam intra proximum sexennium ad nullum ordinis officium assumi possint. Quod pariter intelligi volumus de ceteris, qui in posterum inhospitalitatis notam illiberalem incurrerint.

6. Admonemus eosdem conventuum ac locorum praesides, ut quandocumque extranei viatores peculiaribus magistri ordinis litteris nominatim commendati ad eorum coenobia tecti aut refectionis gratia declinarint, eosdem officiosa charitate benevole suscipiant, praecipue catholicos Hibernos, Anglos, Scotos et similes pro Christi fide in exilio constitutos.

7. Admonemus eosdem, quatenus memores tot ordinationum desuper factarum non omittant praeficere fratribus conversis peculiarem magistrum, qui solus ordinarie ipsorum confessiones excipiat, idemque in mores et actiones ipsorum invigilet, excessus corrigat, doctrinam christianam opportunis horis perspicue eis exponat illosque ad spiritum religionis indefesse formet atque erudiat.

8. Admonemus universos ac singulos tum provinciarum tum con-

(1) De fr. Isidoro Ugurgierio Azzolino cf. SSOP. II, 616.

ventuum ac locorum superiores, meminerint apostolici statuti, quo per fel. rec. Paulum V. inhibetur, ne foemina, quae quadragesimum suae aetatis nondum expleverit annum, habitu tertii ordinis nostri induatur, ita ut illum patenter domi propriae forisque portet. Proinde, si secus a quoquam attentetur, irritum ac inane censebitur, ac transgressor poenis statutis irremissibiliter subiacebit.

9. Admonemus et districte iniungimus universis ac singulis nostri ordinis religiosis utriusque sexus, cuiuscumque gradus, dignitatis aut conditionis extiterint, quatenus sedulo amplectantur, si qui forte nondum amplexi sunt, et devote exequantur id, quod de annua decem dierum recollectione ab omnibus facienda per ultimum nostrum capitulum generale Romanum confirmatione 4. saluberrime praescriptum fuit.

10. Admonemus omnes summi rigoris, quo sacra constitutio dist. 1. cap. 10. text. 1. adeo indiscriminatim ac sine exceptione universos comprehendit sub lege non gestandi linea ad carnem, ut neque cum infirmis quoad hoc dispenset, cum expresse dicat: « Lineis non utantur ad carnem nec etiam infirmi »; proinde in prohibitione tam praecisa et arcta nemo sibi usurpet facultatem secum aut cum alio dispensandi.

11. Admonemus et, quoad opus est, severe praecipimus ordinis nostri sacerdotibus, ut quoties alicui personae in mortis articulo constitutae impendenda fuerit peculiaris absolutio, concessa sodalibus ss. Rosarii, eo solo unicoque utantur textu, tenore ac formula, quae impressa habetur in recentioribus nostris breviariis, diurnis et officiis beatae Virginis ab anno 1642 praelo datis.

12. Admonemus superiores, ut, quandocumque suos fratres sacerdotes combinatos peregre emittunt, recordentur dare ipsis facultatem, qua sibi mutuis possint, si voluerint, sacramentaliter confiteri, modo alias sint idonei.

13. Universis in memoriam revocamus saluberrimum atque his praesertim temporibus apprime necessarium decretum, quod anno 1605 capitulum generale Vallisoletanum ordinatione 3. edixit his verbis: Cum antiquorum patrum nostrorum studium semper fuerit eos filios enutrire, qui intellectum proprium obsequio divinae legis et fidei catholicae humiliter subiicerent, et ab eis omnem arrogantiam et temeritatem adversus doctrinam ss. patrum amputare conati sint, eorum piis vestigiis inhaerentes, omnibus patribus regentibus, baccalaureis et quibuscumque lectoribus sub poena privationis graduum mandamus, ne inter legendum teneant, affirment vel tueantur quamcumque singularem opinionem, quae sit communi ss. patrum sententiae contraria vel dissona nec ipsam quovis modo referant et proponant nisi ad confutandum et eiusdem argumentis respondendum. Proinde omnes evolvendis assidue ss. patrum voluminibus

summa diligentia curaque pervigili incumbant, propriasque opiniones planis eorumdem sententiis iuxta apostolicas decisiones et ecclesiae sensum intellectis conforment et confirment; has vero in suo fonte perspiciant nec facile cuiuslibet exscriptoris allegationi aut citationi innitantur.

5 14. Admonemus omnes et singulos nostri ordinis professores, quatenus statutorum suique officii ac respective iuratae promissionis continuo memores nec non poenarum in praevaricatores taxatarum, quas irremissibiliter incurrent, rigorem ante oculos habentes, caveant ab omni pruritu exoticarum minusque cum genuina litera s. Thomae cohaerentium 10 opinionum tam in philosophicis quam in theologicis, praecipue vero in moralibus, ubi pressius de salute ac indemnitate animarum agitur. In his porro studeant omni cautela evitare opiniones laxas, novas ac parum tutas; abstineantque a paradoxis ac monstris recentium placitorum seu problematum, quae magis vanitati ac periculosae ostentationi militant 15 quam veritati. Denique satagant, non tantum fidelissime in omnibus adhaerescere sanae doctrinae angelici nostri praeceptoris, quam ille ex limpidis ac incorruptis ss. patrum fontibus integerrime in alveos suorum operum corrivavit, verum etiam adsuescere propriae ipsius phrasi et modo loquendi, ita quod, quantum fieri potest, ne quidem ab ipso verborum 20 eius ordine, stylo et emphasi longius discedatur, ut sic evitentur securius omnes profanae vocum novitates nimisque animosa extrinsecarum probabilitatum suffragia. Studeant insuper veterum ac celebrium Thomistarum tutioribus ubique vestigiis insistere, et sicubi inter huius aevi theologos enascitur publica sentiendi varietas, nostri ad literam et priscum sensum 25 divi Thomae eiusque fidorum interpretum sese recipiant, nec inde ullo pacto divellantur. Quod, ut alacrius ab omnibus praestetur, notificamus universis, hoc summe consonare expressae voluntati s. d. n. Alexandri divina providentia papae VII., qui istud universo ordini ita praescribi ac significari clementissime imperavit.

30 15. Renovamus et districtius inculcamus admonitionem 2. ultimi capituli Romani, qua nostris concionatoribus iuxta praescriptum sac. concilii Tridentini sess. 5. cap. 2. interdicitur, in suggestu affectare vanarum curiositatum apices, conceptus inutiles floridis commentis sine fructu praeturgidos, monstruosas novitates, paradoxa similesque ingenioli osten- 35 tationes. Pro his vero adducant potius discursus in sacra scriptura patrumque expositione fundatos, incumbant energiae valenti ad compunctionem; seligant materias captui audientium et saluti animarum quam maxime accommodatas, studeant non ad aures, sed ad cor loqui; denique meminerint, pulpita non esse secularis eloquentiae rostra, sed sacrorum oraculorum curulia.

16. Admonemus singulos fratres nostros, quod, quoties sive reve-

rendissimo magistro ordinis sive alteri superiori suo litteras scribant, integre et extense, non vero truncate suum nomen, cognomen, gradum, si quem obtinent, officium, si quo funguntur, et locum, unde scribunt, cum expressione anni, mensis ac diei apponant.

17. Revocamus in memoriam singulis patribus provincialibus et congregationum vicariis intra Europam, quod de statu suarum provinciarum, communitatum ac subditorum deque gravioribus sui regiminis negotiis teneantur singulis mensibus informare magistrum ordinis; provinciales vero extra Europam oblata qualibet occasione ad idem sese meminerint obligari.

18. Considerantes, quantum intersit ordini, habere suum magistrum generalem in Romana curia affatim praesentem, eoque intuitu provide inhaerentes admonitioni primae capituli nostri generalis Neapoli 1600 celebrati, rogamus reverendissimum p. n. magistrum generalem, quatenus Roma ad alias provincias non discedat, nisi quando earumdem provinciarum gravis aliqua necessitas omnino ipsius praesentiam aut personalem visitationem exegerit aut capitulum generale in aliqua ipsarum fuerit celebrandum vel denique aliud summi momenti negotium tantisper ipsum ab Urbe longius evocarit.

Commissiones.

1. Rogamus reverendissimum p. n. magistrum generalem, quod ex nomine totius religionis humillime instet apud sanctam sedem apostolicam pro canonizatione b. Ludovici Bertrandi, b. Ambrosii Sansedonii et b. Iacobi de Mevania. Item quod instet apud s. rituum congregationem pro declaratione 24 martyrum Iaponiae, ac sollicitet causam beatificationis venerabilis ancillae Dei Catharinae de Riciis aliorumque servorum Dei ex ordine nostro, specialiter fr. Ioannis Massias et sororis Rosae de s. Maria Limensium, de quibus supra denuntiatione 6. Denique pro sollicitanda apostolica extensione solemnis officii de b. Alberto Magno renovamus commissionem 4. postremi capituli Romani.

2. Rogamus eumdem reverendissimum p. n., procurare apud eamdem s. sedem, quatenus ipsa praeclarum institutum Militiae Angelicae, hoc est novam confraternitatem cinguli castitatis sub invocatione s. Thomae Aquinatis in conventu nostro Lovaniensi ante septennium canonice erectam atque a fel. rec. Innocentio X. singulari indulgentiarum thesauro dotatam sinat ulterius a fratribus nostris per totum orbem propagari, ita quod deinceps eam ubique in ecclesiis nostris possimus instituere omnibusque fidelibus, praesertim literarum studiosis, communicare, cum inde uberrimus animarum fructus ac praevalida foedae obscoenitatis extirpatio indubie sit speranda.

3. Rogamus eumdem, quatenus impetret a s. d. n. innovari aposto-

licam prohibitionem, qua rr. patribus eremitis s. Augustini vetatur, ne in habitu suo albo, qui nostro simillimus est, extra septa suorum caenobiorum prodeant in publicum. Item ne rr. patres Hispani ordinis ss. Trinitatis redemptionis captivorum deinceps utantur cappa nigra ad formam nostri ordinis, sed ex praescripto suae propriae religionis iubeantur gestare cappas coloris albi vel bruni, vulgo dicti « buriel » sive « tane ».

4. Iudicamus communi totius religionis nomine supplicandum s. d. n., quatenus de benignitate apostolica dignetur per speciale diploma renovare et confirmare omnes ac singulas a sancta sede apostolica in ordinem nostrum emanatas gratias, privilegia, indulgentias, facultates etc., praesertim ss. rosarii, atque in specie quoad solemnissimam processionem in triumphali festo rosarii institui solitam, ut videlicet ex veteri more ubique nobis liceat eam gyro decenter amplo circumducere, prout iuxta locorum conditionem nostris visum fuerit, ita quod in eo a nemine possimus impediri. Similiter, quod interdicatur parochis, ne impediant fidelium moribundorum devotionem, qua in mortis articulo certatim flagitant sibi impendi absolutionem illam, quam fraternitati Rosarii peculiariter s. sedes apostolica indulsit.

5. Eidem s. d. n. supplicandum, quatenus magistro ordinis pro tempore absolutam liberamque concedat facultatem, ut, quoties hic pro religionis commodo ac regularis observantiae tutela subinde viderit expedire, dispensare queat super alternativis ac ternativis, apostolica auctoritate firmatis, quales nunc passim vigent in electionibus priorum tam conventualium quam provincialium, in graduum distributione aliorumque officialium deputatione etc., nimirum quando, ut fit, nonnumquam in ea parte, de qua vigore alternativae vel ternativae proxime quis foret assumendus, laboratur nimia paucitate idonearum personarum, vel quando alia quaevis intervenit urgens causa, ob quam videatur magistro ordinis necessario dispensandum.

6. Pro quieto conventuum ac provinciarum regimine supplicandum eidem s. d. n., quatenus illustrissimis et reverendissimis dominis suae sanctitatis et apostolicae sedis nuntiis dignetur iniungere, ne cuiquam ex nostris cuiuscumque sexus religiosis sub ordinis cura existentibus aliquid uspiam concedant contra tenorem, usum praximve nostrarum constitutionum, ordinationum aut probatarum consuetudinum, ac in specie, ne fratres nostros de conventu ad conventum transferant vel assignent, ne novitios e communi domo novitiorum extrahant ad cohabitandum aliquibus patribus, ne studentes exponant examini pro lectoratu neque dispensent in praefixis scholasticorum cursuum aut quarumcumque functionum terminis, ne dent licentiam suscipiendi in universitatibus intra extrave ordinem constitutis laureas aut promotionum gradus, ne ulli po-

testatem faciant reeligendi, prorogandi, confirmandi aut continuandi quemquam ultra officii sui terminum; denique ne cuiuscumque sexus aut conditionis personis secularibus facultatem indulgeant sive ad libitum sive pro una aut pluribus vicibus ingrediendi clausuras nostrarum monialium etc. Siquidem experimento interdum edocti sumus, valde ex his turbari quietem religiosae communitatis, nervum obedientiae ac disciplinae relaxari ac superiorum ordinis auctoritatem venire in contemptum.

7. Rogamus magistrum ordinis, ut apud s. d. n. exoret, quatenus concessiones omnes, indulta, privilegia, etiam pontificia quorumcumque suorum praedecessorum, quae uspiam nostrae moniales habent aut habere se putant de libere admittendis intra clausuram extraneis cuiuscumque generis personis, universim irritare, abolere nullaque et prorsus invalida declarare velit.

8. Committimus admodum rev. p. magistro fr. Nicolao le Gardeur, huius generalis capituli pro Franciae provincia diffinitori, quod pro suo debitae observantiae zelo efficacissime procuret, quatenus in omnibus provinciae nostrae Franciae monasteriis sororum quantocyus ad normam ac praescriptum sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum introducatur rigida et accurata clausura, sicubi hactenus aut nondum plene introducta aut aliquo modo relaxata fuit, dantes ei ad hunc effectum plenariam absolutamque auctoritatem, a solo reverendissimo ordinis magistro dependentem, qua sanctum hoc opus perficiat; eademque auctoritate de praedictorum monasteriorum temporalibus mediis ita disponere valeat, ut ex iis quam primum capiantur impendia necessaria ad debitam clausuram stabiliendam. Porro commissio ista pro toto proximo quadriennio vim habere censeatur.

Pro provincia Tholosana.

1. Confirmamus hanc provinciam sub iisdem conditionibus et privilegiis, quibus constituta et confirmata est a duobus capitulis proxime praeteritis, declarantes, eam constare omnibus illis conventibus simpliciter sibi per magistros ordinis dictaque capitula concessis; quibus adiungi ideo volumus conventum Bagnerianum, iam olim eidem provinciae donatum a piae mem. p. generali Turco et a capitulo Romano 1650.

2. Mandamus, omnes laudabiles consuetudines in hanc provinciam ab initio una cum exacta observantia introductas et a pluribus generalibus capitulis approbatas immutabiliter observari, ex quibus has praecipue ante oculos haberi volumus: Primo, ne ullo praetextu officium prioris ultra consuetum triennium extendatur. Secundo ut omnes pensiones etiam personales aut quavis ratione singularem aliquem fratrem concernentes redigantur in communitatem, cedantque et applicentur directe ac immediate in bonum commune conventus, ita ut ad nullum fratrem particu-

larem pertineant aut eius personam sequantur. Tertio quod illi conventus, in quibus non solent media nocte recitari matutinae, nullum habeant in capitulis provincialibus suffragium. Quarto innovamus omnes poenas a capitulis generalibus statutas in illos, qui sine licentia magistri ordinis hanc provinciam deseruerint, nec illos ab iis absolvi volumus aut restitui, nisi redierint et de novo integrum in ea probationis annum exegerint. Si vero in aliena provincia recepti fuerint, illic eosdem ex nunc pro tunc inhabilitamus atque inhabiles declaramus ad gradus et officia quaecumque et per sexennium etiam voce activa privamus.

3. Confirmamus institutionem a reverendissimo magistro ordinis 14. ianuarii currentis anni factam portionis conventuum et monasteriorum antiquae provinciae Tholosanae in congregationem Aquitanicam sub immediata p. reverendissimi auctoritate, prout iacet et iuxta tenorem patentium nec non institutionem rev. admodum p. magistri fr. Thomae Maucler, illius congregationis vicarium generalem.

4. Confirmamus sententiam in ultimo capitulo provinciali latam contra p. fr. Petrum Chavas et alios, qui conventum Brivensem damnificaverunt et spoliaverunt, praecipientes sub poena excommunicationis latae sententiae, ut dicto conventui omnis illius supellex et omnia vasa ea occasione sublata intra 15 dies a notitia praesentium restituantur; iniungentes ad hunc effectum rev. admodum p. mag. fr. Thomae Maucler, vicario generali praefatae congregationis Aquitanicae, ad quam praedicti fratres se recepere, quatenus omni diligentia curet fieri rerum ablatarum restitutionem.

Pro provincia Franciae.

1. Declaramus, quod conventus Ambianensis neutiquam sit separatus a provincia Franciae, sed quod possit eidem restitui, expletis conditionibus in capitulo Valentino positis, iudicio p. reverendissimo magistri ordinis et obtenta licentia regis christianissimi. Interim contributiones omnes solvi debent a religiosis ipsum nunc tenentibus, quae sunt de iure debitae tum magistro ordinis tum procuratori generali, idque sub poena absolutionis ab officio prioris dicti conventus.

2. Conventus Poligniacensem et Montis Bosonis subiicimus curae et directioni vicarii provincialis deputati ad regimen conventuum observantiae, ut illos iterum in regulari observantia constituat, et tum religiosi dictorum conventuum tum vicarii, si qui sint, si contra hanc ordinationem quid fecerint, poena gravioris culpae puniantur.

3. Volumus et ordinamus, quod in hac provincia sex ad minus conventus deputentur pro studiis literarum.

4. Declaramus, quod in civitatibus, ubi sunt conventus fratrum et simul monasteria monialium, confraternitas ss. rosarii ad solos fratres

publice administranda atque exercenda spectabit, et festa etiam sanctorum ordinis cum indulgentiis populo a dictis fratribus publicentur; moniales vero pro se tantum habere valeant, ut pridem apostolico decreto fuit sancitum.

5. Volumus, quod sine dispensatione magistri ordinis aut capituli generalis deinceps doctores non possint promoveri nec gaudere titulo, nisi actus in universitate approbata fecerint aut in capitulis provincialibus.

6. Nullus titulo capellani aut vicarii inserviat alicui parochiae, et si qui missi sint, statim revocentur sub poena excommunicationis latae sententiae tam mittentibus quam missis, imo et sub poena absolutionis ab officio provinciali aut prioribus fratres nostros in parochiis deservire permittentibus.

7. Computus seu ratiocinia parvorum conventuum, ubi non est electio, reddantur per priores in capitulo provinciali coram pp. diffinitoribus et pp. provinciae, idque sub poena privationis vocis utriusque per sex annos statim ab ipsis prioribus incurrenda; si vero ad capitulum ire non possint, mittant sua ratiocinia bene signata.

8. Mandamus, quod p. Gerardus Ternier a provincia Franciae amoveatur et ad suam provinciam Parisiensem statim remittatur sub poena inobedientiae; nullique priori ex quocumque praetextu liceat eum retinere sub poena absolutionis ab officio.

9. Ordinamus, quod baccalaurei in facultatibus actus suos facientes non possint esse priores actuales sub poena nullitatis ipso facto. Item sub eadem poena non eligantur in priores nec praeficiantur conventibus, nisi sint nati annos triginta quinque aut amplius.

10. Ordinamus, quod nullus deinceps sub quocumque praetextu continuetur in prioratu ultra consuetum triennium.

11. Deputamus conventum Rupellensem strictioris observantiae pro novitiatu; volentes, quod illic sit competens numerus fratrum secundum reditus, dummodo vigeat in illo exacta disciplina regularis et sufficiens numerus novitiorum in eo educari possit. Ipsum vero conventum supponimus regimini p. vicarii provincialis, deputati ad regimen conventuum observantiae.

12. Ordinamus, quod in parvis conventibus pene destructis non creentur priores nisi illi, qui antea in maioribus officium prioratus exercuerunt.

13. Approbamus et confirmamus decretum capituli provincialis Engolismensis 1653, quo triennium officii prioralis Montis Argi petitum et confirmatum fuit. Quod cum sit conforme bullis apostolicis et consuetudini ordinis, ex nunc poenam excommunicationis latae sententiae distringimus ipso facto incurrendam iis omnibus, qui vel quae dictum trien-

nium violaverint aut perpetuitatem prioratus sibi vel aliis directe procuraverint. Insuper hoc statutum et poenam, ut iacet, extendimus ad reliqua eiusdem provinciae monasteria, nullo dempto.

14. Concedimus, quod rev. p. fr. Ioannes de Bertireau, qui per quinque annos legit theologiam, nominetur baccalaureus in Rhemensi facultate.

15. Concedimus, quod rev. p. fr. Ludovicus Floriot, lector theologiae in conventu Aurelianensi, nominetur baccalaureus in universitate Pictaviensi.

16. Concedimus, quod rev. p. fr. Petrus Paguerais, studens formatus Parisiis, nominetur baccalaureus in facultate Andegavensi.

17. Concedimus, quod rev. p. fr. Ioannes Daurnau nominetur baccalaureus in facultate Andegavensi.

18. Confirmamus ex nunc baccalaureatum p. fr. Ioannis de Verfey in facultate Bituricensi, dummodo continuet suos actus in eadem facultate.

19. Acceptamus nominationem p. fr. Caroli Iouy (1) conventus Aurelianensis, factam a rev. p. generali pro forma et gradu baccalaureatus in facultate Parisiensi.

20. Concedimus, quod rr. pp. fr. Ioannes Coffrai et fr. Raymundus Coffoys magistri in theologia et fr. Antonius Fleury, omnes conventus Pruvinensis possint affiliari in aliquo conventu benevolo. Idem concedimus p. fr. Vincentio Moria, filio conventus Cadomensis, et rev. p. fr. Adriano Iournal doctori theologo, filio conventus Poligniacensis.

21. Concedimus, quod p. fr. Ioannes Faucon magister in theologia affilietur in conventu Castaniensi, attento quod iste, tametsi sit filius provinciae Germaniae inferioris, fuerit tamen in hac provincia per 15 annos commoratus.

22. Confirmamus affiliationem p. fr. Ioannis Daumart olim conventus s. Honorati Parisiensis in conventu Verdunensi; item affiliationem p. fr. Dominici le Pescheur lectoris philosophiae in conventu Gratianopolitano pro illo conventu.

23. Instituimus lectorem philosophiae in conventu s. Quintini p. fr. N. Livascer.

Pro provincia utriusque Lombardiae.

1. Statuimus et ordinamus iuxta formam alias generali studio nostro Bononiensi a piae mem. p. generali Turco praescriptam, quod ibidem quotannis studentes omnes tam materiales quam formales subiiciantur generali examini non tantum de literis, verum etiam de moribus, nec possit quisquam sive in studentem formalem sive in lectorem ap-

(1) De fr. Carolo Iouy cf. SSOP. II, 593.

probari, nisi praevia quoque exacta disquisitione et secretis suffragiis de ipsius indole, conversatione vitaque religiosa et inculpata. Si secus fiat, aut eius, qui examinatur, vita, mores, acta non sat commendabilia reperta fuerint, omnis reliqua literaturae approbatio sit inutilis nec uspiam ei prosit aut suffragetur. 5

2. Idem statuimus quoad studentes formales extra Bononiam degentes, qui tempore visitationis coram p. provinciali, priore conventus, inquisitore loci, si quis adsit, magistris ibidem assignatis et lectoribus theologiae in illomet conventu subeant strictum examen tam morum quam literarum, et quisquis ex iis sive in altero horum sive in utroque defi- 10 cere invenietur, titulo sui studentatus immediate privabitur.

3. Rogamus rev. magistrum ordinis, ne ex hac provincia fratres ad studia aliarum provinciarum assignet, nisi forte ad Salmantinum, Romanum aut etiam ad collegium Neapolitanum sancti Thomae.

4. Inhaerentes decreto Clementis VIII. fel. rec. ordinamus, quod in 15 conventibus, ubi utrumque viget studium, theologiae videlicet ac philosophiae, quique numerum 35 fratrum ordinarie excedunt, non possit eligi aut institui prior, qui vel nondum sit in s. theol. magister vel saltim non fuerit in aliquo paris conditionis coenobio lector primarius aut per sexennium magister novitiorum. 20

5. Prohibemus districte sub poenis arbitrio magistri ordinis reservatis, ne fratres, qui aut scholam non frequentant aut nondum lectoris vel praedicatoris titulum rite obtinent, permittantur deinceps publicas ad populum habere conciones, cum in talibus sufficiens tanto muneri eruditio praesumi raro et vix possit. 25

6. Cum nostros ubique deceat non minus vitae exemplo quam facundia sermonis praedicare, ordinamus, quod ex patribus studentibus nemo mittatur ad praedicandum, qui cum litteratura sufficienti exemplarem maturitatem moresque compositos non coniunxit. Unde priusquam hi pro illo anno ad concionandum emittantur, peculiariter ipso- 30 rum vita, mores, eruditio et habilitas examinentur ad minus per quinque examinatores, qui erunt prior conventus, magistri, inquisitor loci, si quis est, lectores theologi vel in horum defectu ii, qui alias theologiam docuerunt.

7. Confirmamus statutum in variis capitulis editum et sub poena 35 absolutionis ab officio prioribus conventuum mandamus, ne extra casus in sacris nostris constitutionibus taxatos quemquam suorum fratrum ultra spatium diaetae proficisci permittant, cum ad solum provincialem spectet, eam concedere facultatem

8. Item sub poena absolutionis ab officio taxata in generali capitulo 40 Romae 1650 conf. 12. prohibemus nostrorum conventuum praesidenti-

bus, ne quemquam sive suorum sive extraneorum seu hospitum foris per compita et plateas vagando discurrere permittant, demptisque solis illis, quos ratio officii frequentius conventu exire compellit, reliquis nonnisi ter aut quater in mense facultas domo exeundi concedatur, nisi ex-
5 traordinaria aliqua necessitas, superioris iudicio ponderanda, aliud exegerit.

9. Approbamus et, quoad opus est, renovamus ac ubique observari mandamus consuetudinem provinciae, qua fratribus conversis deputatur unus ex patribus non studentibus, maturus ac discretus, qui ad minus semel quovis octiduo confessiones ipsorum excipiat, ita quod non pos-
10 sint pro suo libito singuli singulos adire confessores aut qualibet vice quaerere confessarium sibi bene visum, nisi praeses conventus expresse dispensarit, quod tamen rarius fiat.

10. Confirmamus factam in capitulo Valentino ultimo pro hac provincia ordinationem octavam, qua vetatur in posterum, ne quisquam fi-
15 liationem suam a conventu s. Catharinae de Formello Neapoli ad alium quemlibet huius provinciae conventum transferre attentet.

11. Circa septimam nostram inchoationem suprapositam declaramus, ea comprehendi non solos illos studentes formales, qui intra conventum nostrum Bononiensem degunt, verum etiam reliquos, qui cum titulo
20 studentis formalis Bononien. degunt foris in uno ex quatuor conventibus pro collocatione studentium formalium destinatis, videlicet Cremonensi, Papiensi, Faventino ac Neapolitano s. Catharinae de Formello, et si quem alium aut alios conventus insuper contigerit deputari.

12. Volumus item ac declaramus, quod studentes nostri materiales
25 generalis studii Bononiensis, quotquot ad tempus extra deputati sunt pro exspectanda foris vacantia sui loci, etiam quoad vocem censeantur deputati foris, ita quod nullum pro tunc in Bononiensi conventu suffragium habeant.

13. Auditis plurium patrum querelis, eo quod in designatione offi-
30 cialium dicti generalis studii praeter ius et fas sibi videbantur praeteriti aliisque minus fortasse dignis postpositi, visum est in futurorum cautelam admonere serio patres huius provinciae, quatenus divini iudicii memores, privatis affectibus omnino sepositis, soli studiorum ac studiosorum emolumento in huiuscemodi deputationibus attendant et accuratius
35 ex norma iustitiae distributivae procedant, ne ulli deinceps iuste conquerendi ansa praebeatur. Rogamus quoque rev. magistrum ordinis, ut pro sua sublimi potestate, si quid in hoc genere erratum fuerit, velut is, cui ex officio incumbit generalibus studiis prospicere, corrigat, revocet, mutet ac emendet.

40 14. Approbamus magisteria cum loco et voce rr. pp. fr. Bartholomaei de Ferraria, fr. Ioannis Vincentii Paolini de Garexio inquisitoris Faven-

tini, fr. Ambrosii Fracassini de Brixia inquisitoris Venetiarum, fr. Ioannis Thomae Turrii de Ianua (1), fr. Michaelis Pii Passi de Bosco, fr. Silvii Martii de Pisauro, fr. Hieronymi Tonsi a Soncino, fr. Ioannis Baptistae de Salutiis inquisitoris Salutiarum, fr. Petri Martyris de Reggiato inquisitoris Parmensis, fr. Petri Hyacinthi Donelli a Bononia inquisitoris Mediolanensis et fr. Innocentii de Bononia.

15. Damus regentem generali studio nostro Bononiae pro primo loco p. mag. fr. Bartholomaeum de Ferraria, pro secundo p. fr. Franciscum Turrianum a Nicaea, quem interim damus baccalaureum ibidem pro primo loco.

16. Ad petitionem provinciae approbamus regentatum p. mag. fr. Ludovici Mariae Calchi inquisitoris Comensis eiusque magisterium provinciae cum loco, voce ceterisque privilegiis.

17. Acceptamus et approbamus transfiliationes patrum et fratrum nominatim relatas in ultimo capitulo provinciali Bononiae celebrato; item transfiliationem p. mag. fr. Francisci Turriani a conventu s. Dominici Nicaeae ad conventum s. Ioannis Canalibus Placentiae, p. mag. fr. Bernardini Mazziola de Venetiis a conventu Iadrensi s. Dominici provinciae Dalmatiae ad conventum s. Dominici Bononiae, p. mag. fr. Archangeli Nanni a conventu s. Dominici de Urbino ad conventum s. Ioannis Baptistae de Calio, p. mag. fr. Gregorii Pinelli a conventu Montisalti provinciae Calabriae ad conventum s. Catharinae de Formello Neapoli, p. lect. fr. Ioseph Mariae Marcolini de Fano a conventu s. Dominici de Ancona ad conventum s. Dominici de Fano, p. lect. fr. Hyacinthi Tersarii a conventu Patavino s. Augustini ad conventum s. Coronae de Vincentia, p. lect. fr. Alberti Mariae Fabiani de Genua a conventu Sigestrino ad conventum s. Iacobi de Corneliano, p. lect. fr. Raymundi Corsi de Hortonovo a conventu s. Dominici Biellae provinciae s. Petri Martyris ad conventum s. Dominici Sarzanae, p. fr. Thomae Albaro a conventu s. Dominici Wadae ad conventum s. Mariae Castelli Ianuae, fr. Archangeli Raphaelis Santinelli de Urbino a conventu Orazani ad conventum s. Dominici de Urbino, fr. Bonaventurae Corsi conversi de Hortonovo a conventu s. Dominici Reatino provinciae Aprutinae ad conventum s. Iacobi de Forolivii et fr. Henrici Braconier conversi a conventu Nemauricensi provinciae Tholosanae ad conventum s. Mariae Castelli Genuae.

18. Approbamus et ratum habemus id, quod in causa magisterii rev. p. fr. Francisci Turriani de Nicaea anno 1655 die 29. ianuarii coram rev. mag. ordinis in pleno consilio unanimiter conclusum fuit, nimirum praedictum patrem magistrum gaudere loco, voce omnibusque

(1) De fr. Ioanne Thoma Turrio (de la Torre) cf. SSOP. II, 584.

privilegiis sui magisterii in nostra provincia utriusque Lombardiae a puncto exhibitionis brevis apostolici, quo conventus suus originalis Nicaeensis huic provinciae incorporabatur, hoc est a die 5. aprilis 1645, quo die supradictum breve in capitulo provinciali eiusdem provinciae fuit praesentatum.

Pro provincia Romana.

1. Ad ultroneam huius provinciae petitionem consentimus et ordinamus, quod in ea deinceps priores conventuales biennium dumtaxat in officio perdurent.

2. Declaramus, nostros conventus Tyburtinum s. Blasii et s. Geminiani habere suffragium in capitulo provinciali, cum constet, eos habere proventus annuos, qui sufficiant competenti fratrum numero sustentando.

3. Declaramus, rev. p. lect. fr. Raymundum Incontrium, qui per 14 annos officium magistri novitiorum exercuit, gaudere gratiis et privilegiis per capitula generalia, ac speciatim per ultimum Valentinum, concessis.

4. Approbamus magisteria cum loco et voce ab ultimo capitulo Romano 1650 usque ad praesens exclusive collata rr. pp. fr. Hyacintho Libelli sacr. congregationis Indicis secretario, fr. Ambrosio Bandini huius capituli diffinitori, fr. Ioannis Baptistae Galvani (1) provinciali Romano, qui duo postremi fuerunt regentes in generali studio Perusino, fr. Gregorio Boncompagni (2) poenitentiario s. Mariae Maioris de Urbe et concionatori Hebraeorum, fr. Nicolao de Nobilibus, qui fuit regens generalis studii Graecensis, fr. Vincentio Fani, fr. Hieronymo Victorio (3) et fr. Ludovico Baratta, moderno regenti Perusino.

5. Acceptamus collata pridem magisteria rr. pp. fr. Paulo Burghesio pro primo, fr. Vincentio Mariae Fontana pro secundo et fr. Dominico Lauri pro tertio loco proxime in provincia vacaturo cum voce omnibusque privilegiis, gratiis ac praerogativis.

6. Damus regentem generali studio Perusino rev. p. mag. fr. Simonem Michaelem, baccalaureum rev. p. mag. fr. Carolum Maccanti, et magistrum studii rev. p. mag. fr. Ioannem Franciscum Tempi.

7. Denuntiamus, rev. p. mag. fr. Vincentium Guinigium per rev. magistrum ordinis de mandato peculiari s. d. n. Alexandri papae VII. transfiliatum esse a nativo suo conventu Lucensi ad hunc s. Mariae super Minervam, eademque transfiliatio deinde per breve particulare eiusdem

---

(1) De fr. Ioanne Baptista Galvani cf. Masetti l. c. pag. 151.
(2) De fr. Gregorio Boncompagni cf. l. c. pag. 152.
(3) De fr. Hieronymo Victorio (Vittori) cf. l. c. pag. 158.

s. d. n. hoc anno die 26. mensis ianuarii concessum approbata fuit et confirmata.

Pro provincia Regni.

1. Ordinamus, quod deinceps in omnibus nostris conventibus intra Neapolim eiusque suburbia constitutis prima qualibet dominica mensis maii solemniter sub toto duplici et cum octava memoriae celebretur festum gloriosi martyris et pontificis Ianuarii, ut in hoc fratres nostri conformentur ecclesiae matrici; quod si contigerit in praedictam dominicam coincidere festum s. Antonini ordinis nostri, hoc in proximam diem vacantem transferatur.

2. Confirmamus ordinationem Romae annis superioribus 1612, 1629, 1644, et 1650 factam et saepius renovatam de annuo examine omnium studentium tam materialium quam formalium circa literas ac mores instituendo in generali studio s. Dominici de Neapoli; atque ulterius ordinamus, simile examen studentium et novitiorum quotannis fieri in conventibus s. Petri Martyris et Rosarii coram admodum rev. p. provinciali pro tempore. Si qui vero in eiusmodi examine comperti fuerint sive in moribus defectuosi sive literarum minus capaces aut negligentes, ultra poenas arbitrarias iudicio provincialis infligendas de studio expellantur, si sint studentes formales, si vero materiales aut novitii, extra Neapolim quantocius assignentur.

3. Declaramus, quando in ultimo capitulo generali Valentino ex anteriori decreto capituli Bononiensis 1615 celebrati statuitur, quod in hac provincia conventuum officiales, quotquot nonnisi de patrum consilio institui solent, absque talis consilii suffragio per provincialem nec institui possint neque destitui, idque sub poena tum nullitatis actus tum suspensionis per tres menses etc., ita intelligendum esse ac observandum, ut nihilominus quoad subprioris institutionem ac destitutionem integra maneat auctoritas patris provincialis, quantam ei concedit s. constitutio ex declaratione 12. capituli Barcinonensis anno 1274 celebrati.

4. Confirmamus saluberrimam ordinationem a piae mem. p. generali Rodulphio huic provinciae in actuali eius visitatione relictam, nimirum quod in conventu nostro s. Dominici de Neapoli fiat commune archivium totius provinciae, in quod singulorum conventuum scripturae, instrumenta, contractus, urbaria, diplomata, brevia, processus et alia documenta fideliter ad securiorem custodiam comportentur.

5. Confirmamus ordinationem in generali capitulo Romae anno 1629 pro ista provincia editam sub hoc tenore: Ordinamus et omnino prohibemus omnibus ac singulis tam superioribus quam subditis, ne ullus absque licentia patrum a consiliis audeat pecuniam sive quaecumque alia bona a quibusvis personis sive intra sive extra ordinem constitutis titulo

eleemosynae vel alio titulo pro aliqua fabrica, instauratione vel alio opere pio tam in ecclesia vel intra vel extra faciendo petere vel exigere. Qui vero cum praefata licentia id fecerit, de pecuniis omnibus bonisque exactis fidelem rationem praefatis patribus reddere teneatur earumdem pecuniarum ac bonorum, in libro communis depositi quantitate, qualitate nominibusque personarum largientium descriptis. Qui vero in hoc deliquerint, utraque voce priventur.

6. Revocamus in memoriam atque omnino observari mandamus binas ordinationes moderni rev. magistri ordinis factas pro conventu nostro s. Dominici de Neapoli cum annexa poena excommunicationis latae sententiae et absolutionis ab officio prioris pro tempore, quarum prima est, ne sylva conventus vulgo dicta Passarelli crebrius caedatur quam a quintodecimo ad alium quintumdecimum annum, ita ut toto intermedio tempore servetur intacta; altera est, quod in dormitorio novo pro hospitibus iuxta chorum nocturnum constructo nulli alteri fratri permittatur habitatio, sed totum solis hospitibus reservetur.

7. Cum p. baccalaureus fr. Onuphrius Fiori per breve apostolicum peculiare fuerit transfiliatus a conventu nostro Salernitano ad conventum nostrum ss. Rosarii de Neapoli, notificamus hanc translationem toti provinciae, ut ille deinceps pro indubitato filio dicti conventus ss. Rosarii ab omnibus habeatur.

Pro provincia Theutoniae.

1. Iuxta huius provinciae petitionem factam in capitulo eius Herbipolensi anno 1651 reddimus conventui nostro Marienheidano titulum et iura prioratus cum omnibus privilegiis et facultatibus annexis, revocantes, quantum in nobis est, ac dissolventes unionem, qua is ante aliquot annos pro illius temporis exigentia rerumque statu incorporatus fuit conventui nostro Coloniensi, qui et ipse ultro huic separationi seu restitutioni pro boni communis incremento lubens consensit omnique suo iuri in praedictum coenobium sponte renuntiavit. Proinde discretioni moderni admodum rev. p. mag. provincialis remittimus, ut ibidem ipse provideat hac prima vice de idoneo priore.

2. Cum in ista provincia soleant capitula electionis provincialium ad dominicam « Deus, qui fidelium mentes » celebrari, ideo ad eiusdem petitionem in capitulo Ratisbonensi anno 1654 factam concedimus, volumus ac mandamus, quod moderni ibidem 15. februarii rite electi provincialis officium extendatur ac prorogetur usque ad praefatam dominicam post quartum sui provincialatus annum recursuram, hoc est usque ad diem 19. maii in anno 1658.

3. Ordinamus subque poena suspensionis ab officio per sex menses duraturae inhibemus provinciali quisquis pro tempore extiterit, ne in po-

sterum in sororum tertiariarum congregationibus ruri aut extra murata oppida fundatis, ubi regularis vitae forma ac tenor sat digne decenterque servari non potest, ullam amplius ad habitum ordinis admittat vel admitti patiatur; et si secus fiat, totum irritum sit ac inane.

4. Ad animandum fovendumque studii et praedicationis fervorem adiicimus huic provinciae duos gradus praedicaturarum generalium, ut, qui hactenus nonnisi 24 esse poterant, sint deinceps 26 iique omnes de numero. Sicque unum istorum graduum ex nunc conferimus rev. p. fr. Paulo Cristallinger.

5. Pro liberiori tenore divini cultus et studiorum in conventu nostro Coloniensi approbamus et districte firmiterque stabilimus perpetuam abrogationem onerosissimae consuetudinis, qua fratribus ad creberrimos funerum conductus pene quotidie processionaliter excurrendum erat, magno chori scholarumque dispendio. Proinde ex nunc serio ac severissime tum provincialibus pro tempore tum prioribus, qui successive illic praefuerint, inhibemus, ne importunum hoc onus quocumque praetextu sive pietatis sive temporaneae utilitatis rursum invehant aut invehi permittant; prior vero, qui secus fecerit, statim per provincialem ab officio deponatur.

6. Ad petitionem provinciae factam in ultimo suo capitulo Ratisbonensi promovemus ad gradum magisterii titulo praedicationis rev. p. fr. Eustachium de Rosario, priorem Augustanum; eadem provincia postulante conferimus gradum praesentaturae, quandoquidem pro nunc plura loca non vacant, rr. pp. fr. Ioanni Lorbecher et fr. Petro a Campo; item iuxta seriem in eodem Ratisbonensi capitulo positam instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Lucam Neunheuser, fr. Gabrielem Schenck et fr. Ludovicum Hannas.

Pro provincia Poloniae.

1. Confirmamus id, quod pro hac provincia in capitulo Romano anni 1629 ordinatione 1. iterumque ibidem anno 1650 § Renovamus statutum, firmatum ac declaratum fuit de lectoribus extra provinciam examinatis, at nihilominus in generali studio Cracoviensi denuo examinandis, ita quod inter eos etiam comprehendantur studentes fundationis Bzovianae in hoc Romano collegio s. Mariae super Minervam.

2. Cassamus ac omnino irritum nullumque declaramus capitulum intermedium anno 1652 mense aprili Sandomiriae in conventu s. Iacobi attentatum et eius acta ubique aboleri mandamus.

3. Concedimus, quod provincialis pro tempore fratres discolos et incorrigibiles, qui in dies et horas religionem deturpant ac pessimis moribus ausibusque inauditis destruunt, assignato illis correctionis anno, ni se emendaverint, in capitulo provinciali religionis habitu exuere possit, servatis de iure servandis.

4. Volumus, quod in suo robore perstet ordinatio capituli generalissimi Romae anno 1644 celebrati de habendo capitulo intermedio.

5. Confirmamus ordinationem anno 1647 factam in generali capitulo Valentino de manutenendo unico studio generali in provincia Po-
5 loniae, donec rev. magistro ordinis aliter visum fuerit.

6. Confirmamus acceptationem magisteriorum rr. patrum fr. Ioannis Waxman, in hoc generali capitulo diffinitoris, et fr. Ceslai Bayer factam in capitulo provinciali; limitationem vero huic posteriori ibidem adiectam meliori discussioni rev. magistro ordinis remittimus.

10 7. Damus generali studio nostro Cracoviensi regentem rev. p. mag. fr. Ludovicum Agnellium, baccalaureum vero ordinarium p. fr. Hyacinthum Cheski, quorum officium censebitur inchoatum a principio actualis functionis et non ante; declarantes, in designatione officialium huius studii generalis nullum habere locum alternativam, inaniter hucusque
15 praetensam, sed ex solo magistri ordinis vel generalis capituli libero arbitratu pendere, quod nullo habito concurrentium discrimine designet vel ex provincia vel aliunde, quem magis idoneum iudicarit.

Pro provincia Graeciae.

1. Damus priorem provincialem huic provinciae rev. p. praedica-
20 torem generalem fr. Marcum Salomonium, eiusdem in hoc capitulo generali diffinitorem, quem etiam post expletum tempus sui provincialatus, dummodo personaliter in praedicta provincia resideat, ob graves labores et pericula, quae exinde subiturus est, amodo laurea magisterii condecoramus.

25 2. Promovemus ad gradum magisterii in sac. theol. cum omnibus gratiis et privilegiis annexis rev. p. lect. fr. Iacobum Sergium de Candia, qui post sex annorum constantes in educandis Candiae novitiis labores missus Zacynthum annis duodecim publice legit.

3. Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Dominicum Ra-
30 nieri de Cydonia pro conventu s. Nicolai de Cydonia et fr. Zacchariam Gialina pro conventu s. Pauli de Candia cum omnibus gratiis ac privilegiis, quandoquidem isti alias quoque ad eosdem gradus fuere postulati.

Pro provincia Aragoniae.

35 1. Concedimus, quod in iis conventibus, ubi extat domus novitiorum, praecipue vero intra principatum Cataloniae, stante hac inquietudine bellicorum motuum, ob quam paucissimi illic modo ad nostri ordinis habitum adspirant, ad religionem admitti possint aliqui nobiles, tametsi nondum sint in grammaticalibus sufficienter instructi, hac tamen
40 cautela et lege ac non aliter, quod exerceantur et instruantur in latinitate, ut gravioribus philosophiae ac theologiae studiis apti evadant.

2. Ordinamus, quod in conventibus studiorum et in collegiis indispensabiliter quavis hebdomada defendantur conclusiones septimanales, et quotidie habeatur disputatio, quam circulum vocamus. Item continuentur quotidianae conferentiae communes usque ad vigiliam s. Ioannis Baptistae, exceptis dumtaxat consuetis vacationum diebus, idque sub poena privationis officii tam prioribus quam regentibus et lectoribus. Similiter nullus lector aut studens in quacumque die scholasticae functionis extra domum aut civitatem vadat sine gravi causa toties quoties examinanda ac discutienda a p. priore cum interventu duorum patrum a consilio; et hoc mandamus accuratissime observari.

3. In capitulis provincialibus per diffinitorium deputetur is, qui publicas conclusiones in proximo quolibet generali capitulo debeat sustinere, idque tali ordine, quod semper sustinens eiusdem sit regni, de quo tunc fuerit provincialis; adeoque in his defensionibus observetur gyrus ternativae, neque ullus alterius partis seu coronae ad eiusmodi defensionem possit admitti, priusquam designatus pro vice legitima illius ratae suas conclusiones solemniter propugnarit.

4. Mandamus, quod admodum rev. p. provincialis pro tempore, quotiescumque ad visitandum unum pluresve conventus voluerit destinare visitatorem, seligat virum gravem, maturum ac zelosum, praesertim ex magistris, nec facile cuivis rem tantam committat.

5. Formam universitatis integre cum omnibus privilegiis et gratiis ex generalium capitulorum concessione umquam habitis restituimus conventui nostro s. Mariae de Remedio oppidi de Ayerva et conventui praedicatorum Oscae in regno Aragoniae, conventui praedicatorum de Xativa et conventui s. Onuphrii in regno Valentiae, conventui praedicatorum Gerundae et conventui scholae Christi de Tremp in regno Cataloniae, nec non conventui nostro sanctae Mariae Consolationis de Gotor in regno Aragoniae.

6. Confirmamus ordinationem capituli generalis factam Romae anno 1629, nempe quod in nostro collegio Dertusano inviolabiliter observetur ternativa regnorum quoad officia rectoris, regentis, lectorum theologiae et lectoris artium; rectores autem collegiorum ubique sint triennales ad instar priorum.

7. Acceptamus affiliationes rr. pp. mag. fr. Petri Martyris de Maya et Verospi, mag. fr. Petri Palacios, praesentati fr. Francisci Hortolano, praesentati fr. Dominici de Sobrepueyo, praesentati fr. Raymundi Ramirez, praedicatoris generalis fr. Hyacinthi de Casanova, fr. Martini de Sos et fr. Emmanuelis de Casanova a conventu s. Petri Martyris de Calatajud ad conventum sancti Ildephonsi Caesaraugustae; item mag. fr. Bernardi de Aguirre ad eumdem a conventu s. Mariae Consolationis de Gotor.

8. Attento insigni beneficio, quo illustrissimus d. Ioannes Marin de Villanova, comes s. Clementis in regno Aragoniae, universam hanc provinciam sibi ante obitum obligavit, legando plus quam ducentorum millium ducatorum eleemosynam ad fundandum ei in civitate Calataiubae literarium collegium, decernimus ac in gratitudinis vicem statuimus, quod quilibet huius provinciae sacerdos pro eius anima unam ad minus celebrare missam teneatur.

Pro provincia Bohemiae.

1. Approbamus omnique industria ac studio foveri et conservari mandamus communem in conventu nostro Litomericensi pro natione Bohemica novitiatum nuper erectum, atque insuper ad eiusdem provinciae petitionem designamus praenominatum conventum pro exacta observantia, volentes, quod nemo in eo possit assignari, qui habilis ac paratus non sit regulam et sacras constitutiones ad literam observare.

2. Similiter approbamus et confirmamus communem novitiatum pro natione Moravica nuper in conventu nostro Brunensi institutum, volentes, quod in dicto conventu matutinum media nocte persolvatur, mox ubi ecclesiae fabrica eo perducta fuerit, ut chorus diurno et nocturno usui deservire possit.

3. Ordinamus, quod in conventu nostro Olomucensi semper habeatur cursus philosophiae cum unica ad minus lectura theologiae moralis.

4. Declaramus, studium nostrum Pragense in conventu s. Aegidii fuisse hactenus et esse studium generale, ac proinde gaudere communibus privilegiis, iuribus et gratiis reliquorum studiorum generalium nostri ordinis; decernentes, quod in eo officium regentis durare debeat per quadriennium, baccalaurei ordinarii ac magistri studentium per triennium. Porro modernum ibidem magistrum studii p. fr. Cornelium O-Heine Hibernum ob causas nobis bene visas confirmamus in hoc suo secundo triennio.

5. Pro rigore ac debita exercitiorum assiduitate in dicto studio ordinamus, quod, si illius moderatores ultra annum distulerint disputationes publicas aut semel iterumve domesticas illas, quas mensiles vocant, omiserint, subiiciantur poenis, quas capitulum generalissimum anni 1644 ordinatione 9. talibus imponit.

6. Studentes formales a choro nocturno alternis vicibus sint exempti, quod tamen de solis diebus non festivis intelligi volumus. Quia vero conventus s. Aegidii hoc rerum statu laborat paucitate fratrum, ne inde cultus divinus notabiliter langueat, statuimus, quod iidem studentes formales ad chorum diurnum simul omnes teneantur.

7. Cum praedicta ecclesia s. Aegidii sit parochialis et ex praecipuis

illius regiae civitatis devotaeque frequentiae peculiariter exposita, mandamus priori et subpriori pro tempore, ne umquam permittant sive titulo communis recreationis sive alio quocumque praetextu divinum in ea officium breviari, anticipari aut transponi, sed curent statis semper temporibus horas et officia persolvi, praecipue matutinum, missam conventualem et completorium cum « Salve regina »; et si deprehendatur secus factum, a provinciali acrius puniantur.

8. Declaramus atque ita in posterum observari indispensabiliter volumus, quod literariorum exercitiorum aestivae vacantiae numquam incipiant ante festum s. Mariae Magdalenae nec ultra festum exaltationis s. Crucis protendantur; idque non de sola artium lectione, sed et de reliquis theologicis statutum esto.

9. Mandamus admodum rev. p. provinciali pro tempore sub poena suspensionis ab officio, quatenus omni conniventia omnique humano respectu semotis priores illos a suis officiis irrevocabiliter absolvat, qui maiorem anni partem extra suos conventus in praediis aut villis aliisque excursibus transigunt.

10. Mandamus eidem p. provinciali sub poena absolutionis ab officio, quod fratres nostros, quotquot extra conventus degunt ac parochias administrant, intra spatium duorum mensium a notitia huius ordinationis in provincia ad conventus redire compellat, exceptis dumtaxat illis, qui de legitima superiorum licentia pro commodo ac subsidio indigorum conventuum cumque subiectione erga certum priorem sibi viciniorem in parochia degunt; quos quidem tantisper adhuc in eo statu toleramus, donec et ipsi commodius possint ad sua claustra revocari.

11. Concedimus p. fr. Theophilo de Ostropoli et p. fr. Gregorio Lausinio, quod uterque filiationem suam, ille quidem a provincia Russiae ad conventum nostrum Hunnobrodensem, iste a conventu nostro Pilznensi ad Budovicensem transferre possint, servatis de more servandis.

12. Instituimus praedicatorem generalem rev. p. fr. Albertum Franciscum Seydelium pro nostro conventu Litomericensi observantiae, cui laudabiliter praeest. Item ad petitionem provinciae factam anno 1651 in capitulo Brunensi instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Vincentium Valentinum Stigliz pro conventu Brunensi, fr. Raphaelem de Laminetz pro conventu Pilznensi et fr. Iordanum Andream Scholz pro conventu Hunnobrodensi, dummodo in conventibus et non in parochiis habitent, alioquin carebunt privilegiis et voto in capitulo provinciali.

13. Quia fidedignorum testimonio accepimus, rev. p. fr. Paulum Cristallinger, priorem Brunensem, strenue graviterque in hac provincia pro communis boni reparatione et incremento ab annis non paucis laborare atque insuper in munere praedicationis tam intra nativam suam Teutoniae

provinciam quam extra praeclara et egregia sibi merita comparasse, instituimus ipsum praedicatorem generalem pro uno locorum, quos noviter provinciae Teutoniae adiecimus.

14. Promovemus ad gradum praesentaturae p. fr. Petrum Martyrem iam bis baccalaureum ordinarium studii Pragensis; acceptamus quoque praesentaturas rr. pp. fr. Henrici Burscher, prioris Pragensis apud s. Mariam Magdalenam, et fr. Antonini Missenii, prioris Znoymensis.

15. Denique rogamus rev. magistrum ordinis, ut quando haec provincia ad eum redierit florem, quem tum superiorum strenuus in ea labor tum novitiatuum ac studiorum nova plantaria promittunt, non differat in ipsa designare plura virtutum praemia, diffiniendo eidem et certum magisteriorum numerum et magistros creando, prout nunc petitum fuit, ipsique provinciae indulgendo liberrimam ac illimitatam eligendorum sibi de suo gremio provincialium facultatem.

Pro provincia Provinciae sive Angelorum.

1. Confirmamus et omnino observari volumus id, quod pro hac provincia in generali capitulo Romae anno 1650 § « Praecipimus rr. patribus prioribus » etc. statutum fuit circa admissionem et educationem novitiorum in conventibus Avenionensi et s. Maximini inque novitiatu generali s. Germani Parisiis.

2. Approbamus, quidquid pro bono communi ac pace provinciae nec non studiorum promotione circa graduatos et praedicatores generales determinatum fuit a piae rec. magistro generali p. Rodulphio per suas litteras patentes sub datis Romae die ultima novembris 1636 et ab eodem in actis capituli provincialis Arelatensis, Romae die 5. decembris 1637 nec non in capitulo generalissimo Romae 1644, et insuper a bonae memoriae magistro generali Turco in suo transitu per provinciam Aquissextiis die 21. octobris 1645 approbatum fuit et confirmatum.

3. Ordinamus, quod non legatur cursus philosophicus nec theologicus nisi in conventibus, qui habent domum novitiorum, in quibus iuniores studentes remaneant sub cura magistri; alias eiusmodi lecturae non valeant pro quocumque gradu obtinendo.

4. Nullus instituatur lector theologiae, quin prius publice et cum laude binos artium cursus integre praelegerit sive fratribus sive secularibus, sic tamen ut alterum horum cursuum teneatur praelegisse fratribus; nullusque fiat theologiae lector in generali studio Aquensi, quin prius in aliquo studio materiali ad minus per biennium docuerit sacram theologiam.

5. Ordinamus, quod quicumque in studio generali legent pro gradu et forma, sive sint regentes sive baccalaurei ordinarii in eodem studio, teneantur singuli suas lectiones continuare per quadriennium, id est per

biennium in officio baccalaureatus et reliquum biennium in officio regentis. Ne vero nimium multiplicentur lectores, uterque theologiae professor tam regens quam baccalaureus legent alternatim singulis festivis diebus s. scripturam, ita ut unus vetus testamentum, alter novum exponat, fiantque de his lectionibus peculiares conferentiae. Magister studentium hebdomadatim duas habebit lectiones theologiae moralis assistetque sustinentibus circulos quotidianos iuxta praescriptum const. dist. 2. cap. 14. de studentibus text. 4. et tit. de officio magistri studentium.

6. Studentes philosophiae ac theologiae quotannis examinentur coram moderatoribus studii, priore et magistris, vel in horum defectu aliis graduatis, ita ut numerum quinarium impleant, idque fiat statim post festum s. Mariae Magdalenae, et antequam de ipsorum sufficienti literatura procedatur ad vota secreta, audiatur de singulorum moribus magister novitiorum; moneatque primarius moderator p. provincialem de iis, qui inventi fuerint non profecisse, quantum par erat, ut provideat sicut expedire iudicarit.

7. Ad tollendas contentiones et lites in petitione graduum aut lecturarum, nullus possit a provincia postulari ad magisterium, nisi prius in generali studio Aquensi fuerit regens vel baccalaureus ordinarius, salvis tamen privilegiis universitatis Parisiensis. Examen vero graduandorum semper fiat in studio generali iuxta ordinationem capituli Romani anno 1629; et si aliter fiat, tamquam invalidum ac nullum reputetur.

8. Acceptamus et approbamus magisteria rr. pp. fr. Hyacinthi Joubert, fr. Hyacinthi Rebori, fr. Ioannis Baptistae de Iulianis, fr. Stephani de Toro in locum defuncti rev. p. mag. fr. Hyacinthi de la Plane, fr. Iacobi de Bartelemis in locum rev. p. mag. fr. Claudii Cortesi, nec non admodum rev. p. Ioannis Lange, huius generalis capituli diffinitoris promoti ad hunc gradum a rev. p. generali, postquam in hoc capitulo publicis conclusionibus praesedit, iuxta tenorem patentium.

9. Acceptamus et approbamus baccalaureatus rr. pp. fr. Alberti Flesche (1), fr. Pii Montanier, fr. Gregorii Piccart, fr. Caroli Bouquin (2) et fr. Dominici Tavernier. Item approbamus baccalaureatum p. fr. Thomae de Lueil, qui in hoc generali capitulo pro sua provincia laudabiliter conclusiones propugnavit, dantes ei locum admodum rev. p. fr. Ioannis Lange ad magisterium supra assumpti.

10. Acceptamus et approbamus praedicaturam generalem rev. p. fr. Francisci de Centenariis pro suo conventu Carpentoractensi.

11. Ad petitionem capitulorum Carpentoractensis et Caballicensis

---

(1) De fr. Alberto Flesche cf. SSOP. II, 690.
(2) De fr. Carolo Bouquin cf. l. c. pag. 745.

instituimus regentem generalis studii Aquensis rev. p. fr. Honoratum Flamenc, ut in hoc officio suarum lecturarum quadriennium expleat. Damus ibidem baccalaureum ordinarium p. fr. Albertum Flesche.

12. Concedimus rev. p. fr. Vincentio a s. Laurentio facultatem transferendi suam filiationem a conventu Caballicensi ad alium quemcumque benevolum, dispensantes super consensu conventus a quo.

Pro provincia Dalmatiae.

1. Ordinamus, quod nullus lectorum promoveri possit ad gradum baccalaureatus, nisi in aliquo conventu legerit ad minus per quatuor annos; nec umquam detur alicui gradus, nisi praevia legitima petitione provinciae facta in capitulo provinciali, sicut statutum fuit in capitulo generali Romae 1650.

2. Novitii simplices iugiter in conventu maneant nec umquam permittantur exire domo aliter quam comitante magistro novitiorum, idque sub poena absolutionis ab officio tam p. provinciali quam priori conventus.

3. Provinciales in hac provincia deinceps sint biennales, non obstante concessione triennii facta in capitulo generalissimo Romae anno 1644, quam eatenus revocamus.

4. Iuxta eiusdem capituli generalissimi praescriptum volumus, priores non posse habere vocem in capitulo provinciali, nisi in suis conventibus alant sex ad minus sacerdotes.

5. Mandamus omnibus huius provinciae fratribus alio quam studiorum titulo extra eam commorantibus, quod sine dilatione ad eamdem sese recipiant, secus activa et passiva voce sint privati.

6. Approbamus, quod rev. p. mag. fr. Dominicus Soppe, Iadrae inquisitor, fabricam prosequatur suis sumptibus inchoatam, absque tamen Iadrensis conventus impendio; eidem permittimus hortum suis usibus per patres a consilio iam concessum, durante ipsius vita et non aliter.

7. Declaramus, quod admodum rev. p. mag. fr. Cornelius Uticensis provincialis Dalmatiae iam expleverit sui officii triennium, quod a die suae electionis iure computatur; proinde haec provincia ad novi provincialis canonicam electionem libere procedere potest.

8. Acceptamus magisteria rr. pp. fr. Dominici Soppe inquisitoris, fr. Ambrosii Caravanaei de Spalatro et fr. Marci Modio de Spalatro, qui omnes sunt de numero.

9. Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Thomam Florium de Brachia pro conventu s. Petri Martyris in Civitateveteri, fr. Hyacinthum de Spalatro pro conventu Spalatrensi et fr. Raymundum de Sebenico pro suo conventu s. Dominici de Sebenico, idque locis actu iam vacantibus et non aliter.

10. Damus generali studio nostro Iadrensi regentem rev. p. fr. Hyacinthum de Pago, et baccalaureum ordinarium p. fr. Simonem Pierotich de Lissa.

11. Ad instantiam nostri conventus de Pago confirmamus eidem in vicarium pro alio triennio rev. p. Xystum de Brachia. 5

Pro provincia Trinacriae.

1. Rogamus nostrum patrem reverendissimum, quatenus apud s. d. n. efficaciter instet pro beatificatione venerabilis p. fr. Petri de Hieremia, filii conventus s. Zitae de Panormo.

2. Confirmamus ordinationes, quae ab admodum rev. p. mag. fr. Gregorio Arosteguì de Areylza, quondam visitatore, commissario et vicario generali eiusdem provinciae, ac praesertim eas, quae pro conventibus strictioris observantiae ab ipso institutis praescriptae fuerunt. 10

3. Ad petitionem provinciae confirmamus et, quatenus opus sit, auctoritate s. sedis apostolicae corroborari petimus factam ab eodem p. visitatore dispositionem quoad institutionem prioris in conventu Portus Salutis civitatis Valettae Melitae et vicarii eiusdem insulae. 15

4. Confirmamus redintegrationem ac dispositionem Messanensis nostri collegii s. Hieronymi eo modo et forma, quibus illud a praenominato p. visitatore ad totius provinciae factam in capitulo provinciali Platiae anno 1650 instantiam ordinatum atque instructum fuit. 20

5. Pro novitiatibus seu religiosae iuventutis tyrociniis destinamus hos conventus, nempe pro valle Mazzarae conventum s. Mariae de Iesu Castroveteranum, pro valle Nemorum conventum sanctissimae Annuntiatae Tauromeniensem, et pro valle Neti conventum s. Mariae Magnae Cataniensem, qui conventus omnes strictioris sunt observantiae, quibus addimus conventum Melitensem s. Mariae de Crypta civitatis Notabilis. 25

6. Ut iustitiae distributivae liberior pateat locus, abrogamus et cassamus ordinationem, qua pro singulis harum vallium decem magisteria deputabantur. 30

7. Confirmamus decretum factum anno 1655 in capitulo prov. Panormitano, quo causa cognita et mature discussa resolutum perque litteras r. p. generalis approbatum fuit, quod in hac provincia inter baccalaureos ordinarios illi concedatur prior locus, qui prius tempore locum obtinuit.

8. Declaramus, quod in scrutinio de vita et moribus studentium non soli moderatores et si qui alii hactenus intervenerunt, ferre debent suffragium, verum etiam lector primus philosophiae, quando hic in defectu magistri studentium supplet munus illius, sicut et in examine de literis suffragari debent prior conventus et primus magister, ac in defectu unius ex istis supplebit lector primus philosophiae; porro in collegio s. Hieronymi quoad hoc servabuntur propria eius statuta. 35 40

9. Damus generali studio s. Dominici de Messana regentem rev. p. baccalaureum fr. Petrum Martyrem Dionysio et magistrum studentium p. lect. fr. Thomam Gilio. Item in generali studio s. Dominici Panormitano instituimus regentem rev. p. fr. Ioseph Gigante et in collegio s. Hieronymi Messanensi damus regentem rev. p. baccalaureum fr. Vincentium Calcagno, magistrum vero studentium p. lect. fr. Ioseph Mariam Corvo.

10. Ob magnam pauperiem conventus s. Dominici de Bisbona exoneramus illum in parte solitae contributionis, ita ut, ubi prius solvebat unciam unam, deinceps solvat tarenos quindecim dumtaxat; residuum vero suppleatur per alios conventus iuxta distributionem faciendam in proximo capitulo provinciali.

11. Ordinamus pro conventu Panormitano s. Zitae, quod quilibet illic pro tempore futurus prior tenebitur in suo biennio impendere fabricae eiusdem conventus ad minus scuta mille quingenta, ex quibus non pauciora trecentis applicabuntur pro novae ecclesiae structura; idque prioribus iniungimus sub poena inhabilitatis ad quaecumque ordinis officia. Idem cum debita proportione observari iubemus in aliis passim conventibus nondum quoad structuram undequaque consummatis, quos notabit admodum rev. p. provincialis et habita ratione facultatum seu annuorum redituum in singulis eiusmodi conventibus determinabit congruam pecuniae summam, quam quilibet ibidem prior infra teminum sui officii impendere debeat aedificio seu instaurando seu prosequendo ac perficiendo, ubi ecclesia aut conventus videbuntur his impendiis indigere. Prior autem quisquis in hoc negligens fuerit, poenae superius taxatae subiacebit.

12. Restituimus ad gratias ordinis et, quantum in nobis est, dispensando redintegramus p. lectorem fr. Vincentium Pegna, p. fr. Thomam Petra-Sancta et p. lectorem fr. Thomam Furma.

Pro provincia Portugalliae.

1. Rogamus rev. magistrum ordinis, quatenus apud s. congregationem rituum sollicitari faciat beatificationem venerabilis matris Ioannae, filiae quondam serenissimi Alphonsi V. regis Portugalliae, cum illius acta iam pridem ab ordinario examinata fuerint et approbata. Similiter instet pro beatificatione d. fr. Bartholomaei de Martyribus, archiepiscopi Bracarensis, cuius etiam acta legitimo examine discussa fuerunt et approbata.

2. Item ut satagat obtinere decretum a s. d. n., quo statuatur in hac provincia id, quod in provinciis Hispaniae ac Bethicae salubriter iam in usu est, nempe quod ad moderandam enormitatem sumptuum in capitulis provincialibus aliaque evitanda incommoda, quae hactenus ex capitularium multitudine obvenerunt, nulli deinceps in conventibus eligantur socii priorum euntium ad capitulum provinciale.

3. Statuimus et declaramus, quod praesentati quocumque modo ad titulum praedicationis a magistro ordinis aut capitulo generali promoti vel in futurum promovendi non possint locum sui gradus praetendere nec a provincia acceptari, donec suo ordine succedant in loca vacantia decedentium praesentatorum, qui fuerunt de numero. 5

4. Ne gradus idoneis lectoribus concessi vel concedendi fiant aliquibus inertis otii pulvinaria, sed potius ulteriorum in schola laborum stimuli sint et incitamenta, decernimus ac ordinamus, quod tales, postquam legendo praesentaturae lauream sunt adepti, adhuc per quadriennium ad minus in aliqua universitate seu studio formali theologicas suas lectio- 10 nes prosequantur, ita quod, si secus factum fuerit, nequeant in magistros provinciae acceptari. Porro ad praesentaturae gradum nullus ascendat, nisi per 4 annos theologiam legerit seu magister studentium fuerit.

5. Ordinamus, quod confessores et vicarii monialium post expletum officium nec ibi nec alibi possint eidem muneri applicari, nisi transacto 15 duorum ad minus annorum interstitio.

6. Cum rev. p. fr. Michael Baptista per viginti et amplius annos in officio magistri novitiorum fuerit utiliter occupatus inque eodem adhuc strenue pergat desudare, concedimus ei omnes facultates et privilegia, quotquot in tantorum laborum solatium ac praemium a diversis capitulis 20 generalibus ac specialiter ab ultimo Valentino decernuntur.

7. Approbamus et confirmamus id, quod huic provinciae iam pridem a capitulis generalibus Parisiensi 1611 et Bononiensi 1615 concessum atque a rev. p. nostro generali denuo ordinatum fuit, nempe quod loco capituli intermedii celebretur congregatio patrum, cui intervenire debeant 25 magistri a provincia acceptati et priores in ordinationibus iam designati. In hac vero congregatione intermedia ex privilegio speciali fel. rec. Innocentii X. possunt tam magistri quam praesentati rite a provincia acceptari.

8. Approbamus et confirmamus factam a provincia acceptationem 30 magisterii rev. p. fr. Emmanuelis Vasconcellos, huius capituli diffinitoris, pro loco extranumerario, eo modo quo a rev. p. nostro generali in sua confirmatione dispositum fuit.

Pro provincia Bethicae.

1. Ordinamus, quod congregatio intermedia, quoties forte inciderit 35 in annum, quo capitulum generale celebrabitur, ipsa omittatur, eiusque loco habeatur congregatio 12 patrum graviorum provinciae, qui propinquiores fuerint conventui, in quo p. provincialis designaverit hanc congregationem habendam; possitque etiam omitti capitulum intermedium de consilio praedictorum patrum, si aliqua sufficiens ratio vel occasio se 40 offerat tale capitulum omittendi, ita ut per hoc provincialis non incurrat

poenam suspensionis taxatam pro casu, quo citra legitimam causam capitulum aut congregatio intermedia omittatur; in ea tamen congregatione non possint fieri postulationes.

2. Ordinamus, quod expensae, quae fiunt in capitulo provinciali non excedant summam bis millium ducatorum, et quae fiunt in capitulo seu congregatione intermedia non transeant summam ducentorum ducatorum. Porro inter has expensas computari debent, quae a patrono provinciae dantur aut ex eleemosynis adquiruntur; quod si maiora impendia facta fuerint, conventus, in quo capitulum celebratur, ea a provincia exigere non poterit.

3. Concedimus nostro conventui s. Dominici del Campo, quod possit educare novitios, tametsi in eo non vigeat studium generale, attento quod in illa spatiosa parte provinciae non extat conventus, qui novitios educare possit, quodque in praenominato conventu ante prohibitionem bonae memoriae p. fr. Thomae Turci fuerint iidem observantissime educati.

4. Cum in ista provincia hactenus usu venerit, quod in casibus, quibus interdum quartus scrutator est eligendus, id per vota secreta factum fuerit iuxta vetus praescriptum in decl. const. dist. 2. cap. 2. text. 1. § « Item in capitulo », pro maiori tamen uniformitate cum reliquo ordine decernimus et declaramus, quod deinceps in hoc observetur potius declaratio 16. capituli generalis Romani anno 1629 celebrati, nimirum quod per vota publica et non aliter quartus scrutator eligatur.

5. Confirmamus ordinationem factam a recolendae memoriae p. magistro fr. Seraphino Sicco hanc provinciam anno 1619 visitante, necnon et alteram ab eodem anno 1625 die 11. aprilis praescriptam quoad praedicatores generales non residentes in conventibus suae institutionis, videlicet quod non habeant vocem in electione prioris provincialis, exceptis dumtaxat subprioribus, magistris novitiorum, confessoribus ordinariis monialium aut earum vicariis, item secretariis ac ministris s. inquisitioni actualiter inservientibus, denique senibus sexagenariis et iudicio provincialis ac patrum de consilio iam inhabilibus ad laborem praedicationis.

6. Confirmamus concessionem anno 1600 in capitulo Neapolitano factam tenoris sequentis: Concedimus in provincia Bethicae, quod possint dari priores conventibus Cordubae, Hispali, Granatae et Malacitano, etiamsi non expleverint biennium prioratus in aliis conventibus.

7. Concedimus huic provinciae, quod festum s. Iacobi apostoli patroni Hispaniarum celebret cum octava solemni, ut fit in reliquis Hispaniarum ecclesiis. Item quod in conventibus civitatis Cordubensis celebretur officium de illis sanctis, de quibus recitat ecclesia matrix cumque eadem

solemnitate et eodem die, servatis rubricis nostri ordinarii; et specialiter recitetur officium s. Archangeli Raphaelis, tutelaris eiusdem Cordubensis civitatis, sicut recitatur in ecclesia matrice.

8. Denique rogamus rev. magistrum ordinis, quatenus sollicitari faciat beatificationem venerabilium patrum Alvari de Corduba et Pauli de s. Maria, quorum acta et processus iam extant Romae.

Pro provincia Germaniae inferioris.

1. Commendamus huius provinciae priori provinciali, quisquis fuerit pro tempore, quatenus exactam sacrarum constitutionum observantiam in nostro Bruxellensi conventu pridem introductam magnoque labore et cura hactenus continuatam satagat omni studio, industria ac zelo fovere, defendere et promovere, neminemque in illo conventu sub quocumque seu filiationis seu alio obtentu degere permittat, qui non ex animo sacrae observantiae afficiatur, in cuius respectum ac favorem peculiariter acceptamus magisteria rr. pp. fr. Ioannis Baptistae Verjuys, prioris Bruxellensis, nec non immediati sui ibidem praedecessoris fr. Henrici Scellier, declarantes, eos legitime gaudere titulo et loco magistrorum, at nondum voce in sua provincia, quoadusque fuerint de numero in rata suae nationis.

2. Ordinamus inque s. obedientiae meritum iniungimus rr. patribus priori et moderatoribus generalis studii nostri Lovaniensis pro tempore, quod sedulo, uti hactenus, laborare pergant pro conservatione et augmento Militiae Angelicae divi Thomae Aquinatis, quae pie et canonice ibidem anno 1649 die 5. martii sub tessera cinguli castitatis adversus carnis lasciviam in forma confraternitatis instituta et a fel. rec. Innocentio X. variis indulgentiis ac privilegiis exornata fuit.

3. Ne extra conventus studiorum in reliquis provinciae coenobiis plane elangueant fructuosa literarum exercitia, statuimus, quod in omni conventu, ubi theologiae simul ac philosophiae studium non viget, ad minimum ter in hebdomada publice habeatur lectio moralis de casibus conscientiae, ita quod prior, in cuius conventu lex ista in praxim deducta et servata non fuerit, careat voce activa in capitulo provinciali; teneanturque priores iuratum testimonium deferre ad capitulum, quod hoc statutum in suis conventibus fideliter observetur.

4. Prohibemus, ne in ulla ex tribus huius provinciae nationibus suscipiantur ad habitum adolescentes in grammaticalibus adeo rudes et imperiti, ut emissa professione iterum eos destinare oporteat ad scholas triviales studiaque humaniora.

5. Prohibemus sub poena semestris ab officio suspensionis, ne quis prior aut praeses conventus quaecumque mobilia fratris defuncti distribuat privato suo arbitratu, sed ea sub fido inventario coram patribus a

consilio aggregentur rebus communitatis, ut inde, quibus necessaria fuerint, praebeantur.

6. Quotiescumque sive ex patrimonialibus alicuius fratris sive alio haereditatis aut legati titulo summae aliquae pecuniariae obveniunt conventui, prohibemus sub poena absolutionis ab officio aliisque arbitrariis, ne prior per se vel per alium eas expendat in quotidianos usus aut in praesentaneas oeconomiae necessitates, sed eae applicentur ad annue fructificandum, ut inde augescant fixi conventuum reditus, possitque in omnibus firmius stabiliri ac manuteneri perfecta rerum communitas, quam in hac provincia peculiariter et florere gaudemus et perfici atque conservari optamus.

7. Acceptamus novum monasterium sub titulo Matris Dei in civitate Insulensi, constructum sub regimine p. magistri Turci bon. mem., eique sub stricta observantia bene inchoato iuge spiritus incrementum adprecamur.

8. Instituimus praedicatores generales pro conventu Insulensi rev. p. fr. Ioannem Carré, priorem ibidem; pro conventu Yprensi p. fr. Dominicum Plouvier; pro conventu Sittardiensi p. fr. Servatium Haghen et pro conventu s. Thomae Duaci p. fr. Thomam Morel.

9. Denique promovemus ad gradum baccalaureatus pro loco actualiter vacante in natione Brabantina rev. p. fr. Petrum Muytinx.

Pro provincia Calabriae.

1. Cum in hac provincia vigeat lex et usus alternativae quoad provinciales et diffinitores, nec tamen ipsa secundum hodiernum eius statum satis aeque divisione videatur in duas partes alternantes distincta, siquidem notorium est, inferiorem Calabriam tum locorum tum religiosorum atque redituum proportione plus quam ad medietatem excedi a Calabria superiori, idcirco volentes utramque partem, quoad commode fieri nunc possit, ad iustiorem aequalitatem redigere, iuxta suffragium ac desiderium maioris partis vocalium capituli provincialis anno 1653 in Suriano celebrati decernimus ac decernendo declaramus, quod deinceps conventus omnes et loca huius provinciae comprehensa sub districtu, quem vocant il marchesato, usque ad flumina vulgo dicta l'Amato et Corais pertineant ad portionem Calabriae inferioris. Proinde mandamus omnibus et singulis ad hanc provinciam quomodolibet pertinentibus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae, sub formali praecepto nec non sub poena privationis utriusque vocis ipso facto incurrenda aliisque magistro ordinis arbitrariis, quatenus hanc nostram dispositionem sine ulla renitentia aut contradictione statim suscipiant, admittant et in executionem deduci sinant; irritum et inane decernentes, quidquid ea non servata deinceps in capitulis provincialibus contigerit tractari vel attentari,

2. Ordinamus, quod capitulum provinciale celebretur die 24. maii, in quem annue incidit festum translationis s. p. n. Dominici, cum experientia compertum sit, quod, quando initio huius mensis vel etiam citius celebratur, nimium periclitantur vocales in itinere ob solutiones nivium, frequentiam pluviarum, exundationes fluminum, in quibus nonnulli interdum vitam amiserunt.

3. Ordinamus, quod lectores, si qui sunt ad legendum minus idonei, adigantur acceptare officia subprioris et syndici; renitentes vero priventur titulo lectoris aut praedicatoris; porro in dictis officiis biennium et non ultra perseverent.

4. Quia conventus Neapolitanus s. Mariae Salutis fundatus fuit pro communi necessitate totius provinciae et ex communibus impensis, ordinamus, quod perpetuo ad hanc provinciam solam pertineat; cumque alat plus quam triginta fratres, denuo ipsum erigimus in prioratum cum voce aliisque iuribus, atque iterum confirmamus, quod aliunde nullus praedicto conventui possit affiliari, sicut pluries iam statutum fuit.

5. Ordinamus et praecipimus, quod in conventu Suriani semper aliquis frater literatus ac prudens sit deputatus ad notanda diligenter miracula et gratias, quae certatim a fidelibus eo confluentibus referuntur, rogamusque rev. magistrum ordinis, ut illum fratrem pro tempore huic officio incumbentem creet ac declaret notarium publicum.

6. Ordinamus, quod in generali studio Cosentino numquam creentur lectores cum conditione aut iuramento non legendi, sed absolute excludantur indigni et admittantur idonei; idque moderatoribus sub poena privationis officiorum statutum esto.

7. Pro eodem generali studio, quoad opus est, renovamus ordinationes p. magistri Rodulphii piae memoriae factas in visitatione, et praecipue quod studentes summo mane surgant ad studendum, examinentur singulis annis, fiat scrutinium de moribus, neque e conventu exeant nisi semel in hebdomada, idque nonnisi associati ab uno ex moderatoribus; similiter praecipimus, quod ab occasu solis usque ad lectionem p. regentis nemo alterius cellam ingrediatur.

8. Mandamus sub poena privationis officiorum moderatoribus, quod indispensabiliter incipiant legere prima die post festum ss. rosarii et lectiones suas prosequantur usque ad ultimum diem iunii inclusive; quo toto tempore studentes alio sub quocumque praetextu non secedant sub poena exclusionis a studio.

9. Ordinamus, quod lectores cursum artium legant per tres annos integros, sic quod primo anno absolvant logicam, secundo physicam, tertio libros de anima et metaphysicam.

10. Mandamus, quod nullo modo assignentur novitii professi con-

ventibus, qui eos ad minus in numero quaternario non valeant sustentare; istique non aliter illic quam in proprio dormitorio sub clavi et cura magistri possint habitare.

11. Mandamus, quod in singulis conventibus deputetur lector moralis, qui saltim ter in hebdomada legat casus conscientiae; patres vero confessarii, qui sine legitima causa priori cognita bina vice immediata huic lectioni non interfuerint, intelligantur ipso facto suspensi per mensem a confessionibus audiendis.

12. Sub eadem poena prohibemus, ne quis post occasum solis audiat confessiones mulierum citra necessitatem nec extra solitam sedem confessionalem aut sine stola. Provincialis autem singulis annis in visitatione examinet simplices confessarios neque in hoc munere toleret nisi fratres probatae vitae, et qui semper fuerint illibatae famae habeantque 30 annos.

13. Ordinamus, quod in parvis conventibus quatuor ad minus sacerdotum semper divinum officium integre recitetur in choro, et quotidie cantetur missa, idque sub poena privationis officiorum prioribus ac locorum vicariis. Qua in re zelose advigilet provincialis nec uspiam conniveat.

14. Ordinamus, quod, si contingat aliquem e superiori Calabria ad inferiorem vel e contra affiliari, statim intelligatur quoad omnia incorporatus eidem parti, proque illa concurrat ad vicem provincialatus et diffinitoris. Hoc vero etiam in his, qui modo transfiliati reperiuntur, praescriptum esto.

15. Ordinamus, quod petitiones in capitulis provincialibus fiant ab omnibus diffinitoribus et magistris per vota secreta, praecipientes in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae, sub formali praecepto, quod deinceps nullus petatur in magistrum studentium, qui per tres integros annos cursum artium non praelegerit, neque in baccalaureum ordinarium, qui nondum fuerit magister studii, neque in magistrum, qui his omnibus non sit perfunctus; et caveatur, ne quis vitae minus probatae petatur ad gradum, quantumcumque in literis excellat.

16. Ordinamus, quamprimum in conventu Suriani fieri archivium provinciae duabus saltim clavibus obserandum, quarum una semper maneat in arca depositi eiusdem conventus, altera penes provincialem, ibique provinciae totius documenta, scripturae, ordinationes magistri ordinis et processus fratrum asserventur.

17. Sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda mandamus omnibus locorum superioribus, quod infra 6 menses curent formari librum, in quo accurate et authentice notentur omnes reditus, fundi ac bona stabilia conventuum, satagatque pater provincialis, ut ita fiat, ac negligentes inexorabili rigore castiget.

18. Damus vocem activam in capitulis provincialibus priori Castriveteris, cum possit iam alere 12 fratres; similiter prioribus Filienae, Briatici, Radicenae, Cirifalci, Belcastri et Cutri, dummodo habeant eumdem numerum fratrum cum ceteris requisitis.

19. Erigimus in prioratum conventus nostros Cirisani, Laurianae et Siderni, quibus provincialis hac prima vice priores instituet.

20. Concedimus huic provinciae, quod festum delatae s. imaginis ad Surianum celebretur in ea cum octava simplici, festum s. Francisci de Paula sub toto duplici cum octava memoriae, et festum s. Gregorii Taumaturgi, cuius corpus apud Squillacum asservatur, sub duplici, proque die 17. novembris, quo idem celebratur ab ecclesia Romana.

Pro provincia s. Crucis Indiarum.

1. Denuntiamus, acta capituli provincialis huius provinciae anno 1654 celebrati in conventu s. Dominici insulae Hispaniolae fuisse visa et examinata, omniaque in illis contenta, institutiones, ordinationes ceteraque fuisse confirmata.

2. Denuntiamus, erectum fuisse in prioratum conventum dominae nostrae de los remedios de Xamaica iuxta petitionem nobis exhibitam, cum 12 fratribus alendis sufficientes habeat proventus. Et cum ob navigationum infrequentiam scrutinia dicti conventus de priorum electione, prout in actis supradicti capituli refertur, ad p. provincialem ordinarie transmitti nequeant, concedimus provinciali pro tempore facultatem, qua non tantum pro prima hac vice, sed perpetim instituere possit priorem istius conventus, sicut instituere solet priorem conventus s. Petri Martyris de Monte de Plata.

3. Item ad provinciae petitionem hunc s. Petri Martyris conventum transferimus ad civitatem illic nuncupatam Santiago de los cavalleros, sitam in insula Hispaniola.

4. Cum sacrae nostrae constitutiones dist. 2. cap. 5. text. 2. et glossa ibidem lit. A. disponant, in capitulis provincialibus per ipsummet provincialem aut vicarium generalem de consilio patrum provinciae et non aliter seligendos ac proponendos esse consuetos examinatores vocum, cumque in hac provincia numerus magistrorum adeo sit tenuis, ut cum patribus, qui fuerunt provinciales, nondum sufficiat integrare numerum ad eiusmodi patrum consilia requisitum, ordinamus ad complendum huius consilii numerum duodenarium, quod ultra magistros et eos qui fuerunt provinciales, assumantur in supplementum ex patribus in capitulo tunc praesentibus antiquiores praedicatores generales inque horum defectu priores actuales professione seniores.

5. Confirmamus factam huic provinciae in ultimo capitulo Valentino concessionem, qua studium generale provinciae addicitur conventui

s. Thomae Aquinatis de Puertorico, volentes, quod lectores in eo docentes legant pro gradu et forma magisterii.

6. Similiter confirmamus alteram eiusdem capituli generalis factam huic conventui concessionem, quod nimirum in ipso novitii ad habitum et professionem recipi atque ibidem educari possint.

7. Acceptamus rev. p. fr. Didaci Romero, quondam provincialis huius provinciae, factam a rev. p. nostro generali promotionem ad gradum magisterii titulo lectionis; item magisterium p. fr. Ludovici a s. Michaele datum titulo praedicationis; et gradum praesentaturae eodem titulo collatum p. fr. Gaspari de Cassas cum retentione suae praedicaturae generalis.

8. Approbamus et acceptamus gradum praesentaturae titulo praedicationis a rev. p. nostro generali hoc anno die 1. aprilis concessum admodum rev. p. fr. Petro a s. Ioseph, priori conventus s. Dominici insulae Hispaniolae huiusque generalis capituli diffinitoris, ita ut simul retinere possit suam praedicaturam generalem.

9. Denique acceptamus praedicaturas generales hoc anno die 21. maii a rev. p. nostro generali collatas patribus fr. Michaeli Ignatio pro conventu s. Ioannis Lateranensis de la Havana in locum pie defuncti p. fr. Ioannis de la Nuez, fr. Petro Camillo pro conventu s. Petri Martyris de Monte de la Plata in locum pie defuncti p. fr. Petri de Castilla, p. fr. Petro de Brito pro conventu sanctissimi rosarii de la Margarita in locum rev. p. fr. Ludovici a s. Michaele ad magisterii gradum assumpti, et p. fr. Didaco Topete pro novo conventu de Xamaica, nunc in prioratum erecto.

Cetera hanc provinciam concernentia dabuntur in § Pro provinciis Indiarum in communi.

Pro provincia Hiberniae.

1. Concedimus omnibus huius provinciae religiosis utriusque sexus sive intra sive extra eam insimul collegialiter degentibus, quod sub ritu toto duplici quotannis die 6. aprilis, nisi ea in hebdomadam sanctam vel infra octavam paschae inciderit, celebrare possint festum s. Caelestini papae et confessoris, idque in gratam memoriam Hiberniae sub illo pontifice ad fidem conversae, utque eodem patrocinante natio illa praeservetur ab omni errore.

2. Decernimus et declaramus, quod haec provincia, tametsi nunc tota exulet ob acatholicorum saevitiam extorris nativo solo, retineat tamen nomen, locum, ius formamque provinciae, ita ut nulla ratione extinctis provinciis sit connumeranda. Proinde cum ipsa ob luctuosam filiorum suorum dispersionem in legitimum aliquod capitulum provinciale nullibi iam coire possit, ad magistrum ordinis pertinebit, durante

eius exilio, ipsi de idoneo provinciali, quoties opus fuerit, canonice providere, donec aliquando provincia redeat in eum statum, quo iterum possit intra patriam suum capitulum provinciale ex usu ordinis celebrare. Porro et tunc et modo in omnibus electionibus, functionibus, officiorum provisionibus, assignationibus et cuiuscumque demum nominis seu promotionibus seu deputationibus nec palam nec privatim ullam rationem sive respectum haberi volumus diversitatis quatuor regionum seu nationum Hiberniae, sed semper et ubique ex toto genere indiscriminatim ac promiscue admittantur, eligantur, assumantur etc. magis idonei, ut ita omnis divisio et prona factionum occasio proscribatur. Quicumque vero ex illo quadrifido regionum Hibernicarum titulo aut quovis alio nomine ius alicuius alternativae vel circularis successionis inter nationales aut praetenderint aut quoquo modo per se vel per alios directe vel indirecte uspiam invehere, procurare, admittere tentaverint, ipso facto in poenam sint ac declarentur perpetuo inhabiles ad quemcumque gradum vel officium in ordine tenendum vel assequendum.

3. Pro huius provinciae conservatione declaramus tam collegium Ulyssiponense quam conventum Lovaniensem fratrum Hibernorum cum omnibus suis pertinentiis habitis et habendis esse de corpore dictae provinciae, ita quod alii provinciales, intra quorum fines hae domus existunt, nullam in eas iurisdictionem praetendere aut adquirere possint, sed totum earum regimen relinquere teneantur iis, quibus magister ordinis directionem illarum vel instituendo contulerit vel delegando commiserit.

4. Ordinamus ac perpetuis futuris temporibus observandum decernimus, quod nullo umquam colore, titulo vel praetextu provincia Hiberniae incorporetur provinciis Angliae aut Scotiae neque harum altera vel utraque uniri possit provinciae Hiberniae, etiam per modum commendae, sive ex toto sive ex parte, sed permaneant simpliciter impermixtae, ita tamen quod harum nationum altera alteri non prohibeatur convivere, salvo discrimine propriarum provinciarum.

5. Hortamur ac per viscera Iesu Christi obtestamur omnes provinciales ac priores reliquarum provinciarum, praesertim Hispaniarum, ut, si qui forte iuvenes Hiberni probae indolis et capacitatis se offerant, eos prompta charitate ad habitum sanctamque professionem recipiant in conventibus, ubi magis viget observantia regularis, eosdemque iam professos literarum studiis opportune applicent, ipsorum profectibus specialiter intendant, necessitatibus prospiciant, spiritum foveant ipsosque ad generosa pro fide certamina formare conentur.

6. Mandamus et districte praecipimus universis provincialibus, prioribus et locorum praesidentibus, ad quos deinceps contigerit aliquem vel

aliquos huius nationis fratres nostros cum legitima suorum superiorum licentia modeste divertere, ut eosdem placido vultu benigne suscipiant, ipsorum indigentiae pro facultate domus munifice succurrant, negotia, pro quibus venerunt, pie promoveant, hospitalitatis iura sine parsimonia aut rigida limitatione erga istos conduplicent nullumque opportunae humanitatis officium praetermittant, memores, hos neque in patria nec fere ullibi habere, ubi caput reclinent.

7. Committimus admodum rev. p. mag. fr. Antonio Vaena, huius capituli pro Bethica diffinitori, eidemque impense commendamus, quod excellentissimum d. ducem de Medina Coeli ex communi nomine huius generalis capituli ac totius ordinis eo inclinare studeat, ut pro eximio suo in ordinem affectu novum illum conventum, quem alias in civitate Portus s. Mariae construere intendit, fundare dignetur in asylum commune fratrum provinciae nostrae Hiberniae pro catholica religione exulantium, disponendo, si ita placuerit, quod ibidem sub immediata admodum rev. p. provincialis Andaluziae cura pro tempore degant tum hi tum alii fratres Hiberni, qui finitis alibi scholarum cursibus idonei fuerint ad subeundam illic exactissimam regulae et constitutionum observantiam, et ad vacandum interea studio sacrae scripturae, controversiarum fidei, casuum conscientiae etc., ut his exercitiis consummate erudiantur ad fidem in patria sua propugnandam atque propagandam.

8. Stabilimus in hac afflicta provincia duodenarium numerum magistrorum ac totidem praesentatorum, quem nolumus umquam tempore etiam pacato transiliri. Ex his vero tum magistris tum praesentatis, quando provincia domi suae ad aliqualem redierit formam, una medietas semper ad titulum lectionis, reliqua ad titulum praedicationis exponatur. Qua in re ut securior sit locus iustitiae distributivae, diffinitores eorumve socii, si quando ad generale capitulum venerint, teneantur secum adferre catalogum omnium celebrium lectorum et praedicatorum totius provinciae, qui, quantum, quamdiu, ubi, quando, quo fructu legerint aut praedicarint, quot aetatis ac professionis habeant annos, quam religiosis, modestis et tranquillis moribus ubique fulserint etc. Volumus autem et declaramus, neminem titulo praedicationis exponi posse pro magisterio, nisi revera intra provinciam et regnum Hiberniae ad minus per decennium fructuose praedicarit, neque titulo lectionis, nisi post philosophiam integre praelectam, saltim per sex annos, in quibus tamen magisterium quoque studentium comprehensum esto, sacram theologiam docuerit in loco, ubi vigeant in veritate exercitia scholastica utriusque praedictae facultatis; denique nec ad gradum praesentaturae titulo lectionis quisquam possit exponi, qui prius non legerit integrum cursum artium, expletoque magisterio studentium saltim per tres annos docuerit theologiam.

Pro provincia s. Ioannis Baptistae del Perù.

1. Confirmamus electionem admodum rev. p. mag. fr. Francisci de la Cruz in provincialem una cum actis capituli provincialis celebrati anno 1654 die 24. mensis iulii, eorumque sedulam observantiam universis et singulis commendamus.

2. Acceptamus magisterium rev. p. fr. Didaci de Benavides.

3. Ob fervidam ac singularem populi devotionem erga victoriosum ac triumphale sanctissimae crucis trophaeum concedimus huic provinciae, quod festum inventionis eiusdem quotannis mense maio cum octava solemni possit celebrari.

4. Ordinamus ac declaramus, quod, quandocumque prior provincialis sive intra Limensem civitatem sive iuxta illam infra octo leucarum spatium praesens adfuerit, pro tunc eius vicarius Limae residere solitus carere censeatur omni vicarialis iurisdictionis exercitio, ita ut nec fratres de uno conventu ad alium assignare nec aliud quidquam mutare aut disponere possit nisi in his, quae sibi tunc per speciales literas aut mandata patris provincialis expresse committentur.

5. Confirmamus statutum capituli generalis Valentini n. 29., quo collegium s. Thomae ss. Trinitatis positum fuit sub immediata cura rev. magistri ordinis, quodque provincialis tamquam delegatus eiusdem illud visitet bis in suo quadriennio, ita tamen ut infra spatium octo dierum teneatur visitationem terminare; quibus transactis expirabit eius illic auctoritas.

6. Cum conventus nostri, maxime principaliores, magnum capiant detrimentum ex absentia priorum, praecipue si haec diuturna fuerit, ideo statuimus et prohibemus, quod neuter ex prioribus Limae durante suo prioratu mitti possit visitator aliorum conventuum seu locorum neque ut talis uspiam recipiatur, nisi in solis iis conventibus, qui subsunt illi vicariae provinciali vel qui extant in districtu archiepiscopatus Limensis et episcopatuum de Guamanca et de Truxillo, prout de more. Quod si in aliquo casu magna necessitas aliud exegerit, haec prius in consilio patrum bene ac mature discutiatur, ibique p. provincialis numerosiori votorum parti se conformare teneatur.

7. Volumus perpetuo firmitatis robore persistere ordinationes admodum rev. p. mag. fr. Francisci de la Cruz, huius provinciae quondam provincialis, datas in doctrina s. Dominici de Guari die 15. maii 1646 ac postea in capitulo generali Valentiae 1647 confirmatas.

Cetera istam provinciam respective concernentia praescribemus infra in paragrapho speciali pro provinciis Indiarum in communi.

Pro provincia s. Vincentii de Guatimala.

1. Denuntiamus, electionem rev. p. provincialis fr. Francisci Moran confirmatam fuisse a rev. magistro ordinis ritu consueto.

2. Assignamus huic provinciae nostrae assignatumque declaramus p. fr. Petrum Roman.

3. Confirmamus in actis capituli generalis anno 1650 Romae celebrati ac denuo inculcamus ea omnia, quae pro bono regimine huius provinciae fuere constituta.

4. Inhibemus, ne ullus deinceps frater conversus assumi possit ad officium procuratoris curialis in curia Guatimalensi.

5. Annuentes supplicationi huius provinciae abolemus ordinationem, qua prohibebatur, ne intra cuiuscumque provincialis quadriennium plures quam sexdecim novitii ex natis in Indiis possent ad habitum nostrae religionis admitti.

6. Similiter ad eiusdem provinciae supplicem instantiam concedimus, indicto perpetuo silentio omnibus, quicumque in posterum voluerint refragari, quod haec provincia more ceterarum gaudeat promotionibus ac gradibus, prout sibi in compluribus aliis capitulis generalibus constat fuisse indultum; proinde

7. Approbamus et acceptamus magisterium rev. p. fr. Raymundi Peramati in ea forma, qua sibi a rev. magistro ordinis fuit collatum.

8. Item instituimus et creamus magistros rev. p. fr. Ioannem de Libaja, rev. p. fr. Emmanuelem de Figueredo et rev. p. fr. Petrum de la Mora, omnes titulo lecturae.

9. Eodem titulo promovemus ad gradum praesentaturae rr. pp. fr. Hyacinthum Ganido, fr. Franciscum Rodriguez Raposo, fr. Franciscum Gallegos, dispensantes cum isto et sequenti in defectu postulationis provinciae, et fr. Ioannem de Quiros, omnes pro locis actu vacantibus.

10. Denique titulo praedicationis ad eumdem praesentaturae gradum cum retentione suae praedicaturae generalis rr. pp. fr. Franciscum Morçillo et fr. Franciscum de Zetina.

Cetera inferius § Pro provinciis Indiarum in communi.

Pro provincia s. Antonini de Novo Regno.

1. Approbamus et confirmamus universas ac singulas ordinationes, declarationes, indulta, institutiones, concessiones et promotiones ad quoscumque gradus, quotquot hactenus pro ista provincia factae sunt tum in postremo capitulo generali hic anno 1650 celebrato tum exinde usque in praesentem diem a rev. p. magistro generali.

2. Similiter confirmamus omnia, quae pro bono regimine huius provinciae tum ab anterioribus capitulis generalibus per successus tempo-

rum tum a praedefunctis magistris ordinis peculiariter sancita et numquam hactenus expresse fuere revocata.

Cetera infra § Pro provinciis Indiarum in communi.

Pro provincia s. Dominici Venetiarum.

1. Ordinamus, quod deinceps non petatur in magistrum studentium pro generali studio Patavino, qui prius legitimum cursum artium cum suis quotidianis conferentiis, circulis et exercitiis per capitula generalia ac scholarum nostrarum consuetudinem praescriptis integre non perfecerit, idque rite constare debebit congregatis patribus provinciae per litteras testimoniales subscriptas a priore et patribus de consilio illius conventus, in quo cursum suum praelegit, eaeque patribus provinciae exhibitae serio examinabuntur nec aliter quam per secretos calculos approbabuntur. Idem fieri mandamus circa petitionem baccalaurei ordinarii pro dicto studio generali, qui saltim per annum integrum officium magistri studentium exercuisse tenebitur cum debitis eius functionibus; et si quid horum omissum fuerit, tam huius quam illius petitio sit ipso facto invalida, cassa et inanis.

2. Confirmamus nostro conventui s. Dominici de Civitate omnia et singula privilegia, indulta et gratias, quibus per magistrum ordinis fr. Seraphinum Siccum intuitu fovendae ac promovendae exactissimae observatiae olim dotatus fuit.

3. Ordinamus, quod in conventu nostro s. Ioannis Baptistae de Fara vivatur simpliciter et ad puram literarum nostrarum constitutionum et communium legum ordinis atque a dicto conventu per provinciales, qui pro tempore extiterint, tollantur ac removeantur omnes novitates seu peregrinae singularitates, quae nostris constitutionibus minus consentaneae reperientur.

4. Ordinamus ad instantiam patrum nostri conventus Montis Silicis, quod deinceps in illo municipio iuxta praescriptum fel. rec. Pauli V. caveatur, ne mulieres ad habitum tertii ordinis quoquo modo recipiantur ante quadragesimum aetatis suae annum expletum. Item illic priorissae similium tertiariarum ultra biennium in tali officio durare non permittantur; singulaeque inducantur ad vivendum iuxta proprias ipsarum constitutiones.

5. Acceptamus magisteria rr. p. fr. Felicis Bertoni de Venetiis, fr. Hieronymi Herculani de Padua, fr. Petri Martyris Degna de Venetiis, fr. Ioannis Petri Bortoletti de Venetiis, fr. Innocentii Pencini de Venetiis, fr. Raphaelis Zagana de Venetiis, fr. Bernardi Bannellii de Tarvisio, fr. Bonifacii Grandi de Venetiis (1) et fr. Iacobi Mariae Ianovitii de Venetiis, qui omnes a rev. magistro ordinis fuerunt promoti.

(1) De fr. Bonifacio Grandi cf. SSOP. II, 730.

6. Acceptamus praedicaturam generalem rev. p. fr. Antonini de Bellovaco nec non eius affiliationem a conventu suo originali ad conventum nostrum Rhodiginum.

Pro provincia s. Catharinae virginis et martyris de Quito.

1. Confirmamus omnia et singula, quae pro hac provincia in ultimo generali capitulo anni 1650 tam quoad promotiones et institutiones quam quoad erigendas binas in ea linguarum cathedras disposita fuerunt.

2. Approbamus factam a rev. p. fr. Ioanne de Aguirre humilem omnium suorum graduum renuntiationem, quam ipse binis desuper litteris anno 1653 datis obtulit rev. p. nostro generali, qui illam paterne acceptavit, nosque eamdem denuo acceptamus et firmamus, declarantes, exinde ipsum neque in hac propria sua provincia neque in Peruana, ubi nunc assignatus est, aut alia quacumque ullo potiri gradu. Interim commendamus in ipso pium fervorem, quo conventum nostrum Limensem s. Mariae Magdalenae velut arctissimo rigori sacrae observantiae deputatum sibi delegit inamovibiliter inhabitandum; quam eius ibidem assignationem a nemine praeterquam a magistro ordinis revocabilem approbamus pariter et consolidamus, ita tamen quod, si contingeret ipsum ex quocumque motivo vel causa in praefato conventu morari non posse, ipso facto teneatur inde statim reverti ad hanc suam provinciam de Quito, ad quam olim est transfiliatus.

3. Ad studia literarum in hac provincia ab ultimo interitu vindicanda ac resuscitanda mandamus, quod in nostro conventu s. Petri Martyris de Quito sumptibus totius provinciae sine procrastinatione erigatur et instituatur formale collegium domesticum pro 12 fratribus collegis, melioribus atque capacioribus ex tota provincia in illud per concursum seu oppositionem cooptandis, ut ibi ad normam modumque collegii in nostro Limensi ss. Rosarii conventu iam pridem egregie florentis perpetuo ferveant scholastica exercitia sub consuetis collegiorum legibus, exemptionibus, institutis ac dispensationibus. Porro ad huius novi collegii fabricam ceteramque necessariam librorum, cellarum ac singularum officinarum supellectilem universim omnibus huius provinciae tum conventibus ac religiosis domibus tum doctrinis iustam indicimus contributionem pro rata cuiuslibet facultatum, et huic contributioni taxandae, procurandae, colligendae damus commissarios una cum admodum rev. p. provinciali pro tempore rr. pp. mag. fr. Franciscum de la Torre et praesentatum fr. Ildefonsum de Paramo, sique alter horum duorum vel morte praereptus vel diuturno impedimento retentus defuerit, ipsius loco ex nunc p. mag. fr. Antonium Valleio subrogamus ad eumdem effectum, mandantes admodum rev. p. provinciali sub poena absolutionis ab officio incurrenda ipso facto, ne opus tam pium ac salubre quovis colore,

praetextu aut motivo retardet, negligat vel intervertat, sed omni conatu promoveat.

4. Concedimus ac deputamus huic provinciae pro suis filiis duo loca collegialia in nostro Limensi collegio s. Thomae Aquinatis, ut in eo sub optimis professoribus doctrina et litteris sedulo imbuantur; neque Peruana provincia Quitensi detrectabit in hoc aliisque opportunis adminiculis pium matris officium iugiter exhibere.

Cetera huius provinciae infra § Pro provinciis Indiarum in communi.

Pro provincia sanctissimi Rosarii Philippinarum.

1. Confirmamus proxime praeteriti capituli generalis Romani factas pro hac provincia ordinationes, praesertim ultimam, quae est tenoris sequentis: Ad eiusdem provinciae instantiam cassamus et abolemus capituli Valentini ordinationem primam factam pro ista provincia de alternativa videlicet capitulorum provincialium celebratione nunc Manilae, nunc Novae Segoviae etc., reducentes quoad hoc, etiam incluso capitulo intermedio, omnia in eum statum et usum, prout erant ante praecitatam capituli Valentini ordinationem.

2. Ordinamus, quod provincialis actualis huius provinciae nullo modo possit suo arbitratu et absque consensu patrum a consilio discedere ad regna Iaponiae et Chinarum pro evangelii praedicatione aliove titulo, tum ne provincia remaneat interim sine suo legitimo et ordinario capite tum etiam ne amplius contingat, quod provinciales dimittant officium intuitu adeundi regna infidelium, prout anno 1654 evenit.

3. Ordinamus, quod nullus ex Sinarum natione ad habitum nostri ordinis possit assumi quocumque praetextu, et si secus fiat, volumus ac declaramus, nullam fore illius professionem.

4. Ordinamus denuo, prout in aliis quoque generalibus capitulis sancitum fuit, quod provincialis pro tempore nostrae provinciae s. Iacobi de Mexico sub poena maioris excommunicationis ipso facto incurrenda nec non privationis sui officii abstineat neque per se aut per alium se intromittat regimini domus s. Hyacinthi de Mexico, cum haec pertineat ad istam ss. Rosarii provinciam, videlicet deputata in hospitium patrum, qui zelo praedicandi evangelium illac ad insulas Philippinas transeunt aut inde commeant, ut illic post longam navigationem sese praeparent ad aliam longiorem.

5. Quandoquidem provincialis ss. Rosarii Philippinarum ob immensam locorum distantiam praenominatae domui s. Hyacinthi sat opportune providere nequit de vicario, ordinamus, quod, si dictum vicarium mori aut quovis alio modo dimoveri contigerit, successorem sibi vicarium possit nominare quemcumque idoneum patrem ex provinciis Indiarum vel Hispaniarum, qui interim, dum illi domui praeest, non censeatur

per hoc exclusus a voce aliisque gratiis in suo proprio conventu ac provincia, quibus gauderet, si in illa vel illo praesens adesset, neque provinciales Indiarum possint hunc ab ea domo revocare aut removere sub quocumque praetextu, donec provincialis ss. Rosarii Philippinarum illi domui de novo ac stabili vicario providerit, et ille advenerit praesensque in domo fuerit.

Reliqua § Pro provinciis Indiarum in communi.

Pro provincia s. Hippolyti Martyris de Oaxaca.

1. Confirmamus tum electionem provincialis rev. p. mag. fr. Ioannis Davila factam anno 1654 tum acta omnia ipsius capituli provincialis tam quoad ordinationes et statuta quam quoad postulationes graduum, dummodo in his taxatus magistrorum numerus minime excedatur, et praedicatores generales numero dumtaxat conventuum coaequentur, et unicuique linguae seu idiomati unica dumtaxat praedicatura generalis tribuatur; qui vero hactenus ad eum gradum promoti sunt, non aliter quam secundum ordinem antiquioris professionis in numerum subintrent.

2. Confirmamus erectionem conventus noviter constructi in civitate Antequerensi sub titulo tutelaris patrocinii s. Dominici de Suriano eumque velut pro regulari observantia ad literam deputatum singulari curae admodum rev. p. provincialis commendamus, qui etiam de consilio pp. consultorum provinciae primum ibidem priorem instituet. Porro iuxta decretum eiusdem provinciae factum in capitulo provinciali anni 1640 huic conventui in partem redituum ac sustentationis applicamus et perpetuo applicatas declaramus omnes domus in atrio dicti conventus aedificatas.

3. Ordinamus, quod deinceps in hac provincia sive ad provisionem vicariorum suffragium habentium sive ad alia ponderosa negotia pertractanda numquam assumantur in numerum patrum a consiliis duo fratres germani, sed servetur tenor nostrarum constitutionum, assumptis patribus provinciae, magistris et prioribus conventuum, qui omni prorsus humano respectu postposito decidant, quod iustum fuerit; et si isti implendo numero non suffecerint, advocentur praesentati; quod si aliter fiat, totum irritum sit ac inane.

4. Ordinamus et districte praecipimus, quod nullus in posterum eligatur in priorem aut vicarium conventus aut etiam pro aliquo vicariatu Indorum, qui nesciat in proprio eius loci idiomate proponere verbum Dei ac saltem quolibet mense unum sermonem populo praedicare constiterit; irritantes et annullantes quamcumque dispensationem in contrarium concessam ulli, cuiuscumque is fuerit status aut dignitatis.

5. Inhaerentes ordinationi capituli generalis Valentiae anno 1647

statuimus, quod nullus exponatur pro praedicatura generali neque instituatur, nisi de illius sufficienti praedicatione vere in actis publicis constiterit.

6. Praecipimus et sub poena suspensionis ab officio inhibemus prioribus ac praesidentibus conventus nostri Antequerensis, quicumque fuerint pro tempore, ne cuiquam permittant sine socio religioso exire de conventu ad civitatem nec equitare, nisi forte procuratoribus generalibus, idque nonnisi in diebus ferialibus, minime vero in diebus festivis.

7. Ordinamus et sub poena absolutionis ab officio praecipimus patribus regentibus, ne sub ullo praetextu vel quaesito colore alicui lectori, praesertim artium, permittant suas praelectiones aut scholarium conferentias habere in cameris, sed tantum in publico lycaeo pro his exercitiis deputato, et quotidianis disputationibus semper adsistat regens vel saltem lector primarius. Item semel in anno cum patribus moderatoribus examinet omnes studentes, quique inertes aut segnes reperti fuerint, publicentur in refectorio ac poenitentias subeant nec possint ullatenus ad sacros ordines promoveri, quoadusque de meliori ipsorum profectu constiterit.

8. Prioribus dicti nostri conventus ac praesidentibus pro tempore in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae sub praecepto formali prohibemus, ne umquam ulli personae seculari, praesertim feminei sexus, permittant habere aliquam clavem pro libero ingressu maioris capellae in nostra ecclesia, neque ut alia via praeter ordinariam illuc intrare possit, solum iuxta contractum per scripturas expressum aliquid in hoc ipsis indulgere possint in introitu ac funeralibus defunctorum; idque strictissime sub poena absolutionis ab officio observari mandamus.

9. Ordinamus atque inviolabiliter teneri volumus, quod iuxta antiquum huius provinciae morem numerus magistrorum senarium non excedat. Si qui vero de facto reperiuntur supra hunc numerum a rev. patre nostro ad eum gradum promoti ac de praesenti gaudentes loco et voce, in sua possessione remaneant, ita tamen ut ipsi successive in loca vacatura subintrent, donec omnes ad praetactum senarium numerum reducantur. Mandantes, quod nulli ex noviter promotis vel in posterum promovendis possint a provincia ad locum et vocem admitti vel acceptari, usque dum in dicto senario numero pro ipsis realiter vacarit locus, irritumque ex nunc et inane decernimus, si quid in contrarium fuerit attentatum.

10. Quoad institutionem ac promotionem praedicatorum generalium in hac provincia specialiter monemus et rigidissime observari mandamus literam constitutionum dist. 2. cap. 6. text. 5. nec non reliquas ordinationes et declarationes circa eamdem factas in capitulis generalibus Ro-

mae 1481 et 1589 decl. 3., Venetiis 1592 decl. 5., iterum Romae 1612 confirm. 3. et Valentiae 1647 ord. 8., nempe quod non excedant numerum conventuum, habita tamen ratione peculiaris concessionis factae olim huic provinciae per venerandae memoriae fr. Augustinum Galaminium, cardinalem Araecoeli, nimirum ut ultra singulos singulorum conventuum praedicatores generales possint institui duo alii titulo administrationis et praedicationis in lingua Zapoteca, item pro lingua Misteca unus, pro natione seu idiomate de la Villa similiter unus, pro natione de los Mises similiter unus, demum pro natione de los Chontales unus. Qui numerus adiectus numero conventuum universim constituet numerum tredecim praedicatorum generalium, hoc est tam provinciae quam conventuum particularium collective. Proinde statuimus hunc numerum deinceps firmiter observari, et ex nunc annullamus irritumque declaramus, quidquid ultra illum contigerit in postulationibus seu institutionibus attentari, decernentes taliter postulatum vel promotum aut institutum pro non postulato, promoto aut instituto habendum, et insuper ad hunc gradum et officia religionis inhabilem fore. Ipsi vero admodum rev. p. provinciali pro tempore insinuamus severae districtionis poenam in capitulis generalibus Friburgi 1419 et Papiae 1423, ubi decernitur, provinciales, qui numerum excessivum praedicatorum generalium instituerint, a suis officiis fore absolvendos. Quotiescumque vero sive titulo conventus sive linguarum aliqua praedicatura vacaverit, quod in postulatione semper erit exprimendum, tenor iustitiae distributivae prae oculis habeatur, facta simul reflexione ad antiquitatem et pleniorem sufficientiam promovendorum.

Cetera huius provinciae infra § Pro provinciis Indiarum in communi.

Pro provincia s. Petri Martyris.

1. Suscipimus declarationem s. congregationis eminentissimorum dd. cardinalium praepositae negotiis episcoporum et regularium sub die 12. augusti 1650 emanatam de observatione brevis a fel. rec. Urbano VIII. die 23. decembris 1628 pro hac provincia expediti, quod videlicet inter acceptandos ad numerum duodenarium magistrorum provinciae talis servetur ordo, ut illi primo loco acceptentur, qui prius munia studii in supradicto brevi praescripta absolverunt. Proinde approbamus et confirmamus acceptationes in magistros provinciae rr. pp. fr. Reginaldi Rubei, fr. Gabrielis Zacchaei et fr. Ioannis Baptistae Ciconiae, factas a patribus provinciae iuxta praetactam declarationem in capitulis provincialibus anni 1652 et 1654.

2. Idem observandum est in acceptatione ad magisterium provinciae quoad illos, qui lecturam theologiae sub titulo regentis in conventu Taurinensi expleverunt modo debito, ita videlicet, quod ad minus bis in heb-

domada circulos ordinarios tenuerint fidemque de lectura sic peracta a patribus conventus rite subscriptam exhibuerint.

3. Porro ut haec lectura in dicto conventu Taurinensi pro patribus nationis Pedemontanae tantumdem valere possit, ac si in conventu s. Eustorgii munia studii obivissent, decernimus supplicandum esse ss. d. n., ut cum illis super praedicto brevi Urbani VIII. dispensare dignetur pro toto tempore durantis impedimenti horum bellorum cum extensione ad omnes illos, qui ab anno 1644 hanc Taurinensem lecturam exercuerunt.

4. Ordinamus, quod ad officium magistri studentium in conventu s. Eustorgii et ad lecturam theologiae in conventu Taurinensi nemo admittatur, nisi prius in capitulo provinciali vel generali publicas conclusiones defenderit cursumque philosophiae per integrum triennium praelegerit ac ad minus bis hebdomadatim solitos circulos tenuerit.

5. Confirmamus id totum, quod pro lectore theologiae seu regente et theologo universitatis Taurinensis Romae in capitulo generali anno 1650 fuit declaratum.

6. Declaramus, officium regentis in studio generali s. Eustorgii rite exantlatum conferre ius etiam ad gradum baccalaureatus provinciae, ita quod non minus illi, qui officio regentis perfuncti sunt quam qui officium baccalaurei ordinarii absolverunt, connumerari et acceptari debeant in numerum sex baccalaureorum, quem breve fel. rec. Urbani VIII. praefixit, servato tamen inter eos ordine prioritatis in supradictis muniis, prout de magistris provinciae iam expressum fuit.

7. Ordinamus, quod nullus ad titulum, multo minus ad officium lectoris admittatur nisi praevio examine et approbatione in studio generali s. Eustorgii, non obstante quod alibi forsan extra provinciam studia sua absolverit litterasque patentes sui lectoratus ibidem obtinuerit. Item nullus ex studentibus formalibus eiusdem studii in lectorem examinari possit, nisi conclusiones publicas de materiis et tractatibus illic sibi praelectis prius defenderit.

8. Ordinamus, quod occurrente examine sive studentium sive lectorum in dicto conventu s. Eustorgii, si contigerit admodum rev. p. provincialem aut aliquem ex magistris provinciae alibi assignatis, hi pariter ultra consuetum quinque examinatorum numerum ad illud examen admittantur. Si vero acciderit, aliquem vel aliquos ex numerariis domesticis examinatoribus abesse examini, in illius vel illorum vicem locumque subrogentur alii ex assignatis in conventu iuxta morem et ordinem in illo generali studio alias constitutum; decernentes, ex magistris assignatis, at nondum in provincia acceptatis, illos in tali occasione fore praeferendos primoque loco subrogandos, qui munia regentis vel baccalaurei aliquando obiverunt.

9. Declaramus, in dicto generali studio apud s. Eustorgium examina pro susceptione ad habitum, pro emittenda professione proque sacris ordinibus non esse proprie actus studii, sed examina conventus, proinde tunc in examinando eum inter examinatores servandum esse ordinem, quem servant in choro. Porro pro examinandis ad habitum et professionem tres patres idonei eligantur de communi suffragio capituli conventualis; sacris vero ordinibus initiandi examinentur per quinque patres a consiliis, videlicet priorem, regentem, baccalaureum et duos antiquiores magistros spectantes ad consilium, et ex his, si qui forte defuerint, subrogentur subprior et alii professione maiores; approbatio tamen fiat a toto consilio.

10. Approbamus et acceptamus separationem vicariatus s. Ioannis Baptistae de Podeverino a conventu Taurinensi sancti Dominici, declarantes, praedictum locum in omnibus et per omnia instar aliorum conventuum subesse soli provinciali.

11. Approbamus transfiliationem p. fr. Hyacinthi Lampugnani a conventu ss. Caroli et Remigii loci Pezeri ad conventum s. Petri Martyris de Barlassina.

12. Prohibemus districte omnibus superioribus conventus s. Eustorgii, ne umquam sub ullo colore vel praetextu cameras sive pro admodum rev. p. provinciali sive pro moderatoribus deputatas alteri etiam ad tempus concedant, nisi forte pro honorariorum hospitum transitorio brevique usu, multo minus easdem cum aliis cameris commutent vel commutari permittant.

13. Declaramus, patres a consilio, quoties a p. priore vel praeside conventus vocantur ad consultandum, teneri accedere nec posse pro suo arbitratu emanere. Si quis vero illorum absque legitimo impedimento accedere neglexerit, idque ferme in usum deduxerit, titulo ac functione patris a consilio prorsus exuatur.

14. Salvis provinciae iuribus acceptamus magisterium rev. p. fr. Petri Martyris Morelli, item lecturam sub titulo regentis factam a rev. p. mag. fr. Melchiore Meliavacca, nec non lecturam rev. p. mag. fr. Vincentii Massarae, factam in studio generali s. Eustorgii sub titulo baccalaurei.

15. Damus eidem generali studio regentem rev. p. mag. fr. Bonaventuram Vaira de Alba, qui ibidem iam functus est officiis magistri studentium et baccalaurei ordinarii. Item pro primo loco damus ibidem baccalaureum p. fr. Pium Panzia et successive p. lectorem fr. Vincentium Milanum et rev. p. mag. fr. Dominicum Bergamum, qui functi sunt officio magistri studentium.

16. Damus studio Taurinensi regentem pro primo loco ac durante bellorum inquietudine rev. p. baccalaureum fr. Dominicum Candia.

17. Damus generali studio s. Eustorgii magistrum studentium p. lect. fr. Hieronymum Meliavacca pro primo loco, pro secundo rev. p. mag. fr. Petrum Figinum; item pro suo loco et tempore p. lect. fr. Ioseph Iannaretti; si vero quacumque de causa ad studium Mediolanense forsan accedere nequiverit, damus ipsum pro suo tempore et loco regentem studio Taurinensi.

18. Denique generali studio apud s. Eustorgium damus lectorem biblicum p. lect. fr. Carolum Dominicum Spresetium.

Pro provincia s. Hyacinthi de Russia.

1. Ordinamus, quod in praecipuis conventibus sit lector theologiae, qui ad minus ter in hebdomada legat casus conscientiae, et ad hanc lectionem omnes tam sacerdotes quam clerici conveniant; iniungimus autem prioribus sub poena absolutionis ab officio, quatenus hanc ordinationem mandent executioni; sacerdotes vero, qui huic lectioni non intervenerint, ab audiendis confessionibus arceantur, et clerici ab eadem emanantes ad sacros ordines non promoveantur.

2. Ordinamus ac districte praecipimus, ne quisquam ad audiendas secularium confessiones exponatur sine praevio domestico examine et legitima approbatione; qui vero aliter expositi fuerint, ab ea functione sint suspensi, donec examinentur et approbentur.

3. Ad evitandas inutiles expensas et relaxationes inhibemus prioribus, ne pro libitu suo divagentur extra conventum ab iis sub praetextu negotiorum domus aut alio quocumque se facile absentando, sed quando talia fuerint negotia, quae necessario per priorem alibi tractanda sint, iter nonnisi de consilio patrum aut speciali arbitratu prioris provincialis, causa ac necessitate proficiscendi prius exposita ac discussa, arripiant domumque, mox ut potuerint, revertantur.

4. Praedicatores generales in posterum non instituantur nisi iuxta tenorem nostrarum constitutionum et pro determinatis conventibus, neque ad hunc gradum assumantur, nisi fuerint s. theol. lectores vel saltem ultra quadriennium laudabiliter praedicando suae sufficientiae congrua specimina palam dederint et ad minus per triennium s. theologiam audierint.

5. Prohibemus omnibus praelatis sub amissione officii et utriusque vocis, ne lectoribus aut praedicatoribus generalibus, qui post promotionem actu his muniis non occupantur, ullo modo permittant exemptionem a sequela chori aut hebdomadaria, prout fuit ordinatum Venetiis anno 1592 ord. 2.

6. Ordinamus, quod fratres huius provinciae studiorum causa aliam

quamcumque provinciam adeuntes secum deferant non solum patentes licentiae, qua de nativa provincia exierunt, verum etiam autentica vitae morumque testimonia, nec sine his ullibi ad studium recipi possint citra specialem dispensationem rev. magistri ordinis. Si vero aliter ullibi fuerint recepti, tempus sui studii nec intra nec extra provinciam suam pro gradu lectoratus habendo vel obtinendo suffragetur.

7. Acceptamus fundationem et erectionem novi conventus Zolkieviensis ex beneficio illustrissimae d. Theophilae a Zurow Sobieska, quem ab eadem munificentissime dotatum rev. magister ordinis iam in prioratum evexit.

8. Similiter acceptamus domum regularem Buczacensem ab illustrissimo d. Ioanne Potocki, Palatino Braclaviensi, huic provinciae datam et in bonis locupletatam; item domum Haliciensem olim a s. Hyacintho fundatam, at per varias barbarorum incursiones diu hostiliter detentam ac desolatam, nunc vero favore illustrissimi ac reverendissimi d. archiepiscopi Leopoliensis suique metropolitani capituli nostris fratribus restitutam; denique et domum Bielicensem in Alba Russia ab illustrissimo d. Sapieha fundatam.

9. Approbamus magisteria rr. pp. fr. Camilli Platkowski, fr. Feliciani Folta et fr. Antonini Haz, iam collata a rev. magistro ordinis. Item factas ab eodem ad gradum baccalaureatus promotiones pp. fr. Michaelis Malinowski, fr. Andreae Raduan, fr. Ambrosii Podhorodecki, fr. Benedicti Haz et fr. Andreae de Iaroslavia, cuius per complures annos apud excellentissimos Polonici exercitus generales duces in capellaniae et fructuosae praedicationis munere labores ex mera obedientia exantlatos perlubenter in vicem scholasticorum exercitiorum rogante provincia computamus. Similiter approbamus baccalaureatus collatos pp. fr. Hyacinto Rzeczkowski et fr. Stanislao Swiderski, ita tamen quod servetur ordo, secundum quem sua munia in scholis explebunt.

10. Ulterius approbamus praedicaturas generales collatas pp. fr. Francisco Lyko, fr. Damasceno Oranski et fr. Augustino Witowski, servatis tamen servandis.

11. Promovemus ad gradum magisterii p. baccalaureum fr. Michaelem Malinowski, instituentes eumdem baccalaureum ordinarium generalis studii Leopoliensis immediate post p. mag. fr. Antoninum Haz.

12. Promovemus ad gradum baccalaureatus pp. fr. Basilium de Leopoli, fr. Marinum de Leopoli, fr. Raymundum Zimnicki et fr. Raymundum Milakowski, servatis servandis.

13. Instituimus praedicatores generales pp. fr. Casimirum de Leopoli, fr. Dominicum Smietonka, fr. Michaelem de Camenecia et fr. Damascenum Folta, condescendentes pro hac vice, quod singulis designentur per

provinciam singuli conventus, qui iam in postulatione debuerant esse designati.

Pro provincia Parisiensi.

1. Approbamus et confirmamus ordinationes a p. Thoma Turco bonae memoriae ordinis magistro sua in visitatione factas pro bono regimine conventus et studii generalis s. Iacobi Parisiensis sub datis 24. augusti 1646, in capitulo Valentino 1647 iam approbatas, quas omnino observari volumus et mandamus.

2. Acceptamus et approbamus magisteria rr. pp. ff. Alexandri Richard, Dominici Quicqueran Stephanique Bonuard in facultate Parisiensi, Christophori Castel et Antonii Courtois; item Hyacinthi Mesque titulo praedicationis, et Dominici Berault conventus Coenomanensis, non obstantibus oppositionibus quibuscumque in contrarium, et maxime praefati conventus sui, quas nullas declaramus.

3. Ad gradus baccalaureatus et magisterii quocumque titulo et modo et quacumque in facultate, etiam Parisiensi, legitime promoti servent inter se locum iuxta suae promotionis antiquitatem et tenorem constitutionum nostrarum, nullas et temere factas declarantes quascumque capitulorum provincialium praefatae provinciae ordinationes in contrarium.

4. Approbamus et confirmamus praedicaturam generalem r. p. fr. Petri Mullot pro conventu Ebroicensi, nec non affiliationem rev. p. fr. Ioannis Vion e conventu Lugdunensi ad Coenomanensem.

5. Approbamus et confirmamus statutum rev. magistri ordinis de non eligendo priore conventus s. Iacobi Parisiensis a dominica ultima post octavas Trinitatis usque ad dominicam post octavas Epiphaniae et a dominica Septuagesimae usque ad octavas Paschae inclusive.

6. Promovemus ad lecturam sententiarum in forma et gradu baccalaureatus rev. p. Carolum Valee conventus Rothomagensis, alias a provincia nominatum, in facultate quam illi magister ordinis designaverit.

Pro provincia Lituaniae s. Angeli Custodis.

1. Mandamus, quod in conventu Seynensi, utpote pro exacta observantia deputato, regula et constitutiones nostrae sine usu dispensationum ad literam observentur.

2. Concedimus, quod in hac provincia festum s. martyris Iosaphat, magni ducatus Lithuaniae communis patroni, quotannis mense novembri a nostris sub ritu toto duplici celebretur.

3. Acceptamus nova loca seu coenobia oblata et fundata, videlicet domum Vasilicensem et Choroscensem; hunc vero ad instantiam fundatoris illustrissimi d. Nicolai Pac, Palatini Trocensis, utpote ab eodem pro alendo sufficienti numero fratrum munifice iam dotatum ex nunc in for-

malem conventum ac prioratum erigimus, primumque ei priorem damus rev. p. mag. fr. Petronium Camienski.

4. Ordinamus, quod praeter solitos de iure moderatores generalis studii nostri Vilnensis, nempe regentem, priorem, baccalaureum et magistrum studentium, cuius examini ad quemcumque gradum intersint ac invitentur magistri in theologia, si qui adfuerint, ita quod et hi examinent et votum habeant decisivum tam in approbanda bonitate morum quam in iudicanda sufficientia literarum, non autem simplices lectores.

5. Ordinamus, quod in omni examine scholastico ad gradum vel officium qualecumque prius examinatoribus ibidem collectis praelegatur poena excommunicationis latae in eos, qui odio vel amore privato aliave iniqua passione abducti in examine suffragium suum non conscientiae, sed affectui attemperant.

6. Ordinamus, quod lectores in exoticis studiis iam approbati, ubi ad provinciam redierint, in generali studio Vilnensi teneantur novum subire examen, nec ante id possint a quoquam illic titulo lectoris compellari.

7. Ordinamus, quod in hac provincia magistri cum loco et voce sint tantum octo, baccalaurei quatuor, praedicatores generales tot quot conventus.

8. Acceptamus magisteria rr. pp. fr. Adami Tarnowski, moderni vicarii provinciae, fr. Prudentii Gros et fr. Iacobi Gorecki.

9. Promovemus ad gradum magisterii pro locis numerariis actu vacantibus pp. baccalaureos fr. Athanasium Wierbolewicz, fr. Marinum Miednicki, modernum generalis studii baccalaureum ordinarium huiusque capituli diffinitorem, et fr. Dominicum Woronowicz.

10. Promovemus ad gradum baccalaureatus p. lect. fr. Cyprianum Machiewicz.

11. Instituimus pro locis actu vacantibus et non aliter praedicatores generales p. fr. Candidum Telecz, p. fr. Hyacinthum Platkowski, p. fr. Sigismundum Mieszkayczewicz, p. fr. Gabrielem Liowicz, p. fr. Ambrosium Pluscz, p. fr. Fabianum Colakowski, p. fr. Cratylum Rudzinski, p. fr. Stephanum Biaskiewicz, p. fr. Eustachium Chakecki, p. fr. Franciscum Gawarecki et p. fr. Theodatum Mackiewicz.

12. Damus regentem generali studio nostro Vilnensi admodum rev. p. mag. huius capituli diffinitorem fr. Marinum Miednicki, baccalaureum ordinarium rev. p. mag. fr. Dominicum Woronowicz et magistrum studentium p. baccalaureum fr. Cyprianum Mackiewicz.

13. Ordinamus, quod in hac provincia officium magistri studentium duret biennio, neque ad istud officium assumantur, qui prius totam philosophiam integro triennio non praelegerint, neque ad baccalaureatum

ordinarium, qui prius non peregerint officium magistri studentium, nec denique ad praedicaturam generalem, qui non praedicaverint prius, quantum nostrae constitutiones ad hunc gradum requirunt.

14. Ordinamus, quod licet provincialatus solo duret triennio in hac provincia, nihilominus habeatur capitulum intermedium vel ad minus congregatio patrum pro dominica secunda post octavam epiphaniae, tuncque fiat scrutinium de retentione vel amotione provincialis.

15. Cum huic recenti provinciae in serie annuarum contributionum certa nondum fuerit taxa imposita, ex nunc statuimus eique imponimus, quod in annos singulos magistro ordinis sex scuta aurea et procuratori generali duo scuta aurea pendere teneatur.

16. Concedimus p. fr. Alphonso Slanka studenti formali, quod in sua provincia examinari possit in lectorem.

Pro provinciis Indiarum in communi.

1. Cum pro his provinciis per successus temporum variae atque multiplices emanarint ordinationes, prout interdum exigebat ratio praesentaneae necessitatis, nunc vero mutatis passim circumstantiis complures ex dictis ordinationibus velut moderno rerum statui non aeque ut olim consentaneae necessario videantur in multis articulis reformandae, aliae autem renovandae et firmius roborandae, ideo ad tollendam in his omnem dubietatem et confusionem rogamus rev. magistrum ordinis, quatenus universas pro his provinciis sive per capitula generalia sive per magistros ordinis praescriptas hactenus ordinationes recolligat, ex iisdem omnes illas, quae deinceps servandae videbuntur, seorsim expunctis reliquis, in unum corpus contrahat, quasque addendas, declarandas, limitandas aut quoquo modo immutandas iudicaverit, addat, declaret, limitet ac immutet; denique pro assecuranda ac firmissime stabilienda earum observantia specialiter a sancta sede apostolica auctoritatem impetret, qua dictis ordinationibus earumque annexis praeceptis, censuris ac poenis adiiciatur perpetuus vigor et inviolabile robur eousque duraturum, quousque non revocabuntur per capitulum generale vel magistros ordinis subsecuturos.

2. Confirmamus et, quantum possumus, roboris perpetuo valituri superadiicimus necessariae ac saluberrimae ordinationi factae in postremo capitulo generali Romano 1650 pro provinciis Indiarum in communi, qua videlicet, exceptis solis necessariis impendiis provinciae, reliquae pecuniae omnes, sive e conventibus sive e synodis et doctrinis aut aliunde obveniant, per provincialem de consensu pleni ordinarii consilii et non aliter iubentur investiri seu applicari fundis aut certis bonis stabilibus ad perpetuum censum annuum etc. Quod praeceptum cum universis ibidem expressis poenis, formis et clausulis, ut iacet, integre ab initio usque ad calcem hic renovamus, ac si verbatim toto suo tenore et con-

textu hic insertum foret; declarantes quoad provinciam nostram sancti Ioannis Baptistae del Perù supradictum consilium ab admodum rev. p. provinciali pro tempore congregandum esse in conventu nostro Limensi ss. rosarii ex duodecim patribus gravioribus, ordinarie ibidem ad consilium pertinentibus; atque insuper mandamus, quod, quotiescumque huiusmodi pecuniae ad manus p. provincialis quoquo modo aut via pervenerint, illas quamprimum reponat aut reponi faciat in communi deposito praedicti conventus ad effectum ut supra, nec inde possint extrahi nisi de consensu maioris partis praefati consilii et ad usum iam superius praescriptum, servata forma, quae in allegata ordinatione exprimitur. Idem porro proportionaliter servandum in reliquis Indiarum provinciis, idque totum sub poenis iam taxatis.

3. Universis ac singulis harum provinciarum superioribus tam provincialibus quam prioribus conventualibus locorumque praesidentibus in memoriam revocamus gravissimas censuras ac poenas a sancta sede apostolica decretas contra illos, qui summam pecuniariam in annui census capitale applicatam vel applicari debitam alio convertunt, sive ad privatum usum sive ad extinguenda debita activa conventuum aliove titulo expendunt citra eiusdem investitionem. Proinde ad vigilantiorem huius apostolicae prohibitionis observantiam specialiter iniungimus et committimus in omni deinceps capitulo provinciali tum novo provinciali ibidem electo tum pp. diffinitoribus pro tempore, quod, si in posterum illic a die notificatae huius ordinationis de aliquo, cuiuscumque ille sit dignitatis, gradus aut conditionis, constiterit, ipsum huic prohibitioni contravenisse, statim ac de plano eum declarent incurrisse poenas a sede apostolica taxatas, ac specialiter quod talis deinceps carebit omni iure et usu vocis tam activae quam passivae in perpetuum, nec non privatus erit omni officio et gradu cum perenni inhabilitate ad similia in posterum recuperanda, assequenda vel tenenda. Insuper quisquis talis repertus fuerit, compellatur ad restitutionem, etiamsi forte praetenderet, huiusmodi pecunias nonnisi pro necessitate conventus aut communitatis fuisse expensas, cum deberent ad annue fructificandum reinvestiri.

4. Renovamus et confirmamus ordinationem specialiter pro istis provinciis anno 1605 factam in generali capitulo Vallisoletano sub hoc tenore: Fratres sub poenis proprietariis debitis non ludant chartis, tabulis neque perinolis nummos vel pecunias, maxime in praesentia secularium. Similiter renovamus praeceptum, censuram ac poenas huic statuto postea per bonae memoriae p. generalem Turcum diserte adiectas his verbis: Verum quia abusus iste ludendi nimium excrevit, ordinatur et mandatur in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, nec non sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina

canonica monitione praemissa, et sub poenis proprietariis debitis et aliis in capitulo gravioris culpae contentis, ne sive cum fratribus ordinis nostri vel alterius sive cum secularibus cuiuscumque conditionis ludant aleis, chartis seu a los naipes et taxillis seu tabulis, et prohibetur sub eodem praecepto et censura et poenis cuicumque superiori, etiam pp. provincialibus, ne ludendi aliqua specie vel modo supradictorum ludorum dent cuiquam licentiam. Aliis vero ludis licitis ludere poterunt fratres de licentia suorum superiorum, dummodo nummos vel pecunias non ludant. Porro, ne quis deinceps praetendere queat, hanc ordinationem quoad praeceptum, censuram et poenas desiisse cum vita illius, a quo promanarunt, eademque ratione hanc nostram renovationem et confirmationem quoad praedicta non duraturam ultra vitam huius generalis capituli, denuntiamus, rev. magistrum ordinis ex nunc isti statuto sic a nobis renovato et confirmato, nimirum una cum adiecto praecepto, censura et poenis commemoratis, superaddidisse robur perpetui vigoris ac firmitatis, utendo specialiter in hoc apostolica, qua ipse pollet, auctoritate.

5. Cum in capitulo generali Romae 1589 sic ordinatum fuerit: Provinciales provinciarum Indiarum statim post eorum electionem iuxta privilegia ipsis provinciis concessa munere suo fungantur, teneantur tamen saltim intra biennium ad rev. p. generalem mittere decretum suae electionis pro sui et totius ordinis capitis debita recognitione, ut electionem vel confirmare vel cassare possit, prout sibi in Domino videbitur, et hoc sub poena privationis officii ipso facto incurrenda et inhabilitationis in posterum. Nos huiusmodi ordinationem velut sacrae obedientiae et unitati indivisae nostri ordinis summe necessariam extremo, quo possumus, connisu munimus, stabilimus et insuper ordinando adiicimus, quod provincialis, quisquis electionis suae scrutinium seu decretum intra tempus supra expressum ac praefixum magistro ordinis non miserit, post suum provincialatum in omnibus habeatur, ac si revera provincialis non fuisset. Proinde in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto, nec non sub nullitate cuiuscumque actus in contrarium prohibemus, tum ne talis post suum provincialatum potiatur aut potiri permittatur loco illis alias debito, qui quondam provinciales fuerunt, tum etiam ne possit deinceps toto vitae suae tempore eligi vel quoquo modo applicari ad officia prioris, visitatoris, vicarii, doctrinarii sive ad alia munia, etiam scholastica, quorum omnium ex nunc simpliciter incapax decernitur ac declaratur, ita quod tali neque praetacti loci neque vocis passivae ius ullum suffragari possit, donec magistri ordinis superveniens confirmatio realiter ipsi provinciae illata ac notificata plene constare fecerit, electionem fuisse bonam et suprema ordinis auctoritate solemniter legitimeque agnitam et approbatam.

Quod si in aliqua aut aliquibus harum provinciarum adsit vel adesse praetendatur qualecumque indultum, privilegium, exceptio, dispensatio aut qualiscumque nominis exemptio tollens, minuens aut suspendens ordinationem supradictam eiusve obligationem aut poenas appositas, nos hodie communi ac publico nomine totius ordinis praedicatorum, quem in hoc generali consessu legitime repraesentamus, eiuscemodi privilegio, indulto, exceptioni, dispensationi aut cuiuscumque nominis exemptioni, si qua est vel putatur esse, tamquam regularis obedientiae pernicioso detrimento seu facillimae schismatum occasioni deliberate, serio ac expresse renuntiamus ac renuntiatum esse denuntiamus.

Denique obtestamur rev. magistrum ordinis, ut, quandocumque contingeret ex aliqua harum provinciarum non transmitti ad se scrutinium seu decretum electionis novi provincialis, vicissim ipse acta illius capituli provincialis, si qua forte seorsim ad manus suas pervenerint, nequaquam approbet nec ullas graduum postulationes exaudiat aut ullius promotionis patentes expediri iubeat neque institutiones praedicatorum generalium in huiusmodi actis exponi solitas admittat vel ratas habeat, nec taliter factae institutiones ullum sortiantur effectum, quoadusque electus provincialis fuerit per magistrum ordinis confirmatus, huiusque confirmationis patentes in provincia sint promulgatae.

6. Non sine ingenti cordis nostri dolore accepimus de plerisque harum provinciarum, quam exigua in iis habeatur ratio ieiuniorum ordinis debitaeque abstinentiae a carnibus usque adeo nimirum, ut fere totum per annum coena praebeatur communitati in refectorio; et in ea quidem provincia, quae inter has observantiorem se putat, vix tribus hebdomadae diebus, nempe feria 4., 6. et sabbato, a carnibus in publico abstineatur, dum eae interim in privatis cellis et angulis liberrime etiam his diebus comeduntur quasi ex obtento iam more aut licentia generali, quin imo et huc deventum esse audimus, quod afferatur, ab initio adquisitionis eiusmodi terrarum ac regionum adfuisse privilegium, cum tamen certius sit, hanc absurdissimam relaxationem hodie non veteri alicui privilegio, quod vel nullum umquam fuit, vel pro sola tunc durante necessitate valuit, sed pravae sensimque a gula invectae consuetudini aut ignavae ac diuturnae superiorum dissimulationi turpiter inniti. Prae his vero omnium intolerabilissimum iudicamus et deploramus, quod complures dictarum provinciarum conventus palam ad se trahunt et usque ad sua refectoria extendunt qualecumque illud privilegium, quo seculares in iis regionibus feria sexta et sabbato esum grossurae, quam vocant, sibi licere praetendunt eoque titulo impune vescuntur caesorum animalium extremitatibus et intestinis.

Nos itaque attendentes, primigenium abstinentiae ac regularium ie-

iuniorum rigorem ad nostri ordinis praecipuas et fundamentales observantias manifeste pertinere, huic tam abominando ac deformi abusui efflictim adgemiscentes, deque efficaci remedio soliciti hortamur in primis universos ac singulos harum provinciarum superiores tam provinciales quam conventuales, ipsorumque conscientias in diem Domini aggravamus, quatenus omni adhibito conatu, studio, industria ac zelo ubique faedissimam hanc et millies milliesque maledictam relaxationem eliminent neque ulterius patiantur suis provinciis ac domibus deesse tam notabilis observantiae illustrem gloriam, haereditarium thesaurum.

Quod ut certius ac citius consequantur, meminerint saluberrimae perque tot capitula generalia repetitae ordinationis, qua iubetur, in singulis provinciis unum ad minus deputari ac institui conventum, in quo exactissime ad rigorem literae, exclusoque usu dispensationum, regula et constitutiones ordinis serventur ad unguem. Porro talis conventus reliquis et propagandae accuratioris observantiae seminarium esse debet et tamquam rigidioris abstinentiae publica idaea suo exemplo iugiter commonefaciet reliquos communis obligationis.

Et quamquam supposita introductione et reali praxi unius aut plurium conventuum strictissimae observantiae, reliquis provinciae conventibus moderatus ac legitimus dispensationum usus adhuc indulgeatur, attamen semper ac per totum annum ubique a communi refectorio esus carnium indispensabiliter censeatur exclusus; quod si aliquibus ob labores aliumve honestum titulum aliquando videatur permittendum, quod carnes comedant, id fiat extra refectorium et extra quamcumque privatam cellam seorsim in hospitio seu communi aliquo loco ad hoc designato, sic tamen quod nec ibi nec alibi dentur carnes in coena; similiter communi refectorio numquam inferatur coena in die collationis.

Item extra casum actualis infirmitatis cum nemine in esu carnium dispensari possit feria 2., 4., 6. et sabbato, neque in die vigiliarum ordinis, nec in triduo ante feriam quartam cinerum, nec in diebus rogationum, neque in adventu Domini, neque a festo exaltationis s. Crucis usque ad festum omnium Sanctorum inclusive, neque in die natalis Domini, resurrectionis et pentecostes, insuper in nullo seu profesto seu festo Christi Salvatoris, beatissimae Virginis et s. p. n. Dominici, nec in solemnitatibus Sanctorum ordinis nostri. Extra hos dies licitum sit praelato cum aliquibus, at numquam cum tota communitate, ex discretione causaque rationabili dispensare, dummodo in illa provincia actualiter iam extiterit unus ad minimum conventus, in quo ad literam vigeat observantia rigorosa, alias quam diu talis conventus in provincia defuerit, reliqui conventus hac permissione gaudere nequaquam possint.

Itaque in horum omnium et singulorum inviolabilem executionem

districte sub poena amissionis officiorum et graduum perpetuaeque inhabilitatis mandamus tam provincialibus quam conventuum prioribus ac praesidentibus, ne in his, quae toto hoc numero praescripsimus, quidquam vel minimum relaxent, neque in materia ieiuniorum ordinis et abstinentiae a carnibus ultra hos temporum locorumve terminos arbitrium dispensandi quoquo modo vel praetextu extendant. Subditis vero ipsorum, cuiuscumque sint conditionis, gradus aut dignitatis, sub poena privationis utriusque vocis prohibemus, ne praememoratos hosce terminos sive cum superioris assensu sive absque illo umquam extra verae necessitatis casum transiliant nec illi, quam supra deploravimus, perniciosissimae relaxationi ulterius adhaerescant, secus a s. p. n. Dominico nec benedicendi nec pro genuinis filiis in agone suo agnoscendi.

7. Ordinamus, quod nullus fratrum ex una aliqua harum provinciarum ad alteram sive in altera titulo studii, officii aut quocumque alio motivo possit deinceps assignari, etiam de consensu provincialis proprii vel alieni; et sicubi forte contraria invaluit consuetudo, eidem ex nunc vim omnem excutimus ac derogamus similesque assignationes invalidas ac nullas fore declaramus. Si qui vero per magistrum ordinis aut capitulum generale in aliena provincia assignati sunt vel in posterum assignabuntur, non possint in hac exponi, institui aut postulari ad aliquem gradum, donec prius in eadem ad minus per triennium legerint aut praedicarint, et si aliter fiat, totum sit irritum et inane.

8. Quandoquidem experientia compertum est, privilegium Pii V., quo provincialibus harum provinciarum datur facultas instituendi ex suis notarios apostolicos pro causis et negotiis religionis, interdum alicubi contra decorem mentemque pontificis trahi in abusum, dum videlicet absque delectu sat maturo aliqui parum apti, imo et aliquando iuvenes e domo novitiorum ad tale munus improvide admittuntur, unde nonnumquam grave ac notabile incommodum suboritur, ideo tantae confusioni, quae ex eiusmodi notariorum aut imperitia aut indiscreta multitudine subnascitur, mederi cupientes, dicti privilegii usum ita moderamur, ut deinceps in singulis istis provinciis notarii apostolici tantum possint esse duodecim et non plures; hosque diffinitorium capituli provincialis praevio maturo delectu praesentabit electo provinciali, ut cuilibet horum titulum praedicti officii impertiat, neque ad hoc assumi possint, nisi qui quadragesimum suae aetatis annum attigerunt. Quotiescumque vero aliquis ex hoc numero duodenario per mortem aliove modo decesserit, proximum capituli provincialis diffinitorium in locum vacantem praesentabit alium, et cuiusvis notarii apostolici institutio in actis capitularibus toti provinciae denuntietur. Quod si aliquid horum in posterum observatum non fuerit, eiusmodi institutio irrita ac nulla censeatur. Hisce tamen mi-

nime obstantibus tam vicarii quam socii provincialium, nec non visitatores in vim sui officii, quamdiu illo fungentur, publicam autenticandi et actuandi facultatem habent, tametsi numquam in notarios apostolicos a quoquam fuerint assumpti vel instituti.

9. Cum instante tempore quarumlibet canonicarum electionum aliquando seu provinciales seu examinatores vocum pro affectu privato aut partium studio nimis sint faciles ad vocales seu legitimos seu dubios excludendos sive etiam ad privationes vocum tunc vel infligendas vel declarandas suo arbitratu, quo fit, quod tam rarae electiones transigantur sine turbatione, iurgio, protestationibus ac scissuris, dum videlicet subditus facile sibi persuadet, electum non esse legitimum suum praelatum, neque illius praecepta et censuras ligare etc., ideo statuimus ac sub poena nullitatis ipso facto ordinamus, quod in capitulis provincialibus ad eligendos quatuor consuetos legitimorum vocalium examinatores consilio intersint, ac suffragium habeant omnes pp. magistri, quotquot alias vocem in eiusmodi capitulis habent. Similiter iidem intererunt consilio, cui a dictis examinatoribus fit relatio de admittendis vel excludendis vocalibus; qua recepta insimul omnes, solum Deum prae oculis habentes, iudicabunt secretisque suffragiis determinabunt ac per maiora concludent singulorum vocalium iustam admissionem vel repulsam, salvo iure, quo gravatus in tali iudicio possit modeste appellare ad pleniorem consessum totius capituli; quo casu fiat, prout fieri consuevit in conventibus, quando negotium aliquod in consilio patrum seorsim iam decisum refertur ad vota totius capituli conventualis hoc est: congregentur omnes vocales in capitulo praesentes et iunctim cum supradictis rem totam finaliter per albas nigrasque fabas decidant. Quidquid vero in eiusmodi plenissimo consessu plurium votis semel decisum fuerit, irrevocabiliter in illo capitulo habeatur pro admisso; et qui hoc modo reiectus fuerit, nequeat in illo capitulo tamquam vocalis admitti; possit tamen a gravamine, si quod in eo sibi illatum putat, ad magistrum ordinis appellare, a quo deinde plenissime audietur.

Ceterum ex quo in aliquibus harum provinciarum iudices vocum nihil amplius scrutandum habent circa socios priorum, eo quod horum sociorum usus illic non adsit, restat, quod iidem vocalium examinatores ac iudices nihilominus quoad reliqua stent ac stare debeant declarationi 19. capituli generalis Romae 1650, quae est tenoris sequentis: Declaramus scrutatores seu iudices vocum in capitulis provincialibus non habere auctoritatem, nisi ad examinandas litteras sociorum aliasque testimoniales, videlicet an priores alant sufficientem numerum fratrum, de quo supra, an dederint eis competens vestiarium, an in suis conventibus surgatur media nocte ad matutinum, de quibus in capitulo postremo Va-

lentiae et hoc Romano, ita tamen ut difficultates graviores, quae in his occurrent, a provinciali aut vicario seu praesidente patribusque provinciae diffiniantur, nulloque modo licet iudicibus vocum iudicare, an priores, magistri et praedicatores generales sint legitime instituti debeantque esse vocales, sed haec atque similia ob praetensos defectus emergentia dubia circa validitatem vocum a praefato consilio provinciae per vota secreta et non aliter erunt determinanda; quam tamen ordinationem explicatius sub his limitibus observandam ipsis praescribimus.

In primis non possint se intromittere ad disquirendum aut iudicandum de electionibus priorum conventualium iam confirmatis neque de titulo magistrorum ac praedicatorum generalium, quotquot semel ut tales in aliquo capitulo provinciali fuerunt admissi ad suffragium, cum hi censeantur esse in possessione. Item quoad examen circa priores, videlicet primo an alant sufficientem numerum fratrum, secundo an in ipsorum conventu surgatur media nocte ad matutinum, tertio an detur fratribus competens vestiarium. Restringimus hoc ob causas nobis notas, ut de his tribus non disquiratur in iudicio vocum nisi pro solo ac toto illo tempore, quod post factam in suis conventibus ultimam visitationem decurrit. Interim districte mandamus provinciali seu visitatori pro tempore, quod ipsi in singulorum conventuum visitatione de tribus his punctis specialiter indagent et quidquid circa illa vel aliquod illorum emendandum aut puniendum repererint, tunc emendent ac puniant, ita quod defectui per visitationem cognito non possit reservari aut differri poena aliqua privativa postmodum in capitulo provinciali infligenda. Idem de declaratione incursae talis poenae statutum esto.

10. Quotiescumque provincialis contra aliquem vocalem procedendum duxerit ad infligendam poenam privativam utriusque vel alterutrius vocis aut declarandum, quod hanc incurrerit aut aliam, cui illa sit annexa, prius sub nullitate actus, si aliter fiat, tenebitur super hoc adhibere consilium duodecim patrum, non quos ipse arbitratu suo ad hunc particularem actum selegerit, sed qui de iure ad alicuius determinati conventus ordinarium consilium iam ante pertinebant, ac inter hos ad minus quatuor sint magistri; et hi omnes suffragentur per vota secreta. Idemque totum observari volumus in reliquis consultationibus a provinciali necessario pro diversitate negotiorum instituendis, nempe quod ad eas vocentur patres a consilio iam alias deputati, et quod finalia horum suffragia sint secreta; et si secus fiat, tamquam a solo provinciali absque consilio factum censebitur. Quod si ex his consultoribus aliquis extra casum verae infirmitatis, quae medico indigeat, sese ab adeundo huiusmodi consilio semel atque iterum excusarit, eum ex nunc pro proxima electione prioris tam provincialis quam conventualis utraque voce pri-

vamus ac privatum fore decernimus. Sub eadem nullitate actus tenebitur provincialis, toties quoties electio aliqua confirmanda fuerit, non suo arbitrario delectus, sed modo supradicto convocare decem ad minus consultores ex iis, qui de iure alicubi iam erant patres a consilio.

Item ut omnis non solum fraus, sed et fraudis suspicio, quantum fieri potest, evitetur, cavebit tum provincialis tum vicarius provinciae, ne de facili suis ordinationibus aut praeceptis sive communibus sive particularibus innectat privationes vocum aut alias poenas, quae tales privationes secum trahant, nisi alias hae poenae iam sint taxatae de iure sive in constitutionibus sive a magistro ordinis sive in actis capitulorum generalium aut etiam in actis capitulorum provincialium per magistrum ordinis confirmatis. Si quis autem vocalium in huiusmodi poenam privativam ex provincialis arbitrio constitutam inciderit, castigetur interim poenis positivis et ad electiones admittatur. Post electionem vero tam provincialis quam diffinitorium adhibito 12 patrum antiquiorum magistrorum consilio examinet ac decernat, an talis privationem vocis incurrerit, an declarandus sit incurrisse, et quanto tempore huic poenae debeat subiacere, sicque demum procedi possit ad declarationem; secus totum sit irritum et inane ac pro tali in iudicio vocum habeatur.

11. Ut canonicae electiones semper et ubique sint liberrimae, praecipimus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto, nec non sub poena excommunicationis latae sententiae tum provinciali tum vicariis provincialibus ac visitatoribus pro tempore, ne imminente alicubi electione sese declarent verbo vel scripto per se vel per alios, directe vel indirecte, quem cuperent eligi, multo minus promissionibus, terroribus, minis, subornationibus aut quibuscumque industriis alicui suffragia procurent vel procurari faciant aut permittant, salvo tamen iure proponendi vocalibus in quavis electione ad minimum sex eligibiles. adiiciendo semper expressam hanc protestationem, quod, si forte electores quemquam alium extra catalogum sex propositorum elegerint, idoneum et omnia requisita habentem, subsequetur illius confirmatio non minus, quam si unum ex numero propositorum elegissent. Sub iisdem praecepto ac censura, adiunctis insuper poenis privationis utriusque vocis, graduum, si quos habent, ac perpetuae inhabilitatis ad aliquid horum seu recuperandum seu in posterum acquirendum mandamus ceteris harum provinciarum religiosis singulis et universis, ne de ulla alterius conventus, ad quem ipsi non pertinent, electione tractent aut sese quoquo modo ingerant verbo vel scripto, directe, indirecte, per se vel per alium aut alios. Sub eadem districtione ac poenis unicuique interdictum esto, ne plus quam unico die ante electionem in proprio conventu faciendam aliquid de ea tractet, moveat vel attingat quoquo modo; et in hoc onera-

mus conscientias provincialium pro tempore, ut, si quem adversus supradicta qualitercumque excessisse deprehenderint aut cognoverint, eum censuras praetaxatas incurrisse declarent ac reliquis poenis indissimulanter subiiciant.

12. Mandamus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto ac poena absolutionis ab officio prioribus tam provinciali quam conventualibus, vicario provinciae, praesidentibus conventuum et magistris novitiorum pro tempore existentibus vel extituris, ne quemquam ex fratribus clericis nondum sacerdotibus permittant agere cubicularium, amanuensem aut quovis titulo assistentem, ministrum vel socium alicuius patris seu privati seu officialis, cuiuscumque sit dignitatis, conditionis, meriti aut qualitatis, etiam si esset ipsemet provincialis, visitator aut vicarius generalis. Sub eodem formali praecepto inhibemus omnibus et singulis, ne privatim tenere possint famulum aut famulos seculares, sed meminerint ad hoc se intrasse ordinem, ut ei se conforment, qui dixit: « Non veni ministrari, sed ministrare ». Provinciali tamen pro necessaria cura suae equitaturae licitum esto habere in suo servitio famulum secularem unicum aut etiam duos, si opus sit; eius tamen quoad hoc conscientiam in diem Domini aggravamus, ne quid superfluum aut pomposum sive in famulitio sive in alio quovis apparatu victuque admittat. Gravioribus quoque et emeritis patribus, qui indiguerint, prior conventualis pro sua discretione et charitate aliquem deputet ex fratribus conversis aut donatis, si qui ad manum fuerint, pro necessariis cubiculi obsequiis.

Pro congregatione Ragusina.

1. Ordinamus, quod huius congregationis vicarii generales in posterum biennio dumtaxat in suo officio perdurare possint; idemque de prioribus statutum esto.

2. Pro exacta regulae et constitutionum observantia destinamus conventum nostrum s. Crucis de Gravosio cum facultate ibidem novitios recipiendi et educandi. Quod si fortasse modernus dicti conventus prior rev. p. lector fr. Timotheus Romiti hanc strictioris ibidem observantiae introductionem admittere cunctaretur aut pro se illum arctiorem vivendi modum amplecti renueret, cedat officio vel a suo p. vicario generali absolvatur; nihilominus ei indulgemus, quod etiam in hoc eventu gaudeat omnibus illis privilegiis, quibus frueretur, si terminum huius prioratus integre explevisset. In casu vero talis vacantiae instituimus ac damus praememorato conventui priorem rev. p. lectorem fr. Ludovicum Zamagna, dispensantes cum eo super defectu duodecim annorum a professione nondum expletorum.

Pro congregatione s. Mariae Sanitatis.

1. Denuntiamus, emanasse decretum sacrae congregationis eminentissimorum dd. cardinalium praepositae negotiis episcoporum et regularium, item breve speciale fel. rec. Innocentii X., quibus vicario generali, magistris de numero, prioribus eorumque sociis ac praedicatoribus generalibus huius congregationis restituitur ius ferendi suffragium in electionibus provincialium nostrae provinciae Regni iuxta formam in capitulo generali 1601 Romae de mandato Clementis VIII. praescriptam, non obstante ordinatione capituli generalissimi anno 1644 facta in contrarium.

2. Ad petitionem patrum congregationis factam in diaeta generali confirmamus omnes et singulas ordinationes pro bono regimine et incremento regularis observantiae ac studiorum praescriptas eidem in visitatione per admodum rev. p. mag. fr. Gregorium de Arosteguì et Areilza, provincialem Terrae Sanctae.

3. Confirmamus erectionem conventus Montis Dei in collegium pro praedicta congregatione cum omnibus privilegiis, quibus huiusmodi collegia potiri solent; porro ad vicarium generalem pertinebit pro tempore, quoties opus fuerit, eidem collegio de rectore providere.

4. Acceptamus magisteria rr. pp. fr. Ambrosii de Areilza, fr. Ioseph Stagnari, fr. Bonaventurae Portio et fr. Augustini de Monte Mileto, quos iam pridem rev. magister ordinis hoc gradu decoravit.

5. Acceptamus et approbamus affiliationes rr. pp. fr. Bonaventurae Portio magistri et fr. Gabrielis Marleta baccalaurei ad conventum s. Mariae Sanitatis.

6. Pro sanctiori educatione novitiarum in monasterio nostro s. Catharinae Senensis de Neapoli ordinamus, quod eaedem post emissam professionem adhuc per triennium remaneant intra septa illius novitiatus sub vigili cura et directione suae magistrae.

7. Item ad fovendam firmandamque eiusdem monasterii exactam observantiam et perfectam rerum communitatem ordinamus atque inviolabiliter servari volumus, quod nulla tempore suae professionis sibi reservare possit annuos reditus vitalitios, etiam sponte oblatos vel a consanguineis aliisque designatos, sed vel ultro his renuntiet vel de facto communibus monasterii usibus applicentur; et si qua forte nunc huiusmodi reditum seu proventum habeat, is similiter communitati seu monasterio integre statimque incorporetur.

8. Ordinamus ac statuimus pro decentiori uniformitate, quod in posterum prior et priorissa monasterii sanctimonialium b. Catharinae Senensis ultra biennium non durent in suis officiis, sicut reliquis eiusdem congregationis prioribus iam in usu est.

Pro congregatione s. Ludovici.

1. Congregationem s. Ludovici in superioribus capitulis generalibus non semel approbatam et confirmatam huius item auctoritate capituli communimus et denuo confirmamus.

2. Domum Abbavillaeam acceptamus et in prioratum erigimus, dummodo possit 12 fratres commode capere et sustentare, damusque in primum priorem, quem rev. admodum p. vicarius generalis congregationis designaverit et instituerit.

3. Sodalitatem rosarii, qua spectat saeculares personas, Abbavillae monialibus auferimus et ablatam declaramus solisque fratribus nostris, privative monasterio sororum et quibusvis aliis eiusdem loci, licere publicas illius sodalitii processiones aliasve sacras obire functiones.

4. Conventum s. Mariae Magdalenae Metensem unimus et incorporamus congregationi s. Ludovici, committentes rev. admodum p. vicario generali pro tempore, ut conventum illum modis omnibus satagat ordini restituendum, addictis et concessis in curam huius negotii pecuniis, quae ex illo conventu percipiuntur.

5. Sororibus Metensis monasterii concedimus, ut possint sub toto duplici celebrare die 15. iulii festum s. Henrici imperatoris et die 3. martii festum s. Cunegundis coniugis eius, quorum insignes reliquiae in eodem monasterio asservantur.

Pro congregatione Britannica.

1. Concedimus huic congregationi, ut in singulis suis conventibus possit celebrari festum translationis s. Vincentii Ferrerii ordinis nostri sicut et festum s. Emerentianae virginis et martyris sub ritu solemni toto duplici.

2. Confirmamus omnia privilegia et gratias concessas huic nostrae congregationi a rev. magistro ordinis et vicariis apostolicis nec non capitulis generalibus Romano 1644, Valentino 1647 et Romano 1650, declarantes, prout in capitulo Valentino ordinatum est, quod ex vi erectionis congregationis Gallicanae in provinciam Parisiensem, nullatenus his privilegiis praefatae congregationi Britannicae concessis derogatum fuit nec prioribus provincialibus aliquod novum ius super praefata congregatione Britannica acquisitum.

3. Confirmamus etiam specialiter ordinationes factas a rev. magistro generali Thoma Turco piae memoriae post actualem visitationem huius congregationis, sicut et ordinationes factas a rev. magistro ordinis die 23. iunii 1650 pro bono regimine congregationis litteras datas die 8. aprilis 1651, quibus irrita et nulla declarantur, quae in contrarium dictorum privilegiorum a rev. mag. provinciali in capitulo Romano 1650 subreptitie et obreptitie obtenta fuerant, et si quid contra eas attentatum fuerit a rev. admodum p. provinciali vel alio, sit irritum et inane.

4. Ordinamus et mandamus, ut breve apostolicum fel. rec. Urbani VIII, in consilio regio et senatu Britannico receptum et congregationi Gallicanae intimatum de non recipiendis novitiis nisi in conventibus strictioris observantiae sub poena nullitatis tum receptionis tum professionis observetur.

5. Ordinamus, ut in provincia Parisiensi celebretur capitulum intermedium, ad quod vocetur vicarius congregationis Britannicae cum praecipuis eius conventibus ac numero priorum et magistrorum in proximo capitulo provinciali determinando, et fiat in praefata congregatione scrutinium circa absolutionem vel confirmationem rev. admodum p. provincialis.

6. Erigimus in studium generale conventum nostrum Rhedonensem cum omnibus gratiis et privilegiis, quibus gaudere solent eiusmodi studia generalia, ita tamen ut lectores non possint praetendere ius ad gradus, nisi postulentur ab ipsa congregatione, et magister studentium teneatur bis saltem in hebdomada exponere casus conscientiae et ad dubia respondere.

7. Approbamus omnes articulos et conventiones factas a rev. admodum p. mag. fr. Ioanne Nolano, huius capituli generalis diffinitore, ex commissione et auctoritate sibi concessa a rev. p. generali Thoma Turco pro strictiori observantia in conventu Bizuntino, quibus subscripserunt omnes patres ac fratres dicti conventus. Approbamus etiam ordinationes factas a rev. admodum p. Ioanne Bernardo, vicario congregationis Britannicae et commissario rev. p. nostri generalis, dictumque conventum praefatae congregationi adiungimus et incorporamus cum gratiis et privilegiis aliorum conventuum absque separatione a provincia Parisiensi. Volumus etiam, ut ea, quae a rev. patribus generalibus ordinata sunt pro strictiori observantia in conventu Rothomagensi, omnino executioni demandentur, et ut praefata observantia pristino splendori restituatur, eumdem conventum etiam unimus congregationi Britannicae sub eadem cura immediata rev. admodum p. vicarii ac sub iisdem legibus et privilegiis; praecipientes in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto, nec non sub poena privationis vocis activae et passivae, graduum et dignitatum et inhabilitatis ad haec omnia omnibus et singulis ad dictos conventus pertinentibus, ut praefato vicario congregationis sine mora et tergiversatione obediant.

8. In causa conventus Quimperliensis auditis utrimque partibus in capitulo generali, earumque rationibus mature discussis, unimus et incorporamus conventum Quimperliensem congregationi praefatae Britannicae eiusdem provinciae Parisiensis et sub iisdem legibus et privilegiis congregationis iuxta tenorem commissionis rev. p. mag. generalis ordinis

die 1. martii 1654 datae p. Ioanni Bernardo; ad cuius effectum placebit eidem rev. ordinis magistro deputare quantocius commissarium ex eadem congregatione pro introductione observantiae cum omni auctoritate absolvendi et instituendi priorem et ceteros officiales, compellendi per censuras et ab illis absolvendi, sicut a poenis, quas incurrerunt inobedientes per sententias latas a praenominato commissario p. Ioanne Bernardo, vicario congregationis Britannicae, si se dignos absolutione praestiterint. Electionem p. Ioseph Dovoyne in priorem Quimperliensem nullam declaramus et, in quantum opus esset, cassamus, ac removemus ab eodem conventu omnes, qui non sunt filii originales, et ad proprios conventus vel ad quos voluerit reverendissimus, assignamus omnesque et singulos in sententiis patris commissarii nominatos et damnatos per sex annos utraque voce privamus, ita tamen ut filii conventus ad illam possint citius restitui a commissario destinando, prout obedierint et religiose conversati fuerint. Quae omnia mutanda vel moderanda rev. p. mag. generali ordinis, prout in Domino expedire iudicaverit, remittimus.

9. Acceptamus fundationem b. Mariae de Nazaret in dioecesi Macloviensi et confirmamus contractum initum cum illustrissima et excellentissima d. Catharina de Rosmadec, comitissa de Chasteauneuf, baronissa de la Gunaudaye et Montafiland, et eius filiis et haeredibus, prout approbatus fuit et confirmatus a rev. p. magistro generali ordinis, et praedictum locum in vicariatum evectum confirmamus.

10. Damus in praedicatorem generalem pro conventu Montis Relaxi rev. p. fr. Yvonem a s. Thoma.

11. Commendamus rev. p. vicario, prioribus et aliis quibuscumque eiusdem congregationis, sicut aliis etiam provinciis et congregationibus mandatum est, ut fratres exules provinciae Hiberniae cum benignitate et charitate recipiant, prout hactenus fecerunt.

Pro congregatione s. Marci provinciae Regni.

1. Approbamus ac renovamus omnes ordinationes, concessiones, gratias, privilegia, indulta et quaecumque ad profectum regularis observantiae a reverendissimis magistris ordinis huic congregationi fuerunt data vel praescripta.

2. Acceptamus erectionem in prioratus pro conventibus s. Mariae Gratiarum, s. Marci, s. Crucis Ariani et s. Annae Montismilitum.

3. Approbamus translationem conventus Casa d'Arbore a provincia s. Catharinae Senensis factam de consensu eiusdem provinciae ad hanc congregationem.

4. Acceptamus fundationem conventus sub titulo s. Dominici de Suriano in terra Solofrae dioecesis Salernitanae ab illustrissima et excellentissima d. Dorothea Ursina, ducissa Gravinensium, factam pro fratribus

dictae congregationis; item fundationem conventus in oppido Rocca Monfina ex legato eximii benefactoris.

5. Ordinamus, quod filii huius congregationis non possint assignari extra illam ad alios conventus, et si quae tales assignationes iam factae sint, eas annullamus; neque priores aliter quam causa hospitalitatis ad triduum hos fratres in suis conventibus recipiant moxque ad suam congregationem remittant (1).

Fratres et sorores, qui pretiosa in conspectu Domini morte obierunt.

In provincia Romana.

1. Reverendissimus p. fr. Vincentius Candidus, s. palatii apostolici magister, anno superiori Romae placida morte quievit, octuagenario maior. Fuit is, quoad vixit, conspicuum observantiae et probitatis exemplar, humilitate, innocentia, orationis spiritu, ardore charitatis omnique religiosae perfectionis charactere summis, mediis, infimis palam notissimus, peculiariter vero regularis disciplinae acerrimus ubique zelotes et custos, praesertim in tot eximiis conventuum, provinciarum, totiusque demum ordinis praefecturis; nam huic s. Mariae super Minervam conventui ter praefuit ac profuit vigilantissimus prior, exinde provinciarum Apuliae semel, Siciliae bis provincialis, demum et universae religioni bis praepositus vicarius generalis, fel. rec. Innocentio X. ob notam virtutem intime charus et ob eminentem literaturam magisterio s. palatii ab eodem admotus, per omnes honorum gradus miro semper integritatis et modestiae splendore emicuit, adeo quod defuncti cadaver a pia vestium, unguium, capillorum direptione in numeroso devoti populi confluxu sat defendi non potuerit, ideoque noctu tumulandus fuit, membris adhuc omnibus tam flexibilibus, ut vivere credidisses.

Ibidem in monasterio s. Mariae Humilitatis 1654 die 8. martii persancte obiit soror Leocadia Galli velata; quoad vixit passioni dominicae ac b. Virgini tenerrimo devotionis ardore mire addicta, simplicitate, orationis studio, abnegatione propriae voluntatis, observantia regulae et constitutionum et commiseratione erga animas purgatorii singulariter excelluit. Tractatus soliloquiorum de divino amore, ignitas et prolixas ad coelestem sponsum protestationes, distributiones suorum exercitiorum singulis hebdomadae diebus ingeniose appropriatas, meditationum formulas, aliaque id genus scripta complura sua manu exarata post mortem reliquit, e quibus alta eius perfectio, superna lumina atque incendia Spiritus perspicue dignoscuntur.

(1) Sequuntur acta capituli generalis Papiensis, de quibus supra fit mentio in denuntiatione 7. Cf. MOPH. IX, 60-81. Ea excipit Protestatio patris secretarii ex ordine capituli, eiusdem tenoris ac supra pag. 351.

In provincia Trinacriae.

1. Panormi in monasterio s. Catharinae venerabilis mater soror Delicia de Ioanne anno suae virginitatis 81., religionis vero 64. feliciter ad sponsum migravit. Erat haec genere nobilis, at virtute nobilior, qua etiam coenobium suum zelo atque exemplo ad exactam regularis observantiae normam reduxit. Obedientiae et humilitatis per quam studiosa mire ad invictum patientiae robur sese exercuit, semper aequanimis sive adversante fortuna sive fatiscente valetudine, quam integris annis septem et quatuor mensibus adversam toleravit. Paupertati addictissima vix aliis umquam vestibus quam detritis ac pene consumptis utebatur. Cibo viliori eoque permodico contenta, divinis laudibus decantandis indefessa adsistebat, ab humanis confabulationibus semper aliena. Dum monasterio suo praefuit, seipsam observantiae bonorumque operum iuge praebuit exemplar. Dominicae passionis mysteriis assidue nec sine lacrymarum imbre contemplandis intenta, per singulas sextas ferias trium horarum spatio suis manibus ac pedibus arcta iniiciebat vincula, sicque procubua nudum corpusculum nunc caedendum flagris, nunc cerae candentis cruciabili stillicidio affligendum subiiciebat. Singulos exinde Christi crucifixi dolores in qualibet corporis parte, qua illas Salvator pertulit, et ipsa mirabili quadam ratione persentire sibi videbatur, ante et post mortem eximiae probitatis fama illustris.

2. Ibidem soror Vincentia Ferreri, monialis tertii ordinis, mira vitae puritate ac virtute eluxit; a pueritia divino se famulatui dedicans, brevi compendio ad sublimem patientiae, humilitatis, castimoniae, fervoris ac perfectionis gradum pervenit. Rara abstinentia carnes numquam nisi languore extremae senectutis aut vi morbi coacta comedit. Quidquid seu piorum eleemosynis seu labore manuum adquirebat, modico sibi suisque nepotibus ad tenuem victum retento, reliquum in pauperes distribuebat, unde et pluries ei coelitus de diurna refectione provisum fuit. Quoties in meridie vel ad vesperam salutationi angelicae dabatur signum, mens eius in extasim attollebatur, quod et post sacram communionem illi admodum frequens erat. Ob eius integritatem maximo semper in pretio apud urbis primates habita fuit. Demum post plurimas tum corporis tum spiritus afflictiones, constantissime toleratas, senio et meritis gravis placide in Domino conquievit, sepulta Panormi in loco peculiari intra ecclesiam s. Mariae de Monte Carmelo.

In provincia Portugalliae.

1. Illustrissimus et reverendissimus d. fr. Antonius de Resurrectione, Angrensis episcopus, non minoris integritatis quam doctrinae fama celebris, a primaria theologiae cathedra, quam in Conimbricensi universitate per complures annos egregia cum laude rexerat, ad mitram et praesula-

tum abreptus gregem suum verbo et exemplo mirifice pavit. Inter alias virtutes insigni claruit erga pauperes charitate, egenis continua ac largissima eleemosynarum profusione succurrendo. Insulam s. Michaelis pro suo pastorali munere visitaturus, nec mortis quidem denuntiato sibi periculo absterreri a pio opere potuit, unde et ibidem in actuali visitatione animam posuit pro ovibus suis; ab obitu omnium lacrymis in tota dioecesi comploratus et universim pro omnium virtutum exemplari acclamatus.

2. P. fr. Dominicus de Rosario, germanus frater incliti servi Dei d. fr. Ioannis de Portugallia, ex comitibus Vimiosensibus, quondam episcopi Visei, cuius meminerunt acta generalis capituli Romae anno 1629 celebrati, in seculo splendidus et potens, utpote comes Vimiosi et priscorum Lusitaniae regum prosapia oriundus, postquam in legitimo matrimonio aliquamdiu vixerat, una cum illustrissima et excellentissima d. coniuge de communi consensu valedicens mundo religiosum s. p. n. Dominici institutum summo spiritus ardore amplexus est, in quo ipse per quotidiana mortificationis, contemplationis rigidaeque observantiae exercitia ad sublimem perfectionis gradum enixus sancto fine quievit; postque ipsum religiosa coniux in nostro Ulyssiponensi monasterio ss. Sacramenti, ubi sacrum professionis velum aemulo devotionis exemplo assumpserat, non impari virtutis opinione illustris diem clausit extremum.

3. Simili plane instinctu exituque p. fr. Ludovicus de Sosa (1) cum coniuge, paris nobilitatis ac pietatis foemina, mundum calcans sub pedibus manum misit ad fortia; et haec quidem in praememorato ss. Sacramenti monasterio solemniter velata usque ad obitum omnifariae virtutis et observantiae regularis vivum paradigma fuit; ille vero inter assidua religionis exercitia, assumpto insuper commentandi labore historiam suae provinciae vernaculo idiomate binis voluminibus diserte complexus est, eodemque stylo prodigiosam vitam sanctissimi Bracarensis episcopi fr. Bartholomaei de Martyribus conscripsit; patientia ac humilitate insignis ultro ad infima quaeque ac vilissima obsequia pro infirmorum solatio lubens se abiiciebat; demum in Benficano conventu arctioris observantiae plenus bonis operibus spiritum reddidit creatori.

4. In eodem conventu claram post se consummatae perfectionis famam reliquit p. fr. Ferdinandus de Cruce, qui generis splendori pietatis studia coniungens, dum accurandae suae nobilissimae familiae necessitas invitum distinebat in seculo, iam animo votoque religiosus ordinis nostri constitutiones totis quadraginta annis sub seculari veste ad unguem observavit, laneo intus vestitu, carnium iugi abstinentia, nocturnis vigiliis,

---

(1) De fr. Ludovico de Sosa cf. SSOP. II, 474.

meditationibus, disciplinis aliisque nostrae professionis austeritatibus domi adsuescens; demum grandaevus assumpto palam religionis habitu ac emissa solemni professione, liberius Deo vacans, reliquum innocentissimae vitae in perpetua sequela chori, in fervore contemplationis, in crebris virtutum exemplis sub tenore exactissimae observantiae constanter peregit ac octuagenario maior migravit ad Dominum.

5. Venerabilis p. magister fr. Ioannes de Vasconcellos, clarus natalibus, at clarior virtutibus, nequidquam repugnante carne et sanguine iugum Domini in religione portavit ab adolescentia. Bonitatem et disciplinam et scientiam aequali ardore ac studio sectatus, brevi, sed arduo compendio ad summa quaeque pervasit, factus primum famosus praedicator, inde mox in supremum s. inquisitionis tribunal senator adlectus, insuper et regius concionator, demum provinciae suae zelosus provincialis, oblatas pluries infulas constantissime semper abhorruit ac modeste recusavit. Saepius Benficani conventus prior eumdem non tantum a primis aedificii fundamentis integrum restauravit, verum, quod praecipuum est, absolutam in eo regularis observantiae formam mirum in modum provexit et communivit. Monasterio ss. Sacramenti a reverendissimo ordinis magistro praefectus vicarius ecclesiam ingenti sumptu exstruxit, inque huiuscemodi pietatis opera, quidquid sibi proventuum obtingebat, manu largissima effundebat, suarum pene necessitatum immemor ac religiosae paupertatis erga se apprime tenax. Inter alia exercitia orationi familiarissime addictus, toto regno egenorum pater ac religiosorum speculum audiebat. Tandem crucifixi osculis et amplexibus dulciter immoriens magnum sui apud omnes desiderium reliquit. Defuncti corpus a monasterio ss. Sacramenti Ulyssiponam integra leuca dissitam propriis humeris illustres proceres ac religionum praelati deportaverunt, stipante populosissima multitudine et gliscente non obscura fama prodigiorum ac beneficiorum divinitus in eiusdem felici transitu concessorum.

6. Venerabilis p. praesentatus fr. Mauritius de Cruce, vir maturrimae compositionis ac modestiae, linguae et oculorum diligentissimus custos ac totis moribus ad regulae sacrarumque constitutionum ideam effigiatus, ideoque pluries tum magister novitiorum tum diversorum conventuum prior, demum et provincialis per omnes honorum et functionum gradus sui perpetuo similis fuit, communitatis onera, chorique nocturnos et diurnos labores in deliciis habens, paupertatis amantissimus, suique abnegatione tranquillus, tandem plenus dierum ac meritorum in sancta pace requievit.

In provincia s. Thomae.

1. Lycii in Apulia soror Lucia Gonçalez, virgo tertii ordinis s. p. n. Dominici, pauculis ab hinc annis vitam ab ipsa infantia prodigiosam

morte pretiosa consummavit. Infans inter nutricum brachia plorare solita, tantum cum sola in cunis aut lectulo relinquebatur, numquam plangebat; triennis in cisternam veterem per funem a famulo domestico se demitti procurabat, ubi extructo altariolo vacabat solitudini et orationi; quinquennis virginitatem suam sponso Christo dedicavit. Ob raram pulchritudinem a diversis ad connubium petita generose restitit ac tandem, cum aliter non posset, comis ad cutem usque resectis inque medium proiectis, ab ea molestia se liberavit. Assumpto religionis habitu, s. Catharinae Senensis per omnia fuit accuratissima imitatrix. Corpusculum tametsi crebris infirmitatibus pene continuo afflictum et 15 plagis, quas in memoriam 15 mysteriorum ss. rosarii diu gestavit, iugiter saucium ac debilitatum cilicio, ferreis catenis, cruentis et creberrimis disciplinis, somni cibique incredibili parsimonia perpetim excruciabat, vultu tamen semper vivido ac modeste iucundo. In oratione noctes ducebat insomnes. Puritatem cordis mirabiliter obtinuit. Salax procacissimi daemonis spectrum invocato s. Michaelis praesidio creberrime fugavit. Mira in pauperes charitate flagrans hebdomadatim xenodochia aegrorum obibat eosque corporali simul ac spirituali eleemosyna reficiebat, complures ad veram poenitentiam adduxit. Foeminarum in nosocomio decumbentium saniosa ulcera, cancrenas, fistulas suis manibus purgabat, omnem putredinis ac graveolentiae superans horrorem. Paucis ante obitum mensibus sibi videre visa est, scalam a terra in coelos productam et subtus ab ipsomet Christo sustentatam, per quam multi in veste candida ascendebant ac descendebant. Cum in eius tibia atrox plaga diu celata eousque putruisset in malignitatem, ut medici et chirurgorum firmato iudicio conclamatum esset de pede abscindendo, iamque desectioni statutus esset dies, virgo nonnisi breves poposcit inducias, dum scilicet postridie sineretur intervenire processioni ss. corporis Christi; qua peracta cum venissent, qui tibiam desecarent, ne signum quidem ullius plagae amplius invenerunt. Numerosis caelestium virginum palmas manu gestantium agminibus invitata, ut sibi videbatur, ad supernas Agni nuptias, iussa fuit ad felicem transitum se praeparare; sicque rediens a templo d. Virginis Annuntiatae eadem hora absque ullius agonis lucta, assidente p. confessario ac praelegente voces seu dramata sponsi sponsam accersentis, animam placidissime deposuit in manus creatoris.

In provincia Hiberniae.

1. Magna hic eorum, qui pro fide catholica immania pertulerunt tormenta, seges, praesertim nostris temporibus foecunde maturuit coelorum horreis illata manipulatim, siquidem ex 43 conventibus, quos in hac insula possedit ordo, nec unus hodie superest, quem non haeretici persecutoris furor aut excusserit aut solo aequarit aut in usus suos profanos

redegerit. Ad annum 1646 numerabantur in illis fratres plus minus sexcenti, quorum nunc forte nec quarta pars superstes, et quidem patrio solo extorris, ceteris aut domi consumptis martyrio aut crudeli ad insulas Barbadas deportatione longam in novo orbe mortem obeuntibus.

2. Inter priores merito primus hic recensendus venit illustrissimus et reverendissimus d. fr. Terentius Albertus O Brien, claro priscorum Hiberniae regum sanguine satus, qui studiis in provincia Hispaniae feliciter decursis, in patriam redux exemplo ac verbo Domini vineam mirifice excoluit, prioratibus nativi sui conventus Limericensis bis, Lothoriensis semel fructuose perfunctus; exinde provincialis capitulum generalissimum Romae 1644 indictum adiit, ubi a novo ordinis generali magistro fr. Thoma Turco pro meritis ac zelo, quem in tuenda ordinis unitate supremique capitis iusta reverentia intrepidus ostenderat, laurea magisterii insignitus, ac paulo post ab Urbano VIII. ad Imelacensem episcopatum assumptus, in eo totus fuit, ut et episcopali dignitati inviolabilem sui ordinis atque instituti tenorem constanter coniungeret et ecclesiae, quae tunc vel maxime in Hibernia tali heroe indigebat, auctoritate, consilio, vigilantia indefesse ubique succurreret. Quod cum anno 1651 ageret in civitate Limericensi, quam tunc Henricus Irton, Cromvellii gener verusque Hiberniae procromvellius, atroci obsidione stringebat, praeclarum integritatis atque constantiae specimen dedit; siquidem a praenominato haereticorum antesignato tentatus seorsim, oblatis quadraginta aureorum millibus, et secura quocumque vellet emigrandi licentia, modo urbe excederet nec eius deditionem pergeret impedire, fortissime respuit, praeeligens catholicis civibus ad mortem usque assistere, quam haereticorum salvo conductu auroque alibi fulgere aut secure deliciari. Itaque urbe demum expugnata captus, vinctus et ad forum pertractus, ipso omnium sanctorum pervigilio ibidem publice in furcam actus, agonem suum gloriose consummavit. Dum laetus ad supplicii locum pergit sereno vultu conversus ad catholicos, qui inconsolabiliter adlacrymantes circumfluxerant, postrema haec verba, ipsismet haereticis cor penetrantia, fecit: « Habetote, inquit, fidem, servate mandata, adversus Dei dispositionem ne queramini; quod facientes possidebitis animas vestras; pro me autem nolite flere, sed orate, ut in hoc mortis tormento firmus et infractus cursum meum feliciter absolvam ». Persecutor Irton, cui Albertus vicinam Dei ultionem diserte praedixerat, paulo post lue ac phraenesi tactus furiisque dire exagitatus, palam adstantibus suae tam malitiae quam militiae primipilis fassus est, innocentis episcopi caedem sibi extreme iam fatalem esse. Inde obversa ad parietem facie velut secum submussitans protestabatur: « Numquam ego, inquiens, meo consilio ad necem illius episcopi cooperatus fui; numquam, numquam; senatus bellicus fecit, consilii opus fuit, ipsi vide-

rint » etc. Item: « Utinam papisticum hunc episcopum numquam vel a longe vidissem ». Inter huiusmodi verba et conscientiae urticas altum gemens infelicem animam in orcum expuit. Caput martyris praealto stipiti infixum ac regiae arcis pinnaculo impositum post multa tempora videbatur quasi recentem adhuc stillare cruorem, aspectu integro, carne, cute, pilis nihilo mutatis, velut in tesseram incorruptionis; nam et constans fama est, eum usque ad extrema virginali plane munditie floruisse, ut vel inde pie liceat coniectare, virginem, doctorem, episcopum, martyrem non unica dumtaxat corona iam fulgere in coelo. Vitae ac certaminis eius prolixior historia quandoque lucem aspiciet.

3. Eodem anno 1651 inque eadem civitate mortem pro Christo op petiit rev. p. fr. Iacobus Volfaeus, praedicator generalis, emeritus senex, qui diversis prioratibus sancte perfunctus iamque pridem in diuturno carcere factus Christi confessor, passim usque ad haec ultima persecutionis tempora ministerium suum infatigabili ardore implevit, proque s. sedis apostolicae auctoritate validum se murum perduellibus opposuit. Demum Limerici sub ipsa incruenti sacrificii oblatione captus, postque pauculas horas accepta laquei et mortis sententia in forum pertractus, edita palam fidei professione catholicos hortatus est ad sinceram in avita religione constantiam, idque eo vultus, verborum ac gestuum ardore, ut vel suosmet carnifices compunxerit. In supremo scalae gradu constitutus iamque praecipitandus hilariter exclamavit: « Spectaculum facti sumus Deo, angelis et hominibus; Deo, faxit ipse, ad gloriam, angelis ad laetitiam, hominibus autem ad ludibrium ». Quibus dictis mox a trabe pendulus agonem suum consummavit.

4. Superiori anno in oppido Clunmellensi p. fr. Milerus Magrath, alias Michael a s. Rosario, dum totus spirituali fidelium obsequio intentus, cuidam moribundo sacramenta administrabat, ab haeretici gubernatoris satellitio deprehensus in opere, statimque a iudice damnatus ad patibulum, actis Deo gratiis, vitam caducam in resti finivit, meliorem reperturus in caelo.

5. P. fr. Aeneas Ambrosius O Cahil, conventus Corcagiensis facundus concionator, circa eadem tempora fortuitae haereticorum equitum turmae obvius ac pro religioso agnitus, inter eorumdem manus subitanea victima occubuit, membratim dissectus.

6. Anno 1651 patres fr. Laurentius O Fearail praesentatus et fr. Bernardus O Fearail praedicator generalis mortem pro fide subierunt dignam historia longiori. Summa est: Longfordiae in templo nativi sui conventus, qui fratribus fuga ob saevitiam persecutionis dilapsis vacuus erat, summo mane inter orandum deprehensis diverso mortis genere pro eadem fidei causa occubuerunt; nam fr. Bernardum impii satellites mox in in-

gressu plusquam 24 mortiferis vulneribus confecerunt, et tamen ipse mirabiliter adhuc desiderata sacramenta priusquam expiraret obtinuit, uti praedixerat. Fratrem vero Laurentium sauciatum raptarunt ad gubernatorem; a quo agnitus, quod pro fide et apostolici nuntii auctoritate adhaesisset exercitui pontificio; damnatur ad patibulum, eoque postridie perductus, dum laeto animo mortem invitat, aliena intercessione persuasus tyrannus tridui dilationem indulget morituro; quod quidem Laurentio molestissimum fuit; unde intercessores suos increpans ad lacrymas precesque convertitur, toto illo triduo Deum rogans, ne sibi martyrii palmam eripi aut elabi patiatur. Factus denique voti compos, e summitate scalae catholicos docto sermone consolatus, tanta facundia, ardore ac argumentorum vi in haereses invectus est, ut gubernator confusus laqueo silentium ei celeriter imponi iusserit. Tunc martyr populo valedicens, rosarium collo circumponens ac dextera crucem gestans, manus sub scapulari mitissime composuit sicque carnifici se permisit; a quo deiectus iamque pendulus stupendo prodigio utramque manum de subtus scapulario prolatam coniunxit; crucemque in altum sustulit velut triumphi sui tesseram. Quo spectaculo cum adstantibus et ipse gubernator perculsus cadaver honorifice deponi fecit, concessoque salvo conductu omnem undequaque clerum ad solemne funus et populosas martyris exequias confluere permisit.

7. Eodem anno 1651 p. fr. Guilielmus O Conor de conventu Clunmellensi, vir Deo et hominibus dilectus, capitur ab haereticis, post varia ludibria omni vestitu spoliatus, gladio occubuit.

8. Ibidem p. fr. Thomas O Higguin ab haereticis coniectus in carcerem, demum pro fidei confessione damnatus ad suspendium adeptus est gloriosi certaminis coronam.

9. Ex conventu Athenriensi eodem anno p. fr. Vincentius Geraldus Dillon ob fidem Eboraci retrusus in carcerem, post multa patientiae et constantiae exempla, squalore, fame, paedore in vinculis absumptus bravium accepit.

10. Ex eodem p. fr. Stephanus Petit, dum catholici militis confessionem excipit, a milite sectario eminus glande plumbea traiectus, cursum consummavit.

11. Ibidem fr. Iacobus Moran conversus, fr. Dominicus seu Donatus Niger et fr. Richardus Hovedon manibus haereticorum felices victimae pro Christo ceciderunt.

12. Anno 1652 p. fr. Ioannes O Cuillin, vivum observantiae ac religionis exemplar, orationi ac ieiuniis, licet infirma semper valetudine, deditissimus, vili perpetim veste contentus, tantum ingenio valuit, ut omnes fere scientias absque praeceptore didicerit. Haereses doctissime in variis

congressibus revincebat, catholicos animabat, pro auctoritate s. sedis apostolicae nullum non discrimen adiit, unde tandem ab haereticis captus plurimisque vulneribus confossus, vitam pro Christo alacriter dedit, virginitatis ac constantiae candidatus. Caput a trunco resectum hastaeque infixum pro trophaeo expositum fuit. 5

13. Eodem anno p. fr. Edmundus O Bern, conventus sui Roscomaniensis bis subprior, pro fide patria ac s. sedis apostolicae debito tuendo respectu extrema agens ac patiens, ideoque a sectariis ad necem perquisitus, demum in eorum manus incidit statimque bipennibus, sclopis, gladiis undique confossus zeli sui candorem triumphali sanguine purpuravit. 10

14. Pari felicitate potitus est sequenti anno p. fr. Raymundus Keoghy dicti conventus filius, qui ab haereticis captus in odium religionis supplicio affectus fuit.

15. Anno 1653 rev. p. mag. fr. Thaddaeus Moriarti palmam victoriae obtinuit. Hic regulari observantiae, ieiuniis ac peculiariter orationi usque 15 adeo deditus erat, ut, cum in conventu Toletano mire proficeret in literis, de ipso assererent illud celebre acroama s. Thomae « Quidquid sciret, non tam studio ac labore quam caelitus precibus impetratum accepisse ». Fuit conventus sui Traliensis prior, ac pro orthodoxa religione et pontificia auctoritate defendenda nulli umquam labori pepercit. Incru- 20 descente persecutione oblatam sibi regno excedendi et ad tutiora migrandi licentiam respuit, misertus catholicorum, quibus praesentiam suam pernecessariam videbat. Itaque comprehensus demum et Killarniam ductus patibulo adiudicatur, ubi ex summitate scalae velut e rostris fideles exhortatus ac haeresibus interitum vaticinans, dicto versu « In manus tuas 25 Domine » etc. generose mortem amplexus est, ipsis sectariis affirmantibus, si quis papistarum censendus sit martyr, hunc certe martyrem esse.

16. Anno eodem fr. Bernardus O Kelly, conversus e conventu Roscomaniensi, post diuturnum carceris squalorem, ferreorum vinculorum pondera, inediam, quae ipsum ad vendendam pro pane unicam, qua te- 30 gebatur vestem adegerat, Galviae per sententiam damnatus ad mortem publicoque suspendio enectus, viriliter animam suam pro causa religionis posuit.

17. Anno 1654 p. fr. Hugo Mac Goillius e conventu Rathbraniensi ob egregiam literaturam, modestiam vitaeque innocentiam novitiis edu- 35 candis et instruendis praefectus magister, urgente fidei zelo Waterfordiam ultro accessit, catholicos illic periclitantes confortaturus; ubi ab haereticis captus, liberrimeque se sacerdotem ac religiosum professus, damnatur ad laqueum; iamque proximus fatali trabi talem ad circumstantes concionem habuit, quae et ipsos impietatis satellites compunxerit. Mortui corpus non 40 sine pompa catholici devote sepelierunt.

His gradu proximo subiungi merentur, qui, dum catholicis Hibernis peste infectis sacramentorum ministerio intrepide succurrerunt, correpti et ipsi felici agone posuerunt animas suas pro amicis suis.

1. Anno 1651 rev. p. fr. Michael O Klery, prior Waterfordiensis et p. fr. Geraldus Bagot. Anno 1652 p. fr. Thaddaeus O Caholy, fr. Guilielmus Geraldinus, fr. Ioannes Geraldinus Limerici; item rev. p. fr. Thomas Philbinus, quondam prior Buresulensis, et p. fr. Carolus Mac Cuil in hoc summae charitatis officio vitam mortalem amiserunt pro immortali.

2. Neque tacendus hic p. fr. Gaspar Boyton, conventus Casseliensis, vir mirae simplicitatis ac integritatis, humilis contemptor sui, in educandis novitiis dexterrimus, qui ut saeviente atrocissima persecutione catholicorum spirituali solatio in administrandis clam sacramentis non deesset, per triennium nobilis cuiusdam catholici opilionem egit interdiu, sacris ministeriis noctu intentus; amisso deinde oculorum lumine non cessavit mendici habitu discurrere per patriam confortando catholicos eorumque confessiones excipiendo. In quibus laboribus gloriose consumptus, obiit circa annum Domini 1652.

3. Item p. fr. Thomas Bermingham anno 1655 exul, non sine odore eximiae probitatis animam multis pro fide aerumnis ac laboribus exercitam Deo reddidit. Erat is insigniter eruditus ac mire deditus orationi, in qua noctes integras consumebat. Rigidus carnis suae domitor asperrimis disciplinis ad sanguinis effusionem creberrime se affligebat, ieiuniis et abstinentia exhaustus, somnum in duro scamno et ligneo cervicali libabat potius, quam capiebat. Incendii conventus Nassensis, cuius tunc erat prior, vi precum extinctionem impetravit. Similiter obsessae civitati Nassensi orans praesidio fuit, quando promisso civibus et militibus caelesti auxilio contra fidei hostes in orationem procubuit, ipso delatae thaumaturgae imaginis Sorianensis anniversario die obtinuit, quod s. p. n. Dominicus palam appareret in fastigio templi, ipsis quoque inimicis conspicuus, ex quo paulo post civitas ab obsidione liberata fuit. Demum ab haereticis captus ac direpto proprii ordinis habitu vestem patrum minorum s. Francisci indutus, inter scommata, ludibria militumque barbaras petulantias velut agnus Dublinum adducitur, ubi instar fatui exagitatus coniectusque in carcerem, demum cum aliis confessoribus subiit sententiam deportationis ad insulas Barbadas; at lytro per dominos Constantinum et Felicem O Neil et d. Hugonem O Roirch oblato in Hispanicum littus emissus, Romam adiit ac, visitatis sacratioribus Italiae locis, vitae cursum feliciter explevit.

4. Eodem anno similem pene, at in patria, vivendi finem cum publica probitatis opinione habuit venerabilis senex p. fr. Daniel O Creide-

gain, qui miro suo religionis zelo ordinem nostrum in Conacia prope extinctum resuscitavit, pluribus conventibus qua instauratis, qua de novo extructis ac numerosa iuventute ad habitum suscepta, quam apud exteras provincias in moribus ac literis fecit educari. Sub rege Iacobo plurimos nobiles viros ob avitam fidem in vincula coniectos intrepidus athleta animavit ad constantiam et pecuniis toto regno emendicatis honestissime sustentavit. Illustrissimo comiti Westmediae auctor fuit transfretandi in Angliam, ad regis in catholicos iram haereticorumque rabiem mitigandam; qui quidem nobilissimus heros quanta illic pro fidei ac patriae defensione praestiterit, universo regno palam est. At p. Daniel variis persecutionum procellis mire agitatus ac semel, dum pro nobilissimae cuiusdam matronae tuenda castitate se exponit, in capite diro vulnere sauciatus, demum caecus ab ipso haeretico gubernatore ob notoriam vitae innocentiam communi exilii lege exemptus ac inter suos vivere permissus, assidue intendebat catholicorum spirituali solatio interque hos labores aetate ac meritis gravis sancte in Domino obdormivit.

Brevis appendix aliquot praecipuorum virorum huius provinciae, quorum iusta memoria in actis superiorum capitulorum interlapsa subticetur.

1. Rev. p. fr. Thaddaeus O Duanus tum catholicae religionis tum sui ordinis ac instituti mirificus zelator, difficillimis temporibus suscepta passim ad habitum numerosa iuventute effecit, ne sua aetate interiret ordo in illis regionibus, ubi bis provincialem egit. Dum nobilis quidam catholicus deploraret coram eo saevam Conaciae praesidis Georgii Binghami Angli immanitatem, velut qui nobilium catholicorum facultatibus inhians, plurimos eorum extremo supplicio affecerat, pius pater vultu repente serenato respondit: « Bono animo simus, neque enim Georgius ille iam amplius ecclesiam et patriam nostram affliget ». Compertumque fuit, eadem hora, qua haec dicebantur, procul alibi tyrannum hunc aemuli sui gladio confossum periisse.

Captus aliquando ab haereticis castri Bureisulensis praesidiariis ad unum omnes convertit, adeo ut relicta haeresi et sacrilega militia singuli per patriam sese disperserint nec umquam redierint ad haereticos.

Pauperis cuiusdam familiae misertum, vaccam daemonis arte fascinatam, lactis exsuccam, iamque morientem crucis signo erexit sanam ac statim lac copiosum praebere fecit.

Fractus laboribus et senectute cum sensim ad extrema vergeret, circumstantibus catholicis eiusque exitum ac suam inde desolationem lugubriter deflentibus placido ore praedixit, non ante se migraturum e vita, quam adesset religiosus sui ordinis, qui tum sibi agonizanti adsisteret, tum post obitum suum opportune succederet in officio ministrandi ca-

tholicis sacramenta. Ita factum; nam ipsa die sui felicissimi transitus advenit ex Portugallia, finitis Ulyssipone suis studiis, p. fr. Daniel O Creidegain, de quo supra, in cuius manibus p. Thaddaeus dierum ac meritorum plenus dulciter in Domino obdormivit, sepultus in ecclesia sui conventus Sligoensis anno 1608.

2. Anno 1615 rev. p. fr. Rolandus de Burgo ex illustrissima comitum Clanricardiae prosapia, virtute nobilior, Hiberniae demum provincialis singulis dominicis festisque diebus tam hyeme quam aestate sub ardore saevientis persecutionis excurrebat ad multa milliaria, praedicans Christum crucifixum et Marianum rosarium; saepe a quadragesimali concione rediens, solo pane grossiori et aqua reficiebatur, istamque vitae rationem per multos annos continuatam cum vita finivit in patria sua, ubi tanta integritatis eius opinio, ut vulgo diceretur, si ecclesia Christi de praesenti unicum dumtaxat sanctum virum haberet, eum utique fore p. fr. Rolandum provincialem s. Dominici. Vita functum tota patria amare luxit, cadaver ad nativum conventum Athenriensem delatum fuit, at seminudum, quod vestium eius particulas certatim catholicorum devotio sibi discerpserat instar reliquiarum adservandas.

3. Circa annum 1633 fr. Edmundus de Burgo, conversus, illustriss. dynastae Mayanensis ex fratre nepos, seculi vanitatem ac ludos, quos iuvenis dilexerat, ex animo detestatus humilique conversorum habitu in Bureisulensi conventu suscepto evasit in speculum poenitentiae ac perfectionis. Deflebat iugiter mundanae vitae noxas, cinctus catena ferrea, humo aut substratis paleis indormiens et rudi saxo pro cervicali utens, paucissimas horulas somno, reliquum noctis cum die orationi et lacrymis impendebat, instar Petri cantum galli monitorem attendens, et crebrius aquam solam cum pane in deliciis habens, summa hyeme nudis pedibus templa noctu obibat, urticis sese flagellabat, interdum etiam corpus per spineta volutans. Miro Dei beneficio castimoniam licet nobilis ac blandimentis seculi innutritus servavit usque ad obitum illibatam. Mariani rosarii praecipuus cultor ad singula horarum intervalla procumbebat in preces. Ab ipsis haereticis, qui suum conventum in speluncam latronum converterant, ob vitae exemplum in admiratione habitus, tandem in senectute bona migravit ad Dominum.

4. Anno circiter 1637 ad meliora transiit p. fr. Ioannes O Mannyn conventus Derensis, regularis observantiae fidelis custos, qui impavide sui ordinis habitum inter frementes haereticos gestabat palam. Itaque raptus demum ad tribunal, cum proposita tum praemia tum tormenta magno animo contempsisset, fidemque Romano-catholicam alacri constantia profiteretur, iussus est per singulas hebdomadas bis aut ter suspendi in equuleo, si forte his cruciatibus victus a fide deficeret; in qua tortura

pendulus, semel ex alto praeceps datus, exinde rupto dorso ad mortem usque in gibbum procurvus mansit, satis contestans, non martyrio animum, sed animo martyrium defuisse.

5. Anno 1641 magnum sui desiderium reliquit moriens illustrissimus ac reverendissimus d. fr. Rocchus a Cruce, patrio agnomine Mac Geoganus, filius conventus Rupis Franciae in provincia Hispaniae. Hic vinculo clari sanguinis primarias totius Hibernici regni familias contingens, at eximia indole nobilitatem superans, gradatim usque ad Darensem infulam, quam post provincialatum admittere coactus est, mirificis luxit virtutum exemplis; corpus asperrimo cilicio domans, mulierum alloquia ceu pestem evitabat, discordias plurimas eradicavit, in victus parsimonia admirabilis, contemplationi vero adeo addictus, ut huic 4 ad minus horas dietim impendere solitus fuerit. Ordinem in Lagenia velut extinctum feliciter instauravit, fratribus Dublinium, Molingaram, Pontanam, Athiam etc. velut per colonias deductis, ut merito tot egregiorum Christi militum, quos ecclesiae dedit Hibernia, pater dici queat. Rigorem sui regularis instituti etiam in episcopatu accurate tenuit. Ab haereticis sanguinem eius rabide sitientibus plurimas passus insidias et persecutiones, adeo ut publice aqua et igni interdictus crebro mutare latibula perque provinciam exul oberrare debuerit. Erga pauperes liberalissimus, etiam quando ipsemet pauperie premebatur, nimirum omni episcopatus sui proventu per haereticos interverso. Tandem senio et aerumnis confectus, tantaeque in Hibernia cladi religionis assidue illacrymans spiritum Deo reddidit, illatus maiorum suorum tumulo in coenobio Multifernensi ord. s. p. Francisci.

6. Eodem anno rev. p. fr. Petrus O Higgin, prior Nasensis, eximiae constantiae palmam Dublinii adeptus est; adductus proregi ibidem et, quod orthodoxam fidem seminaret in populo, accusatus, tentatur lautis promissionibus, si ad sectam Anglicanam transire vellet; quod ubi constantissime recusavit, damnatus ad laqueum glorioso certamine victor obiit.

7. Sequenti anno p. fr. Raymundus Keoghy, conventus Roscomaniensis filius, ab haereticis captus ac fidei causa extremo affectus supplicio immortalem in morte vitam invenit.

8. Anno 1647 pari felicitate decertavit rev. p. fr. Riccardus Barry, prior Casseliensis et praedicator generalis, quem in Rupe s. Patritii cum aliis captum haereticus exercitus, reliquis ecclesiasticis ibidem cum ingenti numero secularium catholicorum primo impetu contrucidatis, servarat ad supplicia atrociora. Itaque postulatus, ut religiosum, quem gestabat, habitum abiiceret adque ipsorum nefanda sacra transiret, animose respondit: « Haec mea vestis exuvias Christi eiusque passionem repraesentat ac

nostrae militiae vexillum est ». Quibus dictis alligatur columnae, et dum apparantur sarmenta, petulanti militum insolentiae dirissime vexandus exponitur; mox igne circumposito lente per duas circiter horas ab infima corporis parte torretur. Quibus in cruciatibus cum non cessaret tum fide-
5 lem populum tum animam suam Deo commendare, gladio de latere ad latus transverberatus reddidit spiritum 15. septembris. Asportatus inde post inimicorum discessum ac sepultus in suo conventu.

9. Anno 1648 feliciter in Domino obdormivit rev. p. fr. Ioannes Gillaboy, pater provinciae, s. theol. praesentatus et praedicator generalis. Hic
10 variis prioratibus cum insigni laude perfunctus tanta prudentiae fama valuit, ut certatim regni proceres ac magnates ad ipsum velut ad alterum fere Antoninum consiliorum in suis ambiguitatibus recurrerent eiusque sagaci arbitrio se ac sua moderarentur. Magno spiritu fructuosas ad populum conciones indefessus habebat non sine plausu auditorum, ac pe-
15 culiariter ss. rosarii devotionem in plebe et clero mirifice propagavit. Zelo vindicandi ab interitu ordinem suum in patria permultis tyronibus sua manu religionis habitum dedit, quorum adhuc non pauci publicas hinc inde cathedras ac pulpita illustrant. Patientia ad obitum usque incredibili enituit, praesertim in diuturnis ac molestis infirmitatibus, ut cum pedibus
20 aeger continuo octennio lectulum supinus premere debuit, nihil interim feriando a solitis charitatis exercitiis, quibus fideles perpetim hortatu ac solatio reficiebat. Denique in communi persecutionis fuga ad castrum Athlonense iuxta conventum sui ordinis elapsus, ibique per annos aliquot decubuus, dum castrum illud a sectariis expugnatur, migravit ad
25 Dominum.

10. Eodem anno fr. Geraldus clericus et fr. David Foxius conversus in Killocensi conventu, per vim ab haereticis expugnato, dum circumpositis collo rosariis genuflexi mortem expectant, gladiis confossi et in suo aliquamdiu cruore volutati, demum impacto cervicibus sclopo, vitam
30 cum sanguine simul ac cerebro pro Domino profuderunt.

11. Circa hoc tempus p. fr. Petrus Costello ense et p. fr. Geraldus Dillon carceris paedore ac fame vitam consummarunt. Item fr. Donaldus O Neaghten, conversus de conventu Roscomaniensi, qui observantiae tenax et lineis numquam usus ad carnem habitumque religiosum in
35 medio persecutionis furore constanter ac palam deferens, rosarii, quod semper ferebat manu, perstudiosus, ad extremum post plagas et verbera iussu praefecti militum gladiis telisque interimitur, vere israelita, in quo dolus non erat.

12. Anno 1649 p. fr. Iacobus O Relly, versatus theologus, facundus
40 orator et insignis poeta, dum e Waterfordiensi conventu ad Clunmellensem missus teneram iuventutem simul et humanioribus literis et chri-

stianae vitae imbuit praeceptis, in hostili civitatis excidio dilapsis fuga praesidiariis ac civibus catholicis, errore viarum procul in turmam Cromvellianorum equitum incidit, manu rosarium gestans, quibus de statu suo interrogantibus impavidus respondit: « Sacerdos sum et religiosus licet indignus Dominicani instituti, viam perdidi et a vestris declinans in vos incidi. Christianus sum, Romano-catholicus-apostolicus, sic vixi, sic moriar, prout fuerit voluntas in coelo, sic fiat ». Mox ab irruentibus multiplici vulnere cruentatus integrae propemodum horae carnificinam a tot lanionibus mira fortitudine ac patientia sustinuit, Iesu nomen et beatissimae Deiparae, s. p. n. Dominici aliorumque tutelarium praesidia ad suum agonem idemtidem advocans. Denique plura iam numerans vulnera quam membra, felix victima procubuit.

Sorores, quae postremis his annis cum peculiari probitatis criterio ad Agni nuptias transierunt.

1. Anno 1653 soror Honoria de Burgo virginitatis candori purpuram martyrii adiunxit, ut sponso candido ac rubicundo se probaret. Haec ex illustrissima familia dynastarum de Burgo in inferiori Conacia patre Riccardo nata, quartodecimo aetatis anno habitum tertii ordinis, quem s. Catharinae Senensis vocant, manibus rev. p. fr. Thaddaei Duani provincialis Hiberniae induit, in quo persancte vixit, erecta sibimet domo iuxta ecclesiam nostri conventus Buresulensis, ubi continuo sub regno Elizabethae, Iacobi et Caroli usque ad decrepitam aetatem assiduis pietatis operibus se exercuit, per totum vitae suae decursum nulla umquam mortali noxa admissa, ut fama est.

Sub communi annonae caritate ipsa cum alia ordinis sorore periclitabatur fame, sed sponsi opem, quae sola supererat, fusis precibus imploranti mox ad portam adfuit peregrinus iuvenis, ut pie creditur angelus Domini, qui de omnibus abunde providit ancillis Christi, ignaris, quis aut unde esset, quove recessisset.

Denique in ultima hac persecutione Cromwelliana dispersis undique religiosis, pia virgo cum praedicta sorore et ancilla ad laci cuiusdam insulam, Sanctorum dictam, cum frugali commeatu se recepit, ubi tandem ab insequentibus inimicis capta ac rebus omnibus spoliata, ipsis quoque vestibus per summam barbariem media hyeme, nam februarius erat, direptis, seminuda abducitur, dumque algore obfrigida nec aliquid habens praeter cutem et ossa a barbaris in proximam scapham impetuose instar fascis sarmentitii proiicitur; tres ei simul in corpusculo confractae sunt costae, unde et vivendi finem fecit, prius tamen ab ancilla ad ecclesiam nostri conventus Buresulensis, uti petierat, humeris delata et ante beatissimae Virginis altare reclinata; unde mox digressa ancilla, ut alteram sororem in sylva relictam perquireret, revertens ad templum reperit eo-

dem loco sororem Honoriam flexis poplitibus erectoque collo velut orantis situ placide in Domino consopitam. Eius aliae res gestae prolixiori historiae reservantur.

2. Soror Honoria Magaen, eumdem tertium ordinem professa ac prioris individua laborum aerumnarumque socia, veluti a qua nec in morte nec in tumulo potuit separari. Haec a supradictis inferni satellitibus in eadem insula Sanctorum capta, vestibus nudata multisque affecta verberibus, cum esset aetate iunior ac magis pudicitiae suae metueret quam vitae, in proximam sylvam furentium manibus elapsa cavae arboris trunco se abdidit, ubi postridie frigoribus extincta reperta fuit, simulque cum sorore Honoria tumulata.

3. Ante has anno 1648 feliciter migrarat ad sponsum soror Eleonora de Burgo, filia gloriosi militis domini Ioannis de Burgo, qui Limmerici pro fide sanguinem dedit. Hic strenuus Christi athleta pro suo in ordinem nostrum devotissimo affectu, constitutus in loco supplicii omnibusque se facultatibus exutum videns, indoluit se nihil habere, quod ordini relinqueret; eidem tamen foetum, quem uxor sua tunc ferebat in utero, pio voto sacravit, ut seu masculus ille foret seu foemella, unius s. p. n. Dominici soboles esset. Nata igitur haec infans patris testamentum tam valide cordi inscriptum retinuit, ut in aetate nubili, quamquam a pluribus non indignis expetita, dimoveri nulla ratione potuerit a proposito castitatis, quod tertium s. p. n. Dominici ordinem amplexa voto firmavit. Exinde matri cohabitans ac cellulam suam nisi ad templa egredi nescia miris modis ad sublimioris vitae perfectionem sese exercuit. Vino numquam usa, singulis hebdomadibus minimum ter pane solo et aqua reficiebatur, reliquis diebus in qualecumque obsonium paucis leguminibus contenta. Vultu semper macilento, pallido et ad summam modestiam composito, ut nemo eam aspiciens non animitus compungeretur. Hanc vitae rationem dum pia virgo prosequitur in Hibernia, interim Ulyssipone monialium Hibernarum monasterio ultima manus imponitur. Eo igitur, matre, cognatione dulcique patria relictis, laeta navigavit, ubi sacro velo suscepto ac solemni professione emissa, in ieiuniis, lacrymis, vigiliis talem usque ad obitum vitam duxit, ut mortuae vestimenta, rosarium aliaque pauperrima supellex pro pretiosis iam thesauris asserventur in publicum testimonium probitatis.

In provincia s. Ioannis Baptistae del Perù.

1. Fr. Martinus de Porras, donatus, praevalidam et constantem de se reliquit mirae probitatis opinionem. Quoad vixit, in pauperes et infirmos magna semper excelluit charitate, adeo ut per totum hoc regnum communis pater et afflictorum consolator acclamaretur. Ter singulis noctibus duro flagello in corpus suum animadvertebat; lectulus ei alius

non erat praeter altarium crepidines sive in choro sive in capitulo. Virginitatem perpetuo coluit illibatam. Humilitate, patientia et rigida ss. constitutionum observantia singulariter enituit, crebros et mirabiles patiebatur mentis excessus, nec minus in hora sui benedicti transitus eximiis a Deo favoribus ac solatiis recreabatur. Ipsius funeri cum archiepiscopo Mexicano, tunc Limae praesente, intervenerunt prorex, audientia regia, capitulum metropolitanum, senatus ordinesque religiosi, dum interim a promiscua multitudine palam eximiae probitatis vir compellaretur. Antequam sepulchro inferretur, circumfluente populo vestium suarum discerpebantur particulae, cunctis certatim aliquid reliquiarum ex ipso ambientibus, nec cohiberi satis potuit fervidae multitudinis rapax et violenta devotio. Horum aliorumque considerabilium autenticae ibidem capiuntur informationes per loci ordinarium, sacro rituum senatui exhibendae.

2. In conventu nostro Limensi s. Mariae Magdalenae feliciter diem extremum clausit p. fr. Petrus Gabilanes, vir eximiae charitatis, abstinentiae, taciturnitatis, observantiae regularis et fervidissimi zeli in procuranda salute animarum. Chori divinique cultus tam assiduus interdiu noctuque sectator, ut etiam gravissimis pressus infirmitatibus numquam media nocte defuerit officio matutino. Carnes numquam edebat, corpus asperrimis ciliciis iugiter domabat; indefessus egenorum consolator permissu superiorum eosdem frequenter invisebat in xenodochiis et hospitalibus, tam spiritualia quam corporalia fomenta ac refrigeria singulis impertiens. Eadem pietate obibat publicos urbis carceres ac modis, quibus poterat, vinctorum animas et corpora reficiebat, seipsum domi forisque praebens altissimae paupertatis ac patientiae vivum exemplar.

3. In conventu nostro de Guanuco laetus mortem aspexit p. Franciscus Mandulana, perituri seculi, in quo nobilitate et opibus splendide floruerat, verus contemptor. Totis 38 annis numquam e conventu foras prodiit. Choro ac orationi mentali summopere addictus, pauperum Indorum singulari flagrabat amore et commiseratione; in morte ab omnibus meruit vir eximiae integritatis acclamari.

4. P. fr. Ioannes de Escudero, senex plenus dierum et meritorum, praedicator generalis nec minor divini cultus quam lucrandarum animarum indefessus zelotes, totis 40 annis officium cantoris, ut erat voce plane angelica dotatus, studiosissime obivit, insigni ornamento divini obsequii in choro, cui numquam defuit. Morum ac indolis tanta semper fuit modestia ac gravitate, ut quotquot praesentem respicerent, mox ad eamdem linguae gestuumque maturitatem componerentur. Maximam vitae suae partem impendit assiduo Indorum vernaculorum catechismo ac sollicitae instructioni, utque erat Peruanorum idiomatum peritissimus, nullum subterfugiebat laborem aut molestiam docendi has linguas difficillimas,

gnaviterque in iis erudiendi omnes tum regulares tum clericos, quatenus cum fructu illarum gentium conversioni possent ubique intendere. Atque in hoc sancto exercitio octuagesimum aetatis annum assecutus migravit ad Dominum, apud universos communi eximiae probitatis opinione de se relicta.

5. Idem aetatis, innocentiae ac sanctorum laborum decursus beato exitu coronavit octuagenarium senem praesentatum p. fr. Thomam de Chabes, qui pro sua humilitate simpliciter peccatoris nomen assumpserat. Huius rara modestia bis gradum ac honorificum praesentati titulum abiecit, exinde superiorum ambivit licentiam quaerendi barbaras infidelium nationes; qua obtenta per asperrimos montes plusquam quingentis milliaribus pedestri itinere laboriose emensis ad Chuncos de Chuquicabo gentem indomitam ac ferocissimam penetravit, coepitque ingenti fiducia doctrinam evangelicam late proseminare. Barbari, tametsi initio virum apostolicum venerationi habuerint, eo quod ipsum atra nocte per horrida ipsorum montana discurrentem creberrime vidissent, comite quadam luce mirabiliter circumfusum, attamen nativae crudelitatis ingenio paulo post de nece ipsi inferenda deliberarunt; sicque variis aerumnis saevissime divexatum dura captivitate ceu victimam attinuerunt, a quo ubi liberatum viderunt, caeperunt exinde submittere collum fidei ac suavi iugo Christi, plurimis successive baptismi lavacro expiatis, aliis secum ad Limense emporium perductis pro faciliori ac pleniori instructione; inter quos filii erant praecipuorum dynastarum, Caziques appellant, quos triumphali processione e nostro ibidem conventu ad ecclesiam metropolitanam solemniter eductos archiepiscopus suis manibus baptizavit, ipsomet excellentissimo prorege, marchione de Manresa, patrini munus obeunte, totaque urbe in publicam laetitiam effusa. Inde pius pater cum suo novellorum christianorum lustrato agmine ad pristina montana reversus, in propagatione s. evangelii felicissime cursum consummavit. Defuncti corpus ad conventum nostrum de Chuquicabo translatum fuit, ubi ob multa, quae seriatim emanabunt, mox ut s. sedes apostolica colligendarum informationum dederit facultatem, memoria huius patris in benedictione est.

In provincia ss. Rosarii Philippinarum.

1. Manilae in conventu s. p. n. Dominici feliciter animam Deo reddidit venerabilis admodum p. fr. Dominicus de Gonçales, sancti officii ibidem commissarius et quondam provincialis, quae quidem munera nonnisi censurarum vi adactus susceperat; constitutionum ordinis ad unguem observantissimus, adeo orationi et contemplationi continuus adhaerescebat, ut miraretur, si quis cogitationem de Deo seponere posset. Ferrea catena ad vivam carnem praecinctus ter singulis noctibus asperrime vapulabat. Totas quadragesimas, solis dominicis diebus exceptis, pane tan-

tum et aqua transigebat. Pauper ac simul pauperum sollicitus pater plus quam ducenta scutorum millia in eorum eleemosynas contribui fecit atque distribuit. Martyrii cupidus vastas Chinarum regiones adiit, sed ab indigenis redire debuit. Mansuetudine ac pietate singulariter enituit. Denique defuncti exequias ingens populi confluxus honoravit, palam ex opinione publica viri integritatem depraedicando pedesque demortui exosculando, quin eo devotionis procursum, ut et de reliquiis sacro corpori decerpendis certatim ageretur, iamque unus manui ipsius digitum pio morsu secrete abstulerat rapaci osculo.

2. In districtu Novae Segobiae pie obdormivit p. fr. Martinus Real de la Cruz, annis ac meritis gravis, vir apprime religiosus, timens Deum et recedens a malo. Salutis animarum sitientissimus arduos ea de causa labores, aerumnas, pericula subiit, adeo ut semel pro fide a barbaris decollandus, flexis iam humi poplitibus fulgentem supra se frameam exporrecta cervice impavidus expectarit, sed divinitus ad novos labores reservatus, demum Indorum conversioni immortuus anno 1650 cursum in pace consummavit.

3. In eadem provincia anno quo supra mortalitatem exuit grandaevus ac emeritus p. fr. Benites, qui postquam in Hispalensi s. Thomae collegio celebrem s. scripturae cathedram cum laude tenuerat, ardore fidei succensus ad partes infidelium pro evangelii praedicatione se contulit; eo quidem, etiam per iter, observantiae ac religionis exemplo, ut in tota illa navigatione tam prolixa ac diuturna rigidissimus humilitatis ac silentii custos nec verbulum sibi excidere, nisi interrogato, permiserit, quo tanti viri sapientia et eruditio cuiquam proderetur. Exinde barbarorum conversionem ingenti animo ac fervore aggressus, verum morte praeveniente in brevi consummatus explevit tempora multa.

4. Anno 1651 ibidem in senectute bona ad apostolicorum laborum praemia migravit p. fr. Lucas Garzias, qui post annos 36 a suo in illam provinciam adpulsu missus seorsim ad Indorum conversionem brevi multarum gentium factus est pater, interque illas vitae innocentia ac doctrinae efficacitate verbum salutis longe lateque disseminavit. Tandem aetate ac laboribus fessus magno parvulorum, quos instruxerat, luctu mortem laetissimus aspexit.

5. Ibidem illomet anno ad meliorem transiit vitam fr. Franciscus de s. Augustino, conversus, verum obedientiae speculum, humilitatis idaea, innocentiae et simplicitatis vivum paradigma, in cuius funere devotus populus numeroso concursu, piis manuum osculis publicoque virtutum praeconio celebre testimonium eius probitati perhibere non dubitavit.

6. In vastissimo Chinae regno eodem anno felicem aeternitatem adiit p. fr. Emmanuel Rodriquez, vir plane humilis ac pauper spiritu,

religionis observantia multum conspicuus, in laboribus pro Dei gloria indefessus, qui, dum pro animarum salute vitam propriam ultimis periculis obiicere nuspiam recusabat, ad extremum agonizanti foeminae in mortis articulo subventurus, per intolerabiles solis ardores emenso trium dierum itinere ac pene amisso vitae spiritu periclitantem accessit ac salutifero poenitentiae sacramento expirantem communivit; verum a marito adhuc gentilitatis rabie praetumido male ob id exceptus ac fustibus crudelissime delumbatus, dum paulo post superveniente cruciatibus febri ad extrema deducitur, morte placidissima ad superos evolavit.

7. Manilae anno 1651 dulciter in Domino quievit p. fr. Bernardus Zejudo, vir pietate ac devotione praeclarus, in sacrarum constitutionum rigida observantia accuratus, contemplationi, vigiliis et crebris orationibus mire addictus, lacrymarum dono ac praedictionis spiritu excellens, quamplurima summo omnium stupore praedito, summa demum, qua vixerat, animi tranquillitate spiritum Deo reddidit.

In provincia s. Hyacinthi Russiae.

1. Hic felici commercio pro perituris aeterna commutavit nuper rev. p. fr. Innocentius Orieska, praedicator generalis et conventus nostri Camenecensis prior, vir ut nomine sic vita et opere innocentissimus; qui nihilominus quoties ob pertractanda ordinis negotia, quibus peragendis summa pollebat dexteritate, prudentia bonique communis ac divini honoris zelo, peregre sibi eundum erat, toties generali confessione praemissa ad omnes fortuitos casus atque pericula sese devotissime praemuniebat. Tandem in itinere ab impiis schismaticis interceptus, ad arborem per diem et noctem manibus suspenditur, inde in terram depositus caputque trunco apponere iussus, inter orandum ligneis clavis in occiput crudeliter impactis, eliso cerebro, immaculatam efflavit animam. Occisi cadaver post plures dies ibidem ab agrestibus repertum nec graveolentia ulla nec tabis aut corruptionis squalore sorduit, universis spectaculo adstupescentibus.

In congregatione sanctae Mariae Sanitatis.

1. Anno superiori mense aprili sancto fine quievit ven. p. fr. Raymundus Rocco, solitus omni feria 6., qua demum et mortuus est, Christi passionem in se experiri, inflicto aliquo interno vel externo corporis sui cruciatu. Fuit is semper humilitatis studiosissimus, unde nec ullum gradum literarium, tametsi eruditione praestaret multis, neque officia prioratus, vicariatus generalis aut similes honorum titulos pluries oblatos umquam admisit, ea dumtaxat munia non recusans, quae nil dignitatis, at plurimum laboris afferunt. Tota eius vita perpetuum fuit exemplar observantiae, mortificationis, patientiae, charitatis in Deum et proximum, zeli divini honoris ac salutis animarum. Singulari pollebat gratia in edu-

candis formandisque ad omnem sanctimoniam novitiis, in gubernandis conscientiis, in cuiusvis ordinis, sexus ac status personis per sacra perfectionis compendia feliciter deducendis, in convertendis ad bonam frugem peccatoribus. Interim gustu coelestium consolationum ac spiritualis dulcedinis ultro ac libenter, quod rarum et magnum est, tota pene vita caruit, uno semper contentissimus amaro calice dominicae passionis aridaeque desolationis, unde familiare ipsi erat axioma: « Oportet Deum amare sine glossa ». Extremo decumbens morbo, tametsi medicorum iudicio summis et continuis per omnia membra doloribus excoqueretur, gemitum nullum edidit, nec solis medicis, sed unicuique hoc illudve fomentum seu suadenti seu vetanti obtemperabat, instar triennis infantuli. Triginta quatuor ultimis vitae suae diebus, quos in strato doloris exegit, certatim e tota Neapoli velut ad commune oraculum concurrebant personae devotae, primores, variorum ordinum religiosi, quin et per literas foeminae Deo dicatae, illustres matronae, omnis generis poenitentes etc., ut a supremo decumbentis ore ultima haurirent suae salutis documenta; quibus ille singillatim universis pia monita dispensans, ita de mane usque ad vesperam satisfaciebat, ut suimet morbi ac mortalium dolorum, quibuscum extreme colluctabatur, videretur non meminisse. Denique post longam 18 pene horarum a sensibus alienationem ultimo vitae die sibi redditus ac rursum oculos aperiens, mirum qua vultus serenitate, qua exporrectae frontis repentina laetitia, constanter defixis in coelum luminibus brachiisque sursum aliquoties elevatis, tamquam bravium apprehensurus felicem spiritum ad superos emiserit. Non desunt, qui ex decumbentis, alii qui de praemortui virgineo corpore quamdam fragrantiam senserint. Cadaver biduo insepultum ob confluentis populi devotionem ac tumultum inferri tumulo non potuit, octies revestiendum fuit, omni eius operimento toties a fideli multitudine minutim direpto.

Sequitur protestatio p. secretarii ex ordine capituli, ut supra pag. 372.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Alexandro papa VII. et felici statu sanctae Romanae ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo imperatore Ferdinando III. et tranquillo statu s. Romani imperii quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Galliarum rege Ludovico XIV. q. s. u. m.

Pro catholico Hispaniarum rege, regina et serenissima prole regia quilibet sacerdos unam missam.

Pro eminentissimis ac reverendissimis dd. cardinalibus protectore et comprotectore nostri ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Pro eminentissimo ac reverendissimo d. fr. Vincentio Maculano, cardinali sancti Clementis, ex nostro ordine assumpto, quil. sac. unam mis.

Pro universo sacro collegio eminentissimorum ac reverendissimorum dd. cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus praelatis, ex ordine nostro assumptis, q. s. u. m.

Pro omnibus nostris benefactoribus, qui huic generali capitulo pias eleemosynas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro bono statu totius nostrae religionis eiusque capite reverendissimo p. magistro generali ac sociis eidem collaboraturis q. s. u. m.

Pro seraphica nostraque germana religione sancti patris Francisci eiusque flore et incremento quilibet sacerdos unam missam.

Pro commilitone nostra inclyta religione patrum societatis Iesu quilibet sacerdos unam missam.

Pro pace inter Galliarum et Hispaniarum coronas quil. sac. un. mis.

Ubi patribus sacerdotibus missa, fratribus clericis litaniae omnium sanctorum, conversis una decas orationum dominicarum cum totidem salutationibus angelicis iniunguntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima eminentissimi ac reverendissimi d. fr. Dominici Pimentel, S. R. E. tit. s. Silvestri presbyteri cardinalis, ex ordine nostro assumpti, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus eminentissimorum ac reverendissimorum dominorum cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro assumptorum, qui capitulis generalibus ex testamento perpetuam eleemosynam legarunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro admodum rev. p. mag. Francisco Maria Campana, qui in officio procuratoris generalis decessit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro admodum rev. p. praedicatore generali huius capituli diffinitore pro provincia s. Crucis Indiarum fr. Petro a s. Ioseph, qui in suo ad patriam reditu Barcinone migravit e vita, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri, quotquot a tempore postremi capituli generalis hic anno 1650 celebrati ab hac luce migrarunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum et sororum seraphici ordinis s. p. n. Francisci, quotquot intra eumdem terminum nexu corporis solutae abierunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus religiosorum societatis Iesu, quaecumque ab eodem termino citra ex hoc mundo transierunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. u. m.

Ubi sacerdotibus missa, clericis officium defunctorum unici nocturni, conversis tertia pars psalterii rosariani iniungitur.

Damus reverendissimo patri mag. ordinis totam nostram auctoritatem circa omnia et singula praemissa, ut ea declarare possit, quemadmodum cetera, quae declaratione opus habent, eisdem addere, demere, omnia denique facere, quae nos ipsi facere possemus, iuxta quod eius discretioni ac prudentiae visum fuerit.

Concedimus omnibus admodum rr. pp. diffinitoribus, quicumque in hoc generali capitulo diffinierunt, ut quilibet illorum possit unum ex fratribus suae provinciae, qui ante inchoatum hoc generale capitulum poenae gravioris culpae addictus fuerat, restituere ad omnes gratias ordinis, dummodo is sibi non defuerit, praebendo iusta poenitentiae et emendationis specimina, ob quae videri possit hac nostra indulgentia non indignus.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus et singulis fratribus et sororibus nostrae religionis ubivis locorum degentibus, quod semel aliquem rite in nostro ordine expositum confessarium eligant, a quo absolvi possint ab omnibus casibus et censuris ante horum actorum evulgationem quoquo modo incursis, quantum ipsemet pater reverendissimus posset, si eidem coram sacramentaliter confiterentur.

Denique universis ac singulis provinciarum, congregationum et vicariatuum praesidentibus praecipimus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto, quatenus haec acta capitularia in singulis sibi subiectis conventibus ac domibus quamprimum coram religiosa communitate integre legi ac publicari faciant et sedulo accurent, ut ab omnibus observentur et ad minus quater per annum praelegantur; volentes, quod exemplaribus impressis ac sigillo reverendissimi magistri ordinis munitis eadem, quae debetur originali autographo, fides ubique ab omnibus adhibeatur. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Capitulum generale sequens, quod erit provincialium celebrabitur loco, qui reverendissimo magistro ordinis videbitur opportunus.

Fr. Ioannes Baptista de Marinis
magister ordinis.

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR
Iosephus Ceppetelli Archiep. Myren. Vicesg.

Monumenta Ordinis Fratrum Praedicatorum Historica.

Quorum monumentorum haec edita sunt:

Tomus primus: Fr. GERARDI DE FRACHETO, *Vitae Fratrum Ord. Praed.* ed. Reichert 1896.

Tomus secundus fasc. I.: Fr. GALVAGNI DE LA FLAMMA, *Cronica Ordinis* ed. Reichert 1897.

Tomus tertius: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1220 ad annum 1303 ed. Reichert 1898.

Tomus quartus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1304 ad 1378 ed. Reichert 1899.

Tomus quintus: Litterae Encyclicae magistrorum generalium Ord. Praed. sec. XIII. et XIV. (appendix ad tomos III et IV) ed. Reichert 1900.

Tomus sextus fasc. I-II.: Raymundiana seu Documenta quae pertinent ad S. Raymundi de Pennaforti Vitam et Scripta edd. Balme-Paban-Colomb 1898-1901 (fasc. III. sub prelo).

Tomus octavus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1380 ad 1498 ed. Reichert 1900.

Tomus nonus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1501 ad 1553 ed. Reichert 1901.

Tomus decimus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1558 ad 1600 ed. Reichert 1901.

Tomus undecimus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1601 ad 1628 ed. Reichert 1902.

Tomus duodecimus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1629 ad 1656 ed. Reichert 1902.

Sequentur:

Tomus secundus fasc. II.: Fr. SEBASTIANI DE OLMEDA *Cronica Ordinis* ed. Iustus Cuervo (sub prelo).

Tomus septimus: Diversae Cronicae Ordinis (sub prelo).

Tomus decimustertius: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1670 ad 1706 (sub prelo).

THOMAS CANTIPRATANUS, *Liber qui dicitur Bonum universale de apibus* rec. Reichert (tom. unicus).

Fontes ad historiam reformationis Ordinis in Germania pertinentes ed. Reichert (tom. ca. tres).

Vitae primarum sororum Colmariensium de Subtilia.

Bullarium Ordinis Praedicatorum (*supplementum* continens acta ad provincias Germaniae pertinentia).

ROMAE

IN DOMO GENERALITIA

10, via dicta « San Sebastiano », 10

0
75

BOX
7303
.M65
v.12
IMS

Dominicans.
Acta capitulorum generalium Ordinis Praedicatorum

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5, CANADA